
A. R. D.
MARCI
SERIO
TOMVS PRIMVS
IN PRIMVM ET SECVNDVM TRACTATVM


DE
OFFICIO ET PAROCHI POTESTATE
ITEMQVE RESTITVTIONIS
ONERE
VT
INSOMNIS
TOMVS I.

A. R. D.

MARCI SERIO PANORMITANI

BENEFICIALIS, AC RECTORIS
S. MARIAE MONTISERRATI
SVBVRBII FEL. VRB. PAN.

DE OFFICIO, ET PAROCHI POTESTATE

TRACTATVS PRIMVS

IN QVO BREVITER, ET DILVCIDE, PRÆCIPVE QVINQVE Sacramenta ad ipsum pertinentia explicantur, cum Indicibus locupletissimis.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

CVM PRIVILEGIO.



NEAPOLI, Apud Petrum Coppula M. DC. XLVII.

Imprimatur Salerno V. G. *Imprimatur de Denti Præs.*

D. D. VINCENTIO III.
LAGRVA. TALAMANCA,
TOCCO. ET MARIQVEZ.
HYCCARENSI PRINCIPI. DVCI VILLÆREGALIS. BARONI OLIVERIS, ET DOMINO BAYDAE, BONARVM ARTIVM STVDIOSISSIMO.

MARCVS SERIO BENEFICIALIS
AC RECTOR SEMPITERNAM FELICITATEM.

EN tibi inuictiſſime Princeps, quam exilem poſt grandia mihi à te præſtita beneficia, grati animi ſignificationem oſtendo. En tibi quam exiguum munus, poſt eximia tuæ erga me munificentiæ monumenta audet exhibere, non auara quidem, ſed mendica manus. En tibi, quam tenue tributũ, poſt immenſos à largitate tua mihi collatos fauorum cumulos, perſoluit obſtrictiſſima voluntas. Vereor equidem, & rubore ſuffundor, cum imparilitatem iſtam animo complector, meritoque ab incępto deſiſterem, ni me, ſat mille mihi experimentis probata animi tui benignitas, & humanitas certum redderet, fore vt læta ſis excepturus fronte elucubrationes iſtas, vtpote ingenij mei primo genitæ, quæ tibi, tuoque nomine mille titulis dicanda, ac ſacranda fas, & honeſtum ſuadent, ius cogit, & iuſtitia, propenſio impellit, & obligatio. Tibi inquam, qui mihi *Mæcenas ſemper fuiſti; Qui columen; Qui Præſidium. Qui dulce decus meum. Tibi ſane. Qui à tauis edite Regibus, imo, & Imperatoribus, regiam, & imperatorium prætefers humanitatem*. Quid ni vtrumque iure optimo, abſque vlla aſſentationis nota me aſſecurare fatebitur, quiſquis prima tui generis, ac proſapiæ fundamenta ex hiſtoriarum voluminibus fortaſſe prælibarit? Ante omnia certiſſimum, ac præter

† 2 om-

omnem ambiguitatem, illud est præclarissime Princeps ex serenissima, & amplissima Toccorum familia te originem ducere, *de qua Volaterranus lib. 8. de Macedonia* loquens sic ait, *Tertia familia, quam diximus expulsam, Dispotorum Epiri est his finitimi regionibus, quem Artam vocant, de quo inferius latius dicemus. Hi Tocchi appellati ex agro Beneuentano, ac vti ipsi dictitant, & Totila Gothorum Rege genus ducentes, anno prope C. C. hac loca tenuerunt, simul cum Aetolia, & Acarnania, Cephalenia quoque, ac toto quondam Pyrrhi, & Vlissis imperio, nominibus tantum Leonardo, & Carolo sibi assumptis. Hic, qui paulo ante Romæ agebat Leonardus, filium, & ipse Carolum reliquit, à Maumethe olim pulsus ad Sixti IV. Pontificis opem, ac misericordiam confugit. Hæc Volaterranus.* Vnde liquet Leonardum primum huius nominis, vltimum Artæ, ac Sanctæ Mauræ Despotum, Ducem Leocadiæ, Principẽ Achaiæ, Comitem Cephaleniæ, & Epiri serenissimæ Toccorum familiæ progenitorem ex regio stipite originem traxisse; eumdem sane etiam imperatorio Græci Augusti sanguine procreatum testatur *P. Ioannes Mariana de rebus Hispaniæ lib. 25. cap. 11.* his verbis. *Principio consequentis anni gestum est, millesimi quatragesimi octagesimi octaui, quibus diebus à Rege Neapolitano legatus Leonardus Toccus, domo Græcus, atque à Græcis Augustis genus ducens, opulento Principatu à Turcis, euersus, profugus in Italiam de nuptijs appellauit, pactis superiori tempore Ferdinandi Capuæ Principis, cum Isabella Ferdinandi filia.* Quæ quidem quam vera sint, non obscure indicant, præter duo supradicta, aliorum, non vulgarium auctorum testimonia. Illudque in primis, quod primo ingressu primi libri matrimoniorum, quæ in regia huius Regni cancellaria asseruantur, *anni* 1477. vbi ea omni ponderatione dignissima pro libri inscriptione leguntur verba. *Regnante Excellentissimo Domino Don Leonardo Tocco Dei gratia Artæ Despoto, &c.* Emphaticum sane verbum est illud (*Regnante*) nec nisi de Regia, siue Imperatoria insignitis dignitate dici mos obtinuit. Nulli itaque anceps nulli ambiguum, aut controuersum esse potest Toccorum familiam ex Regibus, & Imperatoribus ortum duxisse, quod, & Illustrissimorum Heroum ex ea progenitorum pace, belloque præclare gesta confirmant. Quid enim de Vgolino Tocco referam, qui Henrici IV. temporibus magni Siniscalchi, summi cum laude munere perfunctus perpetuam sui nominis memoriam posteritati reliquit? Quid de Petro Tocco Martinæ Comite, qui Comitibus à Montemileto nomen dedit? Quid de Ludouico eius fratre, cuius tanta fuit animi virtus, prudentia, magnanimitas, vt eum Ioanna prima huius nominis Regina Siciliæ bello, terræ, marisque Generalatu decorauerit? & vtrique exercitui Generalem Ducem præfecerit? Quid vero de Leonardo Tocco eius germano? qui amplissimi dominatus, quem serenissima hæc familia in Græcia (vt supra innuimus ex Volaterrano, & clarius aliquid dicemus infra) se iactat, obtinuisse, prima fundamenta iecit? Vir equidem tali morum grauitate, ac prudentia præditus, vt propterea à Ruberto Imperatore, summo in honore sit habitus, summisque ab eodem dignitatibus decoratus, ipsius etiam Imperatoris Generalis Vicarius vices gerere meruerit, & voces. Huic Guglielmus successit, patriarum non minus virtutum, quam honorum hæres, fuit enim ipse Ladislao Regi tàm carus, tam fidus, vt præter præclarissima, maximique momenti negotia eius fidelitati commendata ad sponsalia contrahenda ipsius Regis nomine

cum

cum Regis Cypri filia, ſponſamque traducendam ab eo miſſus, mirifice, vt regia dignitate dignum erat, prouinciam abſoluit. Prætereo præclariſſimos alios ex eodem ſtipite procreatos heroes, quorum facinora, nulla temporum vetuſtas, nulla vnquam delebit obliuio. Prætereo ampliſſimos titulos, quibus condecorati, honorificentiſſima munera, quibus perfuncti, præclariſſimas nuptias, quas conſequuti, ſi quidem non modo cum Regni Proceribus, magnis Principibus, ac Dynaſtis, vt cum Taranti Principe, cum Duce Athenarum, cum Domino Saninæ, cum Seruiæ Deſpoto, ſed etiam cum Ferrantis Regis nepote; cum Rege Ruſſiæ, & cum Conſtantinopolitano Imperatore matrimonia contraxere. Sed vt ad rem redeam, Toccorumque familiæ, vnde tui auguſtiſſime Princeps extitere natales ſeriem pertexam, ex Leonardo Carolus Toccus, alterque Leonardus (de quibus meminit Valaterranus vbi ſupra) ortum habuere, quorum bellica virtus, niſi fortunæ (cuius, vel ipſa imperio cedit virtus) ceſſiſſet inuidiæ, immortalitate donata adhuc in hominum ore, & admiratione eſſet. Iterum ex primo Leonardo Carolus, alter Franciſcus, & Ioannes Tocco originem duxerunt; poſt Caroli euita diſceſſum Maria Tocco, eius germana ex Don Alonſo Mariquez de Lara Naxariæ Ducis germano Aleonoram Tocco, & Mariquez, quæ poſtea Don Pietro de la Grua, & Talamanca Careni Baroni in matrimonium data fuit; cui Don Vincentius la Grua, & Talamanca hæres ſucceſſit. Poſt hunc Don Ceſar la Grua primus huius nominis, cuius tanta fuit morum probitas, & integritas, tantus religioſæ vitæ, Deoque liberius ſeruiendi ardor, vt inter Illuſtriſſimæ Societatis Ieſu alumnos, iam ætate prouectus adſcribi voluerit, quo auitam generis ſui nobilitatem, nouo virtutum ſplendore magis, magiſque colluſtraret, vitæque ſanctimonia ſecularis bene actæ vitæ periodum concluderet, quod re ipſa exitus comprobauit. Ex tanto, tamque illuſtri ſtipite, quod tandem germen in lucem erat proditurum, niſi tu beneficentiſſime Princeps, digna ſoboles tanti parentis? Quid arbor tam bona, niſi optimum fructum germinaret? Iam vero quid te dignum poterit, vnquam ſterilis, & inerudita parturire locutio? forte tuarum oceano virtutum audebit ſine euidenti naufragij diſcrimine parua ingenioli Cymba vndas tranſuadare, ne dicam attingere? Te vidit ter Prætoria ſede felix patria ſedentem, Te Regni proceres in generalibus ipſius Regni comitijs Brachio demoniali toties præſidentem, & vt cætera omittam, quæ ludrica potius fortunæ ſpectra, quam ingenitæ nobilitatis, ſolidæque virtutis ſunt ornamẽta, quis tuam non miretur morum grauitatem, oculorum modeſtiam, vocis leporem, frontis hilaritatem, totius denique corporis habitudinem, affabreque efformatam molem, non obſcurum perfectiſſimæ, a qua animatur, dirigitur, moderatur, mentis indicium. Sed ne aſſentationis notam incurram, neve tuis, nunquam pro dignitate ſatis naturæ, animæque dotibus extollendis, quod laudabilius eſt detrahere videar potius, quam aliquid adnectere, pedem retraho, & ad antiquiſſimæ familiæ, quas cæpi prælibandas regredior laudes. Itaque Leonardi de Tocco, non modo trinepotem te autumo, ſed indubitatum ſereniſſimæ illius familiæ, ſtatuumque hæredem affirmo, nec vlli controuerſum eſſe poſſe æxiſtimo, ampliſſimum (de quo ſupra Volaterranus) Pyrrhi, & Vlyſſis imperium) ſi vnquam quidquid Chriſtianis Principibus Turcarum vi olim ereptum, priſtinũ

in statum Dei miserationi indigeretur) tibi, tuisque iure restituendum. Sed num quid defuere fortassis Talamanca, & Grua, quibus vtpote tuo generi propinquioribus nominibus, stemmatibusque glorians sua nobilitatis, & antiquitatis monumenta, virtutum quoque, ac meritorum argumenta? Nonne Matthęus Talamanca à Federico Rege *sub anno* 1334. Nari oppido, & Castello vna cum Deliæ feudo donatus? Nonne, & Pirronem eiusdem nominis equitem celeberrimũ *anno* 1361, Melitæ Marchionatu, Liparæ Comitatu, oppidis Nari, Ennæ, Soteræ, ac Mussumelis vna cum meri, & mixti imperij priuilegio, regia item benignitate muneratura legimus? Quid honoris, & gloriæ ab eodem Fiderico Vbertinus, & Gilibertus Talamanca non sunt merito assequuti? Nonne eousque Vbertini la Grua meritorum apicem scimus peruenisse, vt postea amplissimum Regis Martini, ac Reginę Mariæ priuilegium honorificentissimo stylo exaratum, verbisque omni æstimatione dignissimis exornatum (vt videre est in libris priuilegiorum Regni *anno* 1397.) quo primi Baronis oppidi, & Castri Careni fuit ob insignia Regiæ Coronæ præstita seruitia titulo insignitus, etiam Sicilię Proregis *anno* 1429. meruit dignitate fulgere, totiusque Regni habenas moderari? Sed quam grauia, quam honorifica, quam energiæ plena huius priuilegij verba, quã regia dignus benignitate tenor, & stylus, silentio pręteriri nefas esse ęxistimo, & quamquam tibi notissima sint dignissime Princeps, ne quęso graueris si ad Lectoris curiositati, propriæque mentis oblectationi satisfaciendum, ea hic apponam; sunt autem ista. *Dum ergo placide contemplamur grandia, notabilia, & fructuosa seruitia prestita per nobilem, & dilectum consiliorum nostrorum, ac Regni nostri Siciliæ, vna cum socijs magistrum Rationalem Vbertinum de la Grua Panhormi Militem, ab annis suæ teneræ iuuentutis citra prædecessoribus nostris, videlicet Serenissimo Domino Regi Federico nostri dictæ Reginæ genitori, reuerendo tempore vitæ suæ, & etiam nobis dictæ Reginæ, liberando nos à Castro Ciuitatis Cataniæ, & demum à Castro Leocatæ, vbi per nostros rebelles, & proditores captiuata, & obsessa tenebamur, & postquam affuimus in hoc Regno, in eius noua reductione, & recuperatione à manibus nostrorum rebellium, & proditorum, qui ipsum nostrum Regnum tenebant occupatum tyrannide violenta, & inter se membratim diuiserant, in quibus studioso ingenio, & multis bellicosis actibus insudauit, nullis parcendo expensis, laboribus, damnis, periculis, & fortunis, sanguinem etiam suum fundere non verendo, præsertim in reducendo, & recuperando Terrã Leocatæ, eiusque castra, ac Comitatum Claramontis ad nostræ dominium maestatis, suis sumptibus, & expensis, necnon insulas Melineti, & Gandisij, vbi cum tribus Galeis nostris transfretauit, ac demum in reducendo, & recuperando felicem Vrbem Panhormi, ac plures Ciuitates, Villas, Terras, & loca, ac Castra Vallis Mazariæ, vbi eum locumtenentem nostrum, ac Viceregem transmisimus personalem, nec minus damna, carceres, & exilium, quæ passus est pro nostra fidelitate seruanda, &c.* Hactenus Martini Aragonum Regis, & Mariæ Regni Siciliæ Reginæ verba, verba dicam, an encomia, encomia potius, quam simplicia verba sunt ista, aureis litteris, & caracteribus ad perpetuum tuæ maiorum tuorum, tuæque nobilissimæ perenniterque victurę posteritatis gloriæ monumentum inscribenda, & exaranda, quorum non vulgares homines, non gregarij milites, sed Reges ipsi auctores, & encomiastes fuere. Sed de his satis, Prius enim diem adimet nox, quam tuarum, tuæque familiæ laudum,

vel

vel guttulam vnam nostra absorbebit oratio, nec hoc meum fuit institutum præclarissime Princeps quamuis nacta occasione, huc me digressum inuenio, volui potius humanitatem, ac benignitatem tuam exorare, vt perexiguum hoc, sed non exigua voluntate tibi benignissime Princeps oblatum elucubrationum mearum munusculum gratò, ac benigno animo susciperes, hilarique, ac placido (vt mea soles omnia) vultu complecteris, ac tuo tandem nomine, imo sub tui mihi semper auspicatissimi omnis vmbra in lucem prodire patereris. Quod si facere non dedignaberis nihil non optimi euentus, & opus auctori; & auctor operi iam nūc sibi iure optimo inaugurant, & auspicantur. Vale Princeps omni virtutum genere ornatissime, teque Deus Opt. Max. quam diutissime nobis incolumem seruet datum Panhormi 17. Iulij 1647.

APPROBATIO

P. HIERONYMI LA CHIANA
ex Societate Iesu.

VIdi de mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini D. Ferdinandi de Andrade, & Castro Archiep. Panor. & Illustrissimi Domini D. Lucij Denti Præsidis M. C. huius Regni Siciliæ Tomum Primum, cuius inscriptio est de Officio, & Parochi Potestate: Itemque Restitutionis onere, Auctore Reuerendo admodum Domini Don Marco Serio, nihilque animaduerti, quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus repugnet, adeoque censeo imprimendum, vt vtilem rei Christianæ futurum, cum & catholicam doctrinam illustret, ad bonos mores instituat, compescat à malis. Pan. in Collegio Societatis Iesu die 18. Martij 1647.

Hieronymus la Chiana ex eadem Societate.

APPROBATIO

REVERENDISSIMI VICARII
Generalis.

CVm Tomum Primum, cuius inscriptio est de Officio, & Parochi potestate, itemque restitutionis onere, Auctore Reuerendo admodum Domino D. Marco Serio à Patre Hieronymo la Chiana è Societate Iesu approbatum accepemus: commodo Parochorum, eorum coadiutorum, omniumque confessorum facultatem, vt imprimatur, libentissimè concedimus.

D. Franciscus Salerno V. G.

PHILIPPVS ETC.

Vicerex,& Generalis Capitaneus in hoc Siciliæ Regno Reuer. S. T. D.Dõ Marco Serio Beneficiali Rettori Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Mõserrato Suburbij extra Portã S.Georgij huius felicis vrbis Pan.oratori Regio deuoto siamo stati supplicati del tenor seq̃ete videlicet Illustr.& Ecc. Sig.Il Sacerdote D.Marco Serio Dottore in Sacra Theologia Benefitiale,& Rettore di S.Maria di Mõserrato del Burgo fora la Porta di S.Giorgio di questa Città di Palermo dice à V.E.che hauẽdo con molta sua fatica,& spesa composti dui tomi il primo cõsistẽte in dui trattati cioè de Offitio,& potestate Parochi,il secondo de restitutione,& il secõdo tomo cõsistẽti in altri dui trattati cioè il primo sopra la Sãtissima Bolla della Cruciata,& il quarto de stato Religioso, à seruitio di Dio,& di S. C. M.& à comune seruitio de fedeli, & quelli hauẽdo incominciato à stampare cõ l'ordinaria licẽza di superiori,& desiderãdo doppo stampare il secõdo suo tomo, & quelli redurli al suo desiderato fine supplica percio V.E.resti seruita cõcederli il solito priuilegio cõ ordinare,& comãdare che per spatio di anni dieci detti dui tomi consistenti in detti quattro trattati ne diuisi si possano stãpare senza licẽza dell'istesso Autore che e esso exponẽte,& tutti quelli che stãperãno tãto fuori quãto in detto Regno sẽza sua licẽza nõ li possano vẽdere ne in questa Città di Palermo ne in questo Regno di Sicilia da niuno libraro ne di altra persona sotto pena di perdere li libri di dette opere,& di pagare onze cẽto applicãdone lametà al Regio Fisco,& l'altra al reuelãte il che facẽdo V.E.lo receuerà à gratia particulare vt Altiss.&c.del quale memoriale fattane relatione per la R.G.C.in cõsiglio di cause Fiscali per noi detenuto Panormi prouittimo indorso di quello à 26. di Marzo 1647.quod quoq; possit iuxta formã pragmaticę come si vede nella Regia Secretaria.Per exequutione della quale nostra preinserta prouista per le presenti vi damo,& cõcedemo licẽza,& facultà che liberamẽte possiate ,& vogliate fare stampare,& restampare quãte volte vi piacera li sudetti dui tomi cõsistenti in 4.trattati di sopra expressati,& cõtẽti,& meglio declarati nel preinserto memoriale,& questo à nostro libero arbitrio,& volunta ordinãdo per le presenti à tutti, & singuli Off.del Regno,& precise alli stãpatori,& detentori di stampe maggiori & minori presenti,& futuri che sotto la pena infrascripta non habbiano ne debbiano senza expressa vostra licẽza stampare ne fare stampare ne restampare ne vẽdere ne far vẽdere detti prenominati libri seu tomi per anni dieci numerandi, & cursuri dal giorno della data delle presenti ; & in questo non obstãte qualsiuoglia pramatica,atto,cõditione incontrario forse dictati alli quali tutti pro hac vice tãtũ habiamo dispẽsato,& cossi exequireti ad instãtia del præsentãte,& comparẽte per lo esponẽte etiã senza procura,& exequuti li restituireti al præsentãte guardãdoui di fare il contrario per quãto la gratia di S.M.teneti cara,e sotto pena di ducati mille di applicarsi al Regio Fisco Dat.Pan.die 27.Martij 1647.

EL MARQVEZ DE LOS VELEZ Y ADELENTADO.

Dñs Vicerex , & Generalis Capitaneus mandauit mihi D.Iosep Garofalo R. I. in officio Prot. v. per de Guascone,& Castelli.

Francisco Vincentio Riggio Detentore.

† LECTO-

Memorandæ illius sententiæ numquam immemor *Diuinorũ diuinissimum esse cooperari Deo in salutem animarum*, iam inde ab ineunte ætate in votis semper habui, *Amice lector*, proximorũ saluti quoquomodo possem operam nauare, animarum lucra quærere, & licet tam præclaro, tamque arduo facinori me parum idoneum, imo prorsus indignum agnoscens, tantoque oneri valde impares mihi in esse vires persensiens, manum operi admouere non audebam, quamdam tamen animi propensionem, interioremque impulsum ad id negotij capessendum expertus semper fui; hinc non sine peculiari æterni numinis prouidentia factum reor, *vt Parrochialis Ecclesia Sanctæ Mariæ Montiferrati Suburbij nuncupata felicis huius Vrbis, ac Patria mea multis ab hinc annis mihi curæ demandata sit*, quò scilicet impensius tanti muneris obligatione obstrictus in eam operam non animi solum, sed, & corporis etiam vires intenderem, ad quam me intus vocari, imo, & impelli sentiebam. Qua potui, & si non qua debui, vigilantia, assiduitate, opere, consilio, ipsaque in primis affectione conatus sum, muneri meo satisfacere, & si quid otij nactus sum, his studijs impendere sategi, quæ, & in eumdem scopum collimarent, & certiorem me redderent, meæ me vocationi non defuisse. Hac de causa dum plures euoluerem libros ad moralem theologiam, pertinentes, multa studiose exercitationis causa, & ad iuuandam memoriam congessi, quæ ad officium, & potestatem Parochi spectant (Tractant enim fabrilia fabri) quæque apud varios, & melioris notæ auctores ea de re disputãtes inueni, in hunc, quẽ tibi iam exhibeo tractatum redegi, in quo breuiter, ac dilucide quinque Sacramenta ad Parochum principaliter spectantia explicantur, vt quæ fusius, ac prolixius apud illos circa ea, eorumque accuratam administrationem quæstiones discutiuntur, hic summatim breuitatis amatores non multo labore inuenire, præque oculis, ac manibus habere commodius possint. Boni igitur consulas *Amice lector* operis finem, auctorisque operam fortasse non parui pendẽdam, ne parui pendeas. Vnum tamen te monitum volo, consulto me plurium auctorum citationes coaceruare noluisse, quippe quæ legentibus cum numerosæ sunt, si non animi tedium, mentis saltem confusionem, vt experimur, quandoque pariunt, eaque de causa studui, quo ad fieri potuit, selectiorum opiniones sectari, & citare, eorumque, quibus omnimoda adhibenda est fides, sensui inhærere, ac testimonio vti, præterquam quod licet vnum, aut alterum dumtaxat allegem, plures tamen apud illos, si libet poteris citatos inuenire. Vale diu Deoque me commenda.

INDEX
DISPVTATIONVM DIFFICVLTATVM AC QVÆSITORVM HVIVS PRIMI TOMI
TRACTATVS PRIMI

DISPVTATIO I.

INDEX

DISPVTATIO II.

DISPVTATIO III.

DISPVTATIO IV.

An

I N D E X

DISPVTATIO V.

(†)

DISPVTATIO VI.

DISPVTATIO VII.

An

DISPVTATIO VIII.

DISPVTATIO IX.

DISPVTATIO. X.

DISPVTATIO. XI.

INDEX
RERVM OMNIVM NOTABILIVM QVÆ IN HOC PRIMO TOMO,
Primi Tractatus continentur.

A

a su-

in

fac-

D

E

ta

uas

Er-

Eu-

in

I

qui-

aliter

Pa-

re

R

Res-

vr-

FINIS

Pag.	Num.	Lin.	Errata	Corrige
1	in Proe.			
4	1	4	Inftitituta	Inftituta
4	3	21	pafceondos	pafcendos
4	3	30	Ecclefiæ	Ecclefiæ
13	4	20	ipfius	ipfius
34	21	vlt.	ponator	ponatur
41	6	18	commuratur	comburatur
45	24	4	puniendus	puniendos
80	35	11	adhæret	adderet
202	13	18	iuftititiæ	iuftitiæ
29	1	1	propenens	proponens
224	10	11	prohita	prohibita
247	4	5	parea	paria
289	5	2	inueniens	inuenies
291	1	7	deuotienem	deuotionem
		5	gererere	gerere

Alia fi forte inuenies corrige quandoquidem hæc mihi vifa funt principaliora errata.

MARCI SERIO
S. T. D.
PANORMITANI
DE PAROCHI OFFICIO, ET POTESTATE
TRACTATVS PRIMVS

PROEMIVM.

CVM in Dei Ecclesia nihil sanctius, aut vtilius, nihilque excellentius, aut magis diuinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutẽ à Christo Domino instituta ministrare. Quæ quidẽ ministratio, cum præcipue ad Parochum pertineat, inde est, quod nos ad communem omnium, non solũ Parochorum, & eorum coadiutorum, verum etiam aliorum Confessorum vtilitatem in præsentiarũ agemus. Et primo de administratione in genere. Secundo de ipsis in communi. Tertio de ijsdem imparticulari, & de ijs tantum, quorum administratio ad Parochos pertinet, cuiusmodi est Baptismus, Pœnitẽtia, Eucharistia, Extrema Vnctio, & Matrimonium, reliqua vero duo Sacramenta Confirmationis scilicet, & Ordinis cum ad Episcopos pertineant, ipsi videant. Nos vero solum breuiter aliqua circa huiusmodi duo Sacramenta obiter suis in locis aliquid adnotabimus.

Totum igitur hunc tractatum in vndecim diuidemus Disputationes, sub vna quaque earum vnicam collocabimus difficultatem, sub qua quomplura deinde ponemus Quæsita, quare vt à prima Disputatione initium sumamus sit.

DISPVTATIO PRIMA
DE SACRAMENTORVM IN GENERE Administratione.

P*Ersonam gerit Parochus Pastoris, ex illo Christi Ioan. cap.* 21. Pasce oues meas. *Vnde ad quinque præcipua Sacramenta nouæ legis considerationem iure progredimur, tamquam Materiam circa quam versari debet Parochus, vti eius ouium pastum, ad quem oues bonus Pastor deducere debet. Officium enim Pastoris, non solum est pastum ouibus non subtrahere, verum deducere ad illum. Quare animaduertat Parochus non satisfacere ministrando Sacramenta, si adeo moleste, & ægre administret, vt occasionem tribuat suis ouibus non petendi deinceps Sacramenta toties, quoties petiuissent ad mota difficultate exhibendi, modo suis in locis. Idque bono efficiat animo, ac se ad Sacramenta administranda toties, quoties opus fuerit omnibus expositum dicat. Ac proinde iure optimo* in nostra Bulla Clementis VIII. de Reformatione Parochiarum huius Vrbis Panormi edita anno 1599 Idibus Octobris incipienti. Venerabili Fratri, &c. num. 23. §. Quodque omnes, & singuli habentur hæc verba. Omnes, & singuli Rectores, ac etiam Magister Cappellanus Maioris Ecclesiæ huiusmodi, eorumque Cappellani debeant esse, Diligentes, ac Faciles, ministranda populis Sacramenta, benedictiones, sepulturas, aliaque spiritualia, iuxta eorum munus. *De Sacramentis igitur administratione in genere hic sermo erit. Et cum non sit nobis animus, hic omnia, quæ ad Parochi officium pertinent fusius pertractare, cum de his multi multa dixerint, sed dumtaxat aliqua breuiter, claritate, qua possimus adnotare circa nouæ legis tamen Sacramenta. De Sacramentis enim legis veteris tamquam abrogatis penitus ad nostrum institutum nihil conferunt. Ideo breuitatis causa, quo ad rem nostram pertinet vnicam ponemus difficultatem, sub qua aliqua collocentur Quæsita, ac proinde sit,*

VNICA DIFFICVLTAS
QVID GENERALITER SERVARE DEBEAT Parochus.

G*Raue, & formidabile onus est, quod Parochorum humeris imponitur, dum illis animarum cura committitur. Quandoquidem Pastor earum esse debet, & viatorum se esse ducem meminerit, qui ad Dei Regnum per iter arduum, perplexum, angustum, & periculosum contendunt. Quare circa animarum curam, & laborare, & solicitũ esse oportet. Nam de ijs accuratam, & exactam rationẽ reddere necesse erit, vt ex Ezech. 34. vers.* 10.

10. *habetur*. Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, *& Apost. ad Hebreos 13. vers. 17.* Obedite Præpositis vestris, & subiacere eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. *Cogitet igitur, & ponderet, quid seruare debeat Parochus circa animas sibi commissas.*

Nu. 1 ET primo, illud ante omnia perpetuo curabit Parochus, vt Integre, Caste, Pieque vitam agat, vt quacumq; diei, ac noctis hora ad Sacramenta administranda vocetur, nullū officio suo præstando (Præsertim si necessitas vrgeat) moram interponat, & ideo plurimum refert, quod Parochi suam instruant vitam iuxta præscriptū *Trid sess. 22. de refor. cap. 1. dicentis hæc aurea verba. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam, moresque suos omnes componere, vt Habitu, Gestu, Ingressu, Sermone, alijsque omnibus rebus, nil nisi graue, moderatum, ac Religione plenum præseferant, leuia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem hæc* Concilium, vide etiam *Barbos. in Trid loco supra citato cap. 1. & de Off. & Potest. Parochi par. 1. cap. 6.*

Nu. 2 Illud autem valde adnotandum est, quod habet Trid. loco supra citato statuisse scilicet sanctam Synodum, vt quæ aliàs à Summis Pontificibus, & Sacris Concilijs de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaq; retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum eisdem pœnis, vel maioribus arbitrio Ordinarij imponendis obseruētur, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinēt suspendat. Et si quæ ex his in dissuetudinem abijsse compererint, ea quampri mum in vsum reuocari, & ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstātibus quibuscumque.

Nu. 3 Quare *Barb. de Off. & Potest. Parochi par. 1. cap. 6. num. 55.* concludit. Debet igitur Parochus vitam suā ita instituere, Orationis frequentia, cibi, & potus Temperātia, corporis Castitate, loquutionis Modestia, in pauperes Misericordia, erga omnes Humanitate, & Charitate, vt quod verbis in Ecclesia populū edocet, ipse opere confirmet, ac veluti in imagine ostendat, quod alijs tamquā ad salutem necessariū, aut vtile suadet, idem consilium sibi det, & exequatur, alioquin enim apparet subditis, Pastorē non ex animo hortari ad charitatem Dei, & proximi continentiam, & temperantiam, vitiorumque omnium fugā, si videant ipsummet talia facere, quæ in alijs damnat, nam qui sibi malus est, quomodo alijs bonus esse possit, cum proximus quisq; sibi sit? *& Eccl. cap. 30. dicat Miserere animæ tuæ placens Deo.* Si inquam Pastor propriam animam sibi coniunctissimam non curat, quomodo curam aliarum geret ex animo? aut quomodo cum fructu alios excitabit ad charitatem Dei, rerumque cœlestiū desiderium, si ipse met eo igne cœlesti priuatus sit? quomodo alios exhortabitur ad temperātiæ, & castitatis virtutem, si ipsemet vino deditus, & impurus existat? quomodo commendare poterit mutuam charitatem, pacem, & mansuetudinis Christianæ decorem, si ipse met lites alat, impatientia, & iracundia æstuat.

Ac proinde cum hoc Parochi officiū tot, ac talia contineat officia, tantaque doctrina, & experientia indigeat, æquū est, vt ait *Barbos. de Off. & Potest. Parochi par. 1. cap. 7.* vt ante quā illud suscipiat, accurate consideret, & cōsideratum, ac susceptum diligenter exequatur. Vnde ad hoc vt diligenter illud exequatur, opere prætium erit considerare, quid seruare debeat Parochus imparticulari. Verum antequam ingrediamur explicare, quid seruare debeat Parochus circa Sacramentorum nouæ legis ministrationē in communi, prius ab Etimologia nominis (Parochi) incipere putaui, quare. Nu. 4

QVAERES PRIMO

Parochus vnde dicatur, & quid Parochiæ, & Parochialis Eccleſia veniat.

Nu. 1 ET quo ad primã hujus quæſiti partem, Parochum eſſe nomen Græcum, à nomine Græco deductum (Parœcus) tenet *Barboſ par.* 1.*nu.* 3. Quod quidem nomen ſignificat habere munus præbendi, quæ ad vitam neceſſaria ſunt alijs; & Cõfirmatur iuxta illud *Horatij lib.* 1 .*Sermonum Satyra* 5. Et Parochi, qui debent ligna, ſalẽq; Vnde olim apud Ethnicos, Parochi dicebantur illi, qui legatis publice Romam miſſis, ſalẽ, & ligna prębebant, ſcilicet, qui omniũ rerum copiam, legatis Regum, Principum, ác populorum hoſpicio receptis ſuppeditabant. Vnde inſtar horum, Parochos dictos eſſe in Eccleſia, quidam exiſtimant, nam ſunt Sacerdotes, auctoritate Epiſcoporum Eccleſijs Præfecti, vt plebibus, ſiue populis, ſacrum diuini verbi, & ſacramentorum pabulum ad paſceodos animos ſubminiſtrent. *Ita Barboſ. loco ſupra citato de Offic. & Poteſt. Parochi par.* 1.*cap.* 1.*num* 1.*&* 2. Alij vero Rectores vocant, vt videre eſt Barboſam *num*. 10, quia plebem, & populũ ſibi commiſſum, cum cura regunt. Curati item ab alijs dicuntur, a cura, quã de regendis ouibus ſuſceperunt, nam ſicuti Papæ commiſſa eſt cura vniuerſæ Eccleſiæ, dicente Domino, Paſce oues meas, ſic ipſe Papa vocans Epiſcopos, in partem curæ, ex ordinatione diuina, ijſdem Epiſcopis committit particulares Eccleſias, ſeu Diœceſes paſcendas; ſic tandem ipſi Epiſcopi, ijſdem Curatis curam ſingularum Parochialium cõmittunt, à quibus ſolis, vt ait *Trided. ſeſſ.* 24 *cap.* 13. *de refor*. Sacramenta oues ſibi commiſſæ ſuſcipiant. Parochus tandẽ à Parochia, ſeu Parœchia nuncupatur, ſicuti, & Parochiani, ſeu Parœchiani, eo nomine vſos fuiſſe, antiquos Chriſtianos, demonſtrat D. *Aug citatus apud Barboſam num*. 14.

Nu. 2 Quo… ſecũdam vero ſuperius quæſiti partem deſcendum arbitror. Parœchiam nomen eſſe Græcum, quod habitationem, ſeu curam ſignificat, vel ſecundum alios Parochia vocatur, quaſi partitio curæ, quia Rector Eccleſiæ curam habet animarum totius populi intra illos limites cõgregati, ita inter alios nouiſſime *Barboſ. loco ſup. cit. nu.* 15. *&* 16.

Tandem, quo ad tertiam quæſiti par- Nu. 3
tem à Parocho, & Parochia deductam eſſe Parochialem Eccleſiam reſoluit *Abbas citatus apud Barboſ. num.* 26. Et eſt, quæ habet ius conſiſtens, in animarum cura ipſorum Parochianorum, certis limitibus conſtituta, ipſis Sacramenta miniſtrans, & proprium habens Rectorem, & Parochum, *ita Aegidius* Guttier, *& alij citati apud Barboſ loco ſupra cit. nu.* 26. Quę quidem Parochialis Eccleſia gaudet priuilegio, vt infra ſuos fines, alia Eccleſia, vel Capella ędificari non poſſit, inuito eius Rectore, cum ſit in ſui præiudicium hoc facere, *ita ex cap.* Qui*cumque* 16.*quæſt.* 1. Cuius ratio eſt, quia Parochialis comprehendit, quidquid eſt infra fines eiuſdem Patochiæ, & cũ totum ipſum Solum, per fines deſignatos, ſit certo modo, in poſſe ipſius Parochiæ, non poteſt contra voluntatem Rectoris Eccleſiæ Parochialis alia Capella ędificari, ita inter alios Barboſ. *de Offic. & Poteſt. Parochi par.* 1.*cap.* 1.*num.* 26. loco ſupra citato, qui etiam *de Offic. & Poteſt. Epiſ par.* 2.*alleg.* 26.*num.* 5. habet in concedenda licentia debere Epiſcopum maxime attendere, ſi monaſteriũ, aut alterius cuiuſcumque erectio præiudicet, quoquo modo Eccleſiæ Parochiali, eo namque caſu aſſentiri minime debere, & Curato licere contradicere audiendumque eſſe in ſua petitione.

Item gaudet Parochialis Eccleſia pri Nu. 4
uilegio, vt ſoli Parochiali Eccleſiæ permittatur habere campanas, in tantum, vt nec in Monaſterijs pulſare publice, ſine diſpenſatione poſſint, vt patet *ex cap. Petentibus de priuilegijs citato apud Barboſam de Offic. & Poteſt. Parochi par.* 1.*cap.* 1.*num.* 34. §.*Simili modo.*

Ac proinde quatuor concurrere de Nu. 5
bent ad probandam Eccleſiam Parochialem, quorum Primum eſt poteſtas fori pœnitentialis, ſcilicet poteſtas ligãdi, atque ſoluendi. Secundum, certa Parochia, ſcilicet locus certis finibus conſtitutus, in quo populus alicuius Eccle-

ſiæ

fiæ deputatus degit. Tertium, vt Parochus curã exerceat nomine suo. Quartum, vt Sacerdos tamquam *Rector* suo nomine singulariter, & non cum alijs ad regimen Parochialis *Ecclesiæ* admittatur. Quare ad obstendendam Ecclesiam esse Parochialem, non sufficere, quod Rector administret Sacramẽta, nisi etiã cõstet, quod de necessitate administret, & populus ab eodem, de necessitate recipiat, resoluit inter alios *Barbos. loco supra cit. num 27. & 28. vnde num. 29.* Colligit Ecclesiam, non probari Parochialẽ ex sepultura, & actu sepeliẽdi, cum hoc sub prædictis quattuor requisitis non contineatur. Verum de hoc, & alijs præsumptionibus Parochialitatis, apud ipsum; Explicata igitur nominis Parochi, Parochiæ, & Parochialis Etymologia.

QVAERES SECVNDO.

An Parochia antiquitus erant distincta.

Nu. 1 ANtiquitus, & in primitiua Ecclesia Parochiæ distinctæ non erãt, sed Episcopi omnes, dicebantur totius Diœcesis animarum curam habentes, & Clerici curam hanc de manu Episcopi percipiebant, *ita Barbos. de Offic. & Potest. Parochi par. 1. cap. 1. num. 18.* Quamquã Baronius, & alij apud Barbosam existimauerint, ab ipsis met Apostolis factam diuisionem Parochiarũ fuisse, sed quidquid sit de hoc. Illud negãdum non est, postea cum augeretur populus christianus Dionisius Papa xxiv. post B. Petrũ singulas Ecclesias, singulis Sacerdotibus assignauit, vt vnusquisque propriũ haberet territorium, nec vnus alterius fines ingrederetur, *vt patet ex cap. 1. 13. quæst. 1. & ex cap. Pastoralis de ijs, quæ fiunt à Prælatis, ita Barbos. num. 18,* & alij apud ipsum.

Nu. 2 Et tandem, postea ad meliorem gubernationem, plura Concilia diuisiones Parochiarum fecerũt, & præcipue, *Trident. sess. 24. de refor. cap. 13.* vbi assignans rationem, ait, vt quilibet Parochus cognoscat suas proprias oues, & vt Parochiani necessario suscipiant Sacramenta à suo proprio Pastore, & hoc vt melius omnia gubernentur. Quare vnaquæque Parochia dicta fuit locus, in quo degit populus alicui Ecclesiæ deputatus, certis finibus limitatus, *ita Aegid. Bellar. apud Barbos. num. 19.* Et cum quælibet haberet suum territorium separatum, & diuisum, non amplius licitum fuit, alteri Parochiæ, in eo aliquid facere, *ita Tusch. apud Barbos. num. 21. vbi num. 22.* resoluit, nec Episcopũ deinde dici posse Rectorem, siue Parochum totius Diœcesis, sed solius Ecclesiæ Cathedralis, & Prælatus super omnes Rectores suæ Diœcesis.

Et quamqam *ex Trident sess 24 de ref. cap. 13.* concedatur facultas Episcopis, diuidendi Parochias, & constituendi eis proprios fines, & propriũ Parochũ, à quo, & non ab alio, Parochiani suscipiant Sacramenta, & ipse Parochus regat, gubernet, & cognoscat suas proprias oues, tamen huiusmodi Concilij decretum, intelligitur de illis locis, & Ciuitatibus, vbi adhuc Parochiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant; vnde Parochias, quæ licet certos fines non habeant, sed tamen certum populum tantum, & per certas familias distinguntur, vsque adeo vt Sacramenta promiscue non administrentur, non comprehendi hoc decreto tenet *Barbos. in Trident. sess. 24. de reform. cap. 13. num. 7. & de Officio, & Potest. Parochi par. 1. cap. 1. num. 23.* Nu. 3

Vnde *Hieronymus Venero de exam. Episc. lib. 4. cap. 46. num. 13* habet huius modi Concilij decretum, intelligi non solum, in illis locis, & Ciuitatibus, iam ędificatis modo supradicto; sed etiam de illis locis, & Ciuitatibus, de nouo ędificandis, vbi adhuc Parochiæ certos nõ habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, quia etiam in ijs locis Episcopus ex vi huius decreti habet amplissimam diuidendi potestatem Parochias, & eas de nouo ędificandi ita Venero. Nu. 4

Quod si in vna Ciuitate, vel loco per tempus immemorabile, sit sola vna Parochia: & si hodie Populus sit numerosus, non posse Episcopum eam diuidere in duas, vel tres, si vnus Rector non sufficiat ad administranda Sacramenta, tenet Nu. 5

net *Barbos. in Trident. sess. 21. de reform. cap. 4 num. 3. & 4.* Poterit tamen cogere Rectorem, vel alios ad quos pertinet, vt sibi tot Sacerdotes, ad hoc munus adiũgat, quot sufficiunt ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinũ celebrandũ, *ita Tridẽt. sess. 21. ca. 4. quod etiam sequitur* Barbos. *num. 4. vbi num. 2.* habet non debere expectari, quod Parochiani decedant sine Sacramentis, vt Episcopi cogant Rectores, sibi adiungere alios Sacerdotes, in Ecclesijs Parochialibus, in quibus populus, ita numerosus est, vt vnus Rector, non sufficiat.

Nu. 6 Quare, vbi etiam propter locorum distantiam, aut difficultatem, Parochiani, sine magno incommodo ad percipiẽda Sacramenta, & diuina officia audienda, accedere non valent; nouas Parochias asserit *Trident. loco supra cit.* esse cõstruendas, etiam inuitis Rectoribus, quare Episcopi, tamquam Apostolicæ sedis delegati illas construere possunt: *ita etiã Barbos. de Offic & Potest. Parochi par. 1. cap. 1. nu. 25.*

Nu. 7 Facta autem diuisione, si primitiuæ decimæ, & fructus dictæ Ecclesiæ non sufficiant, ad substentandum duos, aut tres ministros, decreuit *Trident. loco sup. cit cap 4 Pro victu & substentatione noui Parochi, fructus assignentur, arbitrio Episcopi ad Ecclesiam Matricem, quommodolibet pertinentes, aut si necesse fuerit compellat populum Ecclesiæ nouiter erectæ, ad necessaria eidem Sacerdoti subministranda, hæc Concilium. Ita etiam Barbos. loco supra cit. num. 25.* vbi inter alia habet. Nec Episcopi in hijs, quæ pertinent ad curã animarum propter Parochos excludũtur, quia omnes animæ Diœcesis, sunt commissæ sub potestate Episcopi, & qui libet de Diœcesi dicitur esse Parochianus Episcopi.

Nu. 8 Ex quibus, collige Parochianis Parochiæ, quæ intra mœnia Ciuitatis includitur, qui quidem Parochiani extra Ciuitatem habitant, & ob locorum distantiam, seu difficultatem patiuntur incommoda, in percipiendis Sacramẽtis, & diuinis officijs, succurrendum esse remedio huius decreti *ita Barbos. in Trident sess. 21. de refor. cap. 4. nu. 6.* Quare si saltem noctu non petat accessus, ad antiquam Parochiam existentem intra mœnia, iusta subest causa, aliam Parochiam extra Ciuitatem erigendi, *ita Barbos. de Offic. & Potest. Episc. par. 3. alleg. 68. num. 1, & in Trident. sess. 21. de refor. cap. 4. num. 6.* vbi habet hanc nouam Capellam, non debere esse per se, sed in proprietate Ecclesiæ antiquæ, & debere poni Sacerdotem ammouibilem, approbatum ab Ordinario, qui administret Sacramenta illis, qui sunt extra Ciuitatem, quibus non potest in nocte, quia portę Ciuitatis clauduntur.

Sufficiens item causa erit, construendi nouas Capellas, extra Vrbem, modo supradicto quoties Parochiani Ruri cõmorantes cogantur venire ad suam Parochiam, in Vrbe sitam, quia cum id decenter facere nõ possint, cũ mulieribus, & familia cõmuniter indutis, rustico habitu, præsertim diebus solẽnioribus, se cõmiscẽdo honestioribus, ac ditioribus, idoneam dant causam erigendi nouam Parochiam, ne ob disparitatem conditionis, fortunę, & morum, risui, vel ludibrio habeantur; & sic retrahantur ab audiendis officijs diuinis, ita ingeniose *Barbos. in Trident sess. 21. de reform. cap. 4. num. 7.* Nu. 9

Episcopi autem arbitrio relinqui, quantum vna Ecclesia, ab altera distare valeat, vt Parochiani Sacramenta commode, inde sumere valeant, resoluunt *Rebuffus, Menochius, Aloysius Riccius citati apud Barbos. loco cit. num. 8.* vbi etiã habet à decreto erectionis facto, per Episcopum, etiam tamquam sedis Apostolicæ delegatum, licere quidem appellare; sed solum ad Sanctissimum *ita etiam de Offic. & potest. Episc par. 3. alleg. 68. nu. 2.* vbi habet nisi ea ordinatio facta fuerit in visitatione, præcipue sine figura iudicij; quia ab ordinationibus factis, in visitatione per Ordinarium nõ appellatur, saltem quo ad effectum suspensiuum, tamquam ab executione constitutionis conciliaris. Nu. 10

Quare cum nouissimo iure, tota causæ iustitia in Episcopi arbitrio resideat, potetit ipse, quidquid dicant alij, sine maioris partis Parochianorum consensu, circa Parochiarum separationem agere *ita Riccius citatus apud Barbos. in Tridẽt. sess. 21. cap. 4. num. 12. §. Episcopum, & de offic & potest. Episc. par. 3. alleg. 68. num. 4.* Nu. 11

4. *vbi § Diligenter* habet, quo ad erectionem nouæ *Parochiæ*, obseruandam esse dispositionem textus Capitis ad audientiam, scilicet Primo, vt reseruetur ius præsentandi Rectorem, nouæ Ecclesiæ ipsi Rectori Ecclesiæ Matricis, a qua fit dismembratio, si Ecclesia antiqua cótulit de suo, pro dote nouiter Ecclesiæ erectę, quare *Nicolaus Garc. citatus apud Barb. in Trident. sess.* 21. *cap.* 4 *num.* 13. refert decisum Ecclesiam Matricem, seu Parochialem, non acquirere ius patronatus in Ecclesia fundata, intra suos limites, nisi de suo aliquid contulerit, *& num:* 14. ait ad acquisitionẽ iuris patronatus, dotem debere assignari tempore fundationis, & non post, nisi quando ex necessitate populi construitur Ecclesia.

Nu. 12 Secundo, vt eidẽ nouæ Ecclesiæ Rectoriassignentur, pro eius substentatione, pro Episcopi arbitrio, vel oblationes, & decimæ, vel in defectu, alij redditus, & fructus ad Ecclesiam Matricem pertinentes, si aliunde non habet, vnde viuat nouus Parochus.

Nu. 13 Tertio, vt competẽs honor, in ea pro facultate loci, Matrici Ecclesię reseruetur: Item in signum subiectionis, possũt reseruari Matrici Ecclesiæ, non solum decimæ ad Matricem pertinentes, de quibus prouideri potest arbitrio Episcopi, nouus Parochus modo dicto, sed etiã iura sepulturæ, & baptizandi, sed de his vide *Barbos. de Offic. & Potest. Episc. loco supra cit § Diligenter, & in Trident sess.* 21. *cap.* 4. *num.* 16.

Nu. 14 Ex supradictis iam vides, occasione multorum abusuum, & illicitarum, ac indecentium exactionum, per Ecclesiarum huiusmodi ministros fieri solitarũ, & scandalorum quoque exinde orientium in Vrbe Fœl. Pan. iure optimo Illustrissimum D. Didacum Aedo Archiepiscopum Panormitanum, virum eximię charitatis, tamquam sedis Apostolicæ delegatum, super Bullam Clementis VIII. de reformatione Parochiarum Vrbis Pan. editam anno 1599. Idibus Octobris, quæ incipit Venerabili Fratri Archiepiscopo Panormitano, &c. ad instar Dionysij Papę *cap.* 1. 13. *quæst.* 1. vbi inquit Summus Pontifex Dionysius, Ecclesias singulas, singulis Præsbiteris, dedimus Parochias, & Cemeteria, eis diuisimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus, ita vt nullus alterius Parochię terminos, aut ius inuadat, sed sit vnusquisque suis terminis contentus; post diuisionem, inquam antiquarum Parochiarum Fœl. Vrbis Pan. factam ab ipso Illustrissimo Didaco, vigore supradictæ Bullæ Clementis VIII, fecisse quandam constitutionem, quę reperitur inserta in quodã libello manuscripto, in quo insertæ sunt nõnullæ, ac varię ordinationes circa supradictas Vrbis Fœl. Panormi Parochias, qui quidem libellus conseruatur in Archiuio Archiepiscopali huius Vrbis, & ego originaliter vidi, in qua quidem ordinatione, districte mandauit dictus Illustrissimus D. Didacus, vt prætermissis antiquis Parochiarum suarum finibus, ac terminis, seu confinibus, quos apostolica auctoritate imperpetuũ abolemus, suos quisque nouos fines, per nouam totius Vrbis, in suas Parochias partitionẽ, eadem auctoritate, à nobis iã designatos, obseruent; neque vltra illos, quisq; alieno Parochiano Sacramenta ministret. Hæc Illustrissimus D. Didacus.

Collige etiam, dictum Illustrissimũ D. Didacum, iure optimo, & matura consideratione, distinxisse, & separasse Parochiam Sancti Iacobi de Maritima, & ex ea nouam constituisse Parochiam S. Mariæ Monti Serrati Suburbij huius Fœl. Pan. extra portam S. Giorgij, cum Parochiani existentes in dicto Suburbio sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, & diuina officia audienda, accedere non valebant, ad supradictam Parochiam S. Iacobi existẽtem intra Vrbem, vt mihi testati sunt nonnulli antiquiores dicti Suburbij. Accedente item consensu iurispatronatus dictæ Ecclesiæ S. Mariæ, nec non, & renunciatione portionis fructuum conuenientium, ipsi Archiepiscopo Panormitano, supra dictam Ecclesiam S. Iacobi, item, & renunciatione Capituli Maioris Ecclesię Panormitanæ, cuiuscumque iuris competentis, ipsi in dicta Ecclesia S. Iacobi, vt videre est dictam Bullam Clementis VIII. Insuper Ecclesia S. Iacobi nullam assignauit dotem, tempore fundationis, & erectionis dictæ Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ, sed dictam Nu. 15

do-

dotem, assignauit Illustrissimus Senatus Panor. vt videre est dictam Bullam; maneat igitur dicendum ex supradictis nouam Parochiam S. Mariæ, non esse regeneratam, à Parochiali Ecclesia S. Iacobi, tamquam Matrice, sed esse vnam per se Parochiam sicuti, & cæteræ enumeratæ in dicta Bulla Clementis VIII, vt infra dicam, quibus omnibus dotem assignauit, ac proinde ius patronatus in his Parochialibus Ecclesijs acquisiuit Illustris Senatus Panormitanus, vt constat ex supradicta Bulla Clemētis VIII

QVAERES TERTIO.

Quid requiratur ad acquirendum ius patronatus, & an Episcopi consensus in constructione requiratur.

Nu. 1 VErum ante omnia aduerte Iuspatronatus Ecclesiasticum, tam per laicos, quam per clericos, tribus potissimum modis acquiri, Fūdatione scilicet, Constructione, & Dotatione, ita inter alios doctissimus *Barbos. de Offic. & Potestate Episc. par. 3. alleg. 70. num. 1.* vbi reddens rationem ait, Patrono, namque fundanti, seu construenti, aut dotanti deberi honorificam in Ecclesia, non solum in sessionibus, vt in altiori sedeat loco, in processionibus, vt sibi dignior locus assignetur, sed etiam in præcedentia, dū exhibentur communia obsequia, vt scilicet primus admittatur ad osculum pacis, sic etiam primus de laicis thurificetur.

Nu. 2 Fundare vero, is dicitur Ecclesiam, qui assignat Fundum, in quo construi debet Ecclesia *ita Barbos. loco sup. cit. nu. 2. vbi nu. 3.* habet, quòd si quis dat Fundū, pro Ecclesia construenda, & alter eam construit, & alter eam dotet, omnes esse patronos; vnde ex sentētia aliquorum, qui habuerit, aliquod ius super fundo, in quo construitur Ecclesia, veluti si ille vtile, alter vero directum dominium habeat, si consentiat constructioni effici compatronum *vide Barbos. in Trident. sess. 14. cap. 12*

Nu. 3 Construere vero, dicitur is, qui facit expensas in construendo Ecclesiam, nō autem faber, qui eam construit, nisi operam suam ponat gratis vt sit patronus, vnde ex sola reparatione Ecclesiæ, ius patronatus, non acquiritur, nisi de nouo construatur, & totaliter restauretur; quare non sufficit fundare, & construere Ecclesiam, sed requiritur illius perfectio, & ideo si quis cœpit tantum ædificare, & alius perficiat, perficienti acquiritur iuspatronatus *ita Barbos. de Offic. & Potest. Episc. par. 3. alleg. 70. nu. 7. & 8.* & alij apud ipsum.

Dotare tandem, dicitur is, qui Ecclesiam dotat, & debet assignari dos sufficiens, ad necessaria ministrorum, & ad luminaria, ita inter alios *Barbos. loco sup. cit. num. 9. &* 10. quare si rei veritate, dos Ecclesiæ assignata insufficiens sit, dotans, non fit patronus, his igitur adnotatis. Nu. 4

Vt ad primam Quæsiti partem respō deamus, ad acquirendum iuspatronatus, non requiri hæc tria cōpulatiue, scilicet Fundum, Constructionem, & Dotem, sed vnum sufficere *tenet Barbos. in Trident. sess. 14. cap. 12. nu. 16.* qui pro se citat complures Doctores, quamquam alij apud ipsum *num. 17.* contrarium existiment, nempe ad acquirendum ius patronatus, tria copulatiue requiri, scilicet Fundum, Constructionem, & Dotem, siue ab vno, siue à diuersis. Nu. 5

Ex hoc collige, Illustrem Senatū Panormitanum, habere iuspatronatus, præsentandi, in vacatione Parochiarū, Fœl. Vrbis Pan. stante dotatione facta, quæ ad sex millia octigenta, & decem, & septem scuta annua, & sex tarenos monetæ Regni Siciliæ annuatim ascendit, super gabellis farinæ, carnis, vuarū, vini, &c, vt videre est Bullam Clementis VIII. supra citatam, in qua inter alia habetur *Senatui constituta donatione prædicta, conceditur in ampla forma, ius perpetuum præsentandi Rectores idoneos, pro tēpore existenti, Archiepiscopo præfato, ad audiendas confessiones, simpliciter, antea deputatos, ac per sex menses, vt minimum in eis exercitatos, & ab eodem Archiepiscopo postea præuia diligenti examine approbādos, & confirmandos ad præfatas Ecclesias.* Nu. 6

Ad secundam Quæsiti partem respō dēdum censeo, ex predictis tribus caussis, iuspatronatus acquiri, interueniente auctoritate, & consensu Ordinarij, & nō aliàs *ita Barbos. de Offic. & Potest. Episc. par.* Nu. 7

par.3.alleg.70.num.20.vbi nu.23. habet huiusmodi consensum præstandum esse, ab Ordinario illius loci, in quo fundatur Ecclesia,& semper requiritur Episcopi consensus,siue sit laicus, siue clericus,qui Ecclesiam fundat.

Nu. 8 Quare ex hoc collige, Episcopum,ex priuilegio,non posse facere aliquem Patronum, vnius Capellæ, vel Ecclesiæ, qui non fundauerit,construxerit,vel dotauerit Ecclesiam ipsam, vel Capellam modo supradicto,cuius ratio est,quia, ius patronatus,non potest competere, ex concessione, & priuilegio Episcopi, eum non possit Episcopus concedere iuspatronatus,super Ecclesia libera,sine auctoritate Papæ,nam non potest Episcopus rei sacræ, sine legitima caussa, hanc seruitutem iurispatronatus imponere,*ita inter alios Barbos.de Offic. & Potest.Epis.par.3.alleg.70. num. 25. & alij quam plures apud ipsum.*

QVAERES QVARTO.

An Episcopus debeat præsentatos à Patronis instituere, & quas qualitates instituti debent habere.

Nu. 1 ET licet *in Trident.sess. 14. de reform. cap.13 habeatur. Non liceat pretera Patrono, cuiusuis priuilegij prætextu, aliquem ad beneficia sui iuris patronatus, nisi Episcopo loci Ordinario,ad quem prouisio,seu institutio ipsius beneficij cessante priuilegio iure pertineret,quoquo modo præsentare,alias præsentatio, ac institutio forsan, & secuta nullæ sint, & esse intelligantur. Hæc Trident.* Quod quidem decretum intelligendum esse,quò ad examen dumtaxat ab Ordinario faciendum de persona præsentati putat *Barbos.in Trident. sess.14.cap.1.* inde est,quod nos apposuimus hoc Quæsitum,

Nu. 2 Verum ante omnia, aduerte præsentationem in beneficio iuris patronatus, fieri per patronos,vel existentes in quasi possessione,quando Ecclesia vacat, *vt patet ex cap.illud de iure patr cap. vlt. de conceß.præb.* quare non possunt promittere se præsentaturos aliquem ad beneficium vacaturum,nec alicui dare potestatem præsentandi ad illud, antequam beneficium vacet *ita Barb.de Offic. & potest.Epis.par.3.alleg.72 nu.1.vbi num. 5.* reddit rationē, quia licet Patronus in habitu habeat ius præsentandi, illud tamen non habet in actu, nisi à tempore vacationis,quæ valde adnotanda sunt.

Quare vt primæ Quæsiti parti satis faciamus, respondeo dicendum, solos Episcopos,de iure communi posse,præsentatos à Patronis, & per examen idoneos repertos instituere, ita inter alios *Barb.s de Offic.& Potest.Epis.par.3.alleg. 72 num.176.vbi num. 181.* habet Vicariū Episcopi,sine speciali facultate posse confirmare electos,& instituere præsentatos. Nu. 3

Capitulum Sede vacante, quamuis, non possit beneficia conferre, quæ ad collationem Episcopi spectāt,potest tamen præsentatos clericos à Patronis admittere,atque instituere *ita Barb loco supra cit.num.182.& in Trident.sess.14.ca. 13.num.3.* Nu. 4

Vt autem ad secundam Quæsiti partem respondeamus,eas qualitates quærimus, quæ ad Parochos præsentandos requiruntur,*& secundum Concilium Tridentinum sess.7.cap.3.* asserens inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curā animarum habentia personis dignis, & habilibus conferantur, & persona idonea elegatur;idonea autem persona in hac materia dicetur, prædita morum grauitate,ætatis maturitate, & litterarū scientia *ita Barb.de Offic. & Potest. Parochi par.1.cap.2.nu.2.* Nu. 5

Et primo morum grauitatē, seu probitatem debet habere is, qui ad huiusmodi beneficium eligi desiderat,vnde, qui constitutus est in crimine mortali, vt inimicus est Christi, ita indignus est stipendijs,de illius patrimonio sumendis *ita S.Tho.2.2 quæst.63.ar 2 & colligitur etiam ex Trid.sess.25.de refor.cap.1.* Nu. 6

Secundo debet habere ætatis maturitatem,quæ scilicet 25. annum attingerit *ita Barb. de Offic. & Potest. Parochi par.1.cap.2. num. 6.* vbi inter alia habet huiusmodi vigesimumquintum annū, non requiri completum, sed inceptum sufficere,*& nu. 8.* habet Episcopum dispensare non posse,vt quis ante 25.annū inceptum Parochialem Ecclesiam valeat obtinere. Nu. 7

Tertio requiritur litterarum scientia Nu. 8
B illa

illa, scilicet, quæ ad fidem, moresque pertineat, & salutarem doctrinam tradendam satis sit, quin immo humanarum legum cognitio, non procul ab illis, qui ad Parochiales desiderant promoueri, esse debet, non tamen scire cogantur, omnes legales difficultates, sed ea, quæ populus credere, & obseruare debet ex lege *ita Barb. loco supra cit. num.* 10.

Nu. 9 Quin imo sufficiet, vt colligitur *ex Trident. sess. 5. de refor. cap.* 2. vt tanta sit eorum scientia, qua plebem sibi commissam pro sua, & eorum capacitate pascãt salutaribus verbis docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis, cum breuitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cœlestẽ gloriam consequi valeant.

Nu. 10 Summopere animaduertendum cẽseo, ne post electionem factam, & collatam sibi Parochialem, existimet Parochus, siue Rector, se non amplius de doctrina, & litterarum rationem redditurum, quia *Sacra Congregatio Concilij in vna Placentina sub die 6. Augusti 1618.* censuit liberum esse Episcopis, tam in visitatione, quam extra iterum examinare super doctrina, & litteratura Parochos approbatos, nec non superadueniente rationabili causa, & suspicione ignorantiæ, si illiterati reperiuntur, potest Episcopus, tanquam apostolicæ sedis delegatus, coadiutorem deputare vt *ex Trid. sess.* 21. *cap.* 6, sed de hoc infra.

Nu. 11 Quare per nostram Bullam de refor. Parochiarum huius Vrbis Fœl. Pan. cõcessam à Clemente VIII. supra à nobis citatam, vltra hanc scientiam requiritur etiam, vt antequam præsententur, à Senatu Panormitano, quos præsentare vult ad Parochiales Ecclesias, quæ pro tempore vacant, ad audiendas confessiones simpliciter, antea sint deputati, ac per sex menses, vt minimum, in eis sint exercitati, & ab eodem Archiepiscopo postea præuio examine approbati, & confirmati ad præfatas Ecclesias *hac in nostra Bulla nu. 15. infra ponenda.*

Nu. 12 Requiritur etiam ex nostra Bulla Clementis VIII. supra citata, vt tam Magister Capellanus Maioris Panormitanæ Ecclesię, quam vniuersi Rectores Parochiarum, huius Vrbis Panormi sint, & esse debeant Ciues eiusdem Ciuitatis. Vbi aduertas Summum Pontificem *num.* 16. dixisse, debere esse Ciues eiusdem Ciuitatis, non autem dixisse debere esse Ciues oriundos, aut adoptatos per priuilegia eiusdem Ciuitatis, ad hos excludẽdos, sicuti semper, & à principio Reformationis Parochiarum huius Vrbis Fœlicis Panormi Illustris Senatus hos oriundos Ciues, aut adoptatos nunquam præsentauit, neque presẽtat, sed semper præsẽtauit, & præsentat, Ciues eiusdem Ciuitatis originarios. Vnde his annis præteritis, in vacatione Parochialis Ecclesiæ S. Nicolai Albergariæ, fuit quidam vir nobilis, qui extra hanc Ciuitatem Panormitanam natus erat, licet eius Pater Panormi ortus fuerit, & eius domicilium erat Panormi, cũ extra Panormum reperiebatur, ob non nulla agenda negotia in seruitium Regis Catholici tempore, quo natus fuit eius filius, nihilominus tamen Illustris Senatus talem filium ortum extra hanc Ciuitatem non præsentauit, quia licet Ciuis oriundus Panormi dicatur, vt infra tamẽ non dicitur originarius Ciuis, de quo loquitur *Bulla Clementis VIII. de refor. Parochiarum huius Vrbis §. Qui quidem Magister nu.* 16, de qua infra.

Verum ad maiorem huius nostræ propositionis explicationem, animaduertere licet multa, quæ habet Franciscus Salernus, vir doctissimus, Canonicus, & Vicarius Generalis huius Panormitanæ Ecclesiæ Dom. & amicissimus meus, *consil.* 2. *lib.* 1. vbi quærens, an solis oriundis Siculis, competat alternatiua in beneficijs, Regni Siciliæ; *nu.* 1. explicans nomine oriundi, quid intelligatur, tandem *nu.* 4 ait hoc igitur loco, oriundi nomine intelligi non solum ortum, seu natum in Sicilia, quamuis eius pater, alibi natus sit, sed etiam oriundũ, cuius pater in Sicilia natus est, licet filius alibi nascatur, & quidem quod attinet ad ortum, nemo est, qui dubitet Alternatiuæ priuilegio frui. Quod vero spectat, ad oriundum, ex paterna natiuitate decisũ fuit anno 1639 per supremum Italię Senatum Illustrissimum D. D. Franciscum de Elia eodem priuilegio frui, quampis extra Regnum natus sit, Nu. 13

sit, cum eius pater in Sicilia ortus fuerit, ac proinde eius præsentatio ad Episcopum Syracusanum effectum sortita est.

Nu. 14 Aduertas secundo *ex Salerno.num.* 5. hic, oriundum quidem dici à natiuitate, tum propria, tum paterna, tam quo ad temporalia, tam quo ad spiritualia. Ex origine autem Aui, non dicitur nepos originarius, seu oriundus illius loci, in quo Auus natus est, quia alioquin in infinitum progredi valeremus. Item aduertas solam patris originem ad id sufficere, non item matris, cuius originem filius non sequitur, nisi forte filius esset illegitimus, aut vulgo Quæsitus, qui matris originem sequuntur, sicuti cum deest paternum domicilium sequendum est maternum. Expositus vero, absque dubio, censetur oriundus eius loci, in quo expositus est hæc Salernus. At vero an in concurrentia, cum originario sit præferendus, de hoc alibi nos dicemus.

Nu. 15 Item aduertas *ex Salerno loco sup. cit. num.6* solam natiuitatem paternam, aut propriam non sufficere, ad hoc, vt quis oriundus dici possit, illam enim debet parentum domicilium comitari, ita vt, si quis alicubi nascatur, non tamen inibi eius parentes domicilium contraxerint, hic oriūdus illius loci censeri non possit. Vtrumque igitur requiritur, puta, & natiuitas propria, vel paterna, & parentum domicilium, & vnum sine altero non sufficit, nam domicilium solū, etiam vltra decem annos, incolam quidem facit, seu domiciliarium, non tamē ortum, seu oriundum; natiuitas item sola, absque domicilio insufficiens erit, veluti, si quis fortuito, ac per transennā nascatur in aliquo loco, in quo domicilium à parentibus contractum non sit, hic ex eo loco oriundus dici nō potest. Vnde in mari natus originem habere dicitur, vbi pater domicilium habet; ex his igitur *num.* 7. §. 2. concludit solis oriundis Siculis, modo supra explicato, & neutiquam cæteris, priuilegio Siculis iure competere alternatiuam in beneficijs Ecclesiasticis Regni Siciliæ, quia vt *Salernus conf.2.lib.1.§.1.n.3.vers. Sed id*, probat Alternatiuæ priuilegiū, cōcessū fuisse Siculis, vbi in eo dicitur *(oriūdi tātum di lo ditto Regno)* nomine autem oriundi, iam probat *Salernus num.* 4. cōprehendi tum ortum, tum etiam oriundum ex paterna natiuitate, ergo solis Siculis oriundis, modo explicato cōmpetit alternatiuæ priuilegium, verum de hoc apud ipsum.

Illud autem, quod facit ad nostrum institutū est, aduertere, quod habet *Salernus consil.* 2.*lib.*1.§.2.*num* 14. Cum quispiam ciuitate aliqua donatur, priuilegio sane amplissimo, vt scilicet in omnibus, & per omnia, vt verus Ciuis habeatur: nihilominus ei, non intelligitur cōcessa ea, quæ Ciuibus originarijs, extra ordinario iure, ac priuilegio, sed quæ ordinario iure competunt. Nu. 16

Cæterum animaduertas, quod habet *idemmet Salernus num.*20. licet ciuilitas, plures sub se contineat species, tamen non quælibet, sub se contenta, vera ciuilitatis species censenda est, nam forma denominans (vt Logici loquuntur) huius denominariui nominis (Ciuis) procuIdubio ipsa ciuilitas cēsenda est, vox enim (Ciuis) est, quodam concretum nomen, demonstrans subiectum, ac formam ipsam, nempe hominem, & ipsam ciuilitatem, eidem inherentem, quæ quidē in originario Ciue inest ipsamet natura, absque vlla nostri operatione intellectus, at in Ciue per priuilegium in esse fingitur ab intellectu: quare primo, & principaliter, per ciuilitatem, illud significatur, quod re, & natura ipsa, Ciuis denominatur per formam, quæ ipsi absque vlla intellectus operatione inheret, quæ est ciuilitas, & improprie, & minus principaliter id, quod eam obtinet, ex intellectus nostri operatione. Maneat igitur, licet ciuilitas, plures sub se cōtineat species, tamen originaria ciuilitas, est principale Analogatum, ad quod cæteræ dicunt attributionem, & respectum, vt in similibus Logici raciocinantur. Nu. 17

Ex his igitur adnotatis, iā patet, quid dicendum ad rem nostram. An scilicet Magister Capellanus, Maioris Panormitanæ Ecclesiæ. Cæterique Parochi huius Fœlicis Vrbis Panormi, debeant esse Ciues originarij, & nati Panormi, & licet superius affirmatiue responsum sit, tamen ne aliquam relinquamus, circa hanc tam claram assertionem affirmatiuam, suspicionem: probari etiam Nu. 18

B 2 potest

potest efficacius hoc modo, Ciues eius dẽ Ciuitatis, de quibus loquitur *nostra Bulla, infra ponenda* § *Qui quidem Magister Capellanus nu. 16, &c* sunt illi, qui veri sunt Ciues originarij, & nati Panormi, At, qui casu natus est v. g. in aliquo loco, vbi eius parentes domicilium non habent, sed adeunt ad tempus, caussa alicuius negotij expediendi, non dicitur verus Ciuis originarius, & natus in loco, vbi eius parẽtes domicilium habẽt. Maneat igitur, qui casu nascitur in loco, vbi eius parentes domicilium non habent, non dici verum Ciuem originarium, & vere natum in loco, vbi eius parentes domicilium habent. Maior huius silogismi, patet *ex Bald l. 1. num. 2. C. de iure ann. aureor.* vbi habetur veros ciues: censendos esse originarios, vti etiã probat *Salernus consil. 2. lib. 1* § *3. nu.* 19. Minor etiam probatur ex doctrina *Sanchez lib 3 de matrim. disp. 23 num.* 3. vbi habet, natum in loco, vbi eius parentes domicilium, non habent, sed aderant ad tempus, caussa alicuius negotij expediẽdi, non esse originarium loci, in quo natus est, sed fingi natum in Ciuitate, in qua parentes habitationis domicilium sortiebantur & mater, quæ habebat animum reuertendi, fingitur, semper fuisse in Ciuitate. Et hoc adèo verum esse, vt licet parentes decennio, & vltra ibi steterint, non dici filium ibi natum, sed in loco vbi parentes habent domicilium. Hæc Sanchez, quæ valde adnotanda cum sint noua.

Nu. 19 Ex qua doctrina, manifeste patet, qui fingitur esse natum in loco, vbi parentes habent domicilium v. g. Panormi, non esse verum Ciuem originarium Panormi, cum sit Ciuis Panormi, per fictionẽ, & per intellectus operationem, & non re, & ipsa natura, modo supra dicto *ex sapientissimo, & prudentissimo Salerno nu.* 20.

Nu. 20 Et confirmari etiam potest; nostram Bullam Clementis VIII. loco supra citatam, loqui de veris Ciuibus originarijs, & non fictis, & per operationem intellectus: nam praxis Panormitana, semper hoc obseruauit, & semper ab Illustri Senatu Panormitano, hoc obseruatum est, vt solum, & dumtaxat præsententur in vacatione Parochiarum huius Vrbis, Ciues originarij, pœnitus exclusis, quibuscunque alijs, quommodocunque Ciuibus vocatis, ab illarum Ecclesiarum adeptione. Maneat tandem dicendum, neminem esse, vnquam tẽpore, qui dubitet, ficte ciues vocatos, præsentari posse, cum sit contra Bullæ verba, & praxim Panormitanam, & primæuam intentionem Illustris Senatus Panormitani, secundum quam, tunc tẽporis, ad Clementem VIII. supplicatũ fuit, & semper ab omnibus Panormitanis ita intellectum est, omnibusque exteris laudatum tanquam quid iustum.

QVAERES QVINTO.

Quommodo se gerere debeat Episcopus, in vacatione Parochialis Ecclesiæ.

Statim occurrente Parochialis Ecclesiæ vacatione, *iuxta Tridentini determinationem sess. 24. de reform. cap. 18. Habita notitia vacationis cuiuscunque Parochialis Ecclesiæ, debet Episcopus, si opus fuerit, idoneũ in ea Vicarium, cum congrua eius arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera illius Ecclesiæ sub-stineat, donec ei de Rectore prouideatur.* Qui quidem Vicarius, secundum sẽntentiam aliquorum, *apud Barbos. de Offic. & Potest. Episc. par. 3. alleg. 60. num.* 2, assignandus & deputandus cum congrua non est necessario examinandus, modo sit idoneus; vbi etiã aduertit, licet *Trid. loco cit.* dicat (*statim*) posse tamen Episcopum constitutionem huiusmodi Vicarij, vsque ad tres dies, à die notitiæ vacationis, non autem vlterius, differre, constitutum semel Vicarium cum congrua, non posse remoueri sine caussa, quia Episcopus non retractat, quod fecit, pro exequutione Concilij. Hæc sũt, quæ Episcopus antequam deueniat ad concursum, facere debet in Parochialis Ecclesiæ vacatione. Nu. 1

Insuper, post deputatum in vacanti Ecclesia Rectorem, intra decem dies, est edictum proponendum, & totidem remanere debet affixum ad vuluas Ecclesiæ, *ita Barbos. de Offic. & Potest. Episc. par. 3. alleg. 60. num. 12, & de Offic. & Potest. Parochi par. 1. cap. 2. num.* 40, vbi habet Sacram Congreg. Concilij in vna Nu. 2

Tibur-

Tiburtina sub die 28. Aprilis 1629. cen suisse eueniente vacatione Ecclesiæ Parochialis, posse Episcopum intra quattuor, vel sex menses respectiue, à die vacationis apponere edictum pro concursu dictæ Parochialis, at non potest appo ni, cum maiori termino viginti dierū; vnde *Nicol. Garc citatus apud Barb. loco proximo citato num.* 40. habet, quod si ante lapsum termini, examen, & concursus fiat, esse nullum.

Nu. 3 Termino autem decem, vel ad summum viginti dierum elapso, nullus est admittendus ad examē, nisi, qui descripti fuerint, vt habetur *ex Trident. sess.* 24. *cap.* 18. vbi habentur hæc verba. *Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint examinentur ab Episcopo, siue eo impedito, ab eius Vicario Generali, atque ab alijs examinatoribus, non paucioribus, quam tribus.*

Nu. 4 Examen, statim elapso termino edicti, potest inchoari per Episcopum, siue eo impedito ab eius Vicario Generali, sed non potest eadem die claudi, vbi plures fuerunt descripti, quia sunt expectandi, vel vocandi, alioquin vitiabitur cōcursus, si ex pluribus descriptis, vnus, aut non omnes examinentur, & alijs nō expectatis claudatur concursus *ita Barbos. in Trident sess.* 24. *cap.* 18. *num.* 75. *& de Officio, & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 2. *num.* 46 *vbi num.* 49. habet vno tantum comparente, ex pluribus descriptis, posse fieri concursum, nec opus esse, vt ponatur secundum edictum.

Nu. 5 Examen igitur, faciendum est ab Episcopo, siue eo impedito ab eius Vicario Generali modo dicto, atque ab alijs examinatoribus scilicet synodalibus, & possunt adhibere in concursu, plus quam tres examinatores synodales, sed non pauciores *ita Barbos. in Trident. sess.* 24. *de reform cap.* 18 *num.* 78. *&* 79. vbi habet examen factū ab examinatoribus non synodalibus, esse nullum, & inualidum, & collationem deuolui ad sedem Apostolicam, *& de Offic. & Potest. Parochi par.* 1. *cap.* 2. *num.* 52. *vbi num.* 71. habet concursum esse nullum, in quo cū examinatoribus synodalibus interuenit alter, qui non est examinator synodalis, quos quidem examinatores synodales, non potest Episcopus eligere, nisi sint Doctores, seu Magistri, aut Licentiati in Theologia, aut iure canonico, si extent, alioquin aliquos Clericos esse eligendos, qui ad id munus idonei videbuntur, resoluit *Barbos. num* 74. *vbi nu.* 76. ait debere quoque iurare, alioquin cōcursus coram eis habitus vitiabitur, *& num.* 77. subdit esse de forma, vt præstetur huiusmodi iuramentum tactis sacrosanctis Euangelijs, *& nu.* 78. asserit posse præstari extra synodum in manibus notarij, *& Homob. citatus apud Barb.* tradidit probari per attestationem notarij, & litteras ipsorum examinatorum, & ideo Sacra Congreg. Concilij in vna Bisignanen. sub die 2. Decēbris 1628. censuit concursus factos, non præstito iuramento, ab examinatoribus synodalibus, fuisse nullos, sed ex gratia conualidandos. facto verbo cum Sanctissimo, qui confirmauit, & conualidauit.

Examinatoribus huiusmodi, non potest quidquam dari, occasione examinis, nec ante, nec post, alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quam alij dantes incurrunt, à qua absolui nequeunt, nisi demissis beneficijs, quæ quommodocunque etiam ante obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles redduntur, ita expresse habetur *ex Trid. sess.* 24. *cap.* 18. *vers. caueant nequicquam*, verum circa hoc vide *Barbos. in Trident sess.* 24 *cap.* 18. *nu.* 106. *& de Officio & Potest. Parochi par.* 1. *cap.* 2. *num.* 79. *& de Potest. Episc. alleg.* 60. *num.* 52 *cum seq.* Nu. 6

*De*mum per acto examine, vnum ex approbatis ab huiusmodi examinatoribus synodalibus, quem Episcopus iudicauerit, prouidere, de vacante Ecclesia, eliget, quia non ad examinatores, sed ad Episcopum solum, iudicare spectat, quis ex concurrentibus, sit magis idoneus, & ex approbatis magis idoneum eligere *ita Barbos. de offic. & Pot. Parochi par.* 1. *cap.* 2. *num.* 90 *&* 91. *vbi num.* 94. ait electionem factam, de magis idoneo, significandam esse, intra quatuor menses, & si fuerit transmissa, nec peruenerit, ad manus collatoris, intra dictum tempus, prouisio deuoluitur. Nu. 7

*E*lectionem autem, & prouisionem, in concursu Parochialium factam, de digno, omisso digniore, esse nullam, & subreptitiam tenet *Barbos. de Offic. &* Nu. 8

Potest.

Potest. Parochi par. 1. cap. 2. num. 95.

Nu. 9 Et quidem aduerte, neminem proui deri debere, de Parochiali, sine præuio huiusmodi examine, vel concursu, alioquin prouisio, esset omnino nulla *ex con stit. Pij Quinti inserta apud* Barb *de Offic. & Potest. Episc. par. 3. alleg. 60 num. 12.*

Nu. 10 Aduerte tamen, in vacatione Parochialium, quæ sunt iuris patronatus laicorum, examen per concursum fieri nõ debere, sed sufficere, quod deputatus à patronis examinetur ab Episcopo, vel eius Vicario, & examinatoribus synodalibus, modo supra, & idoneus iudicetur *ita ex* Trid. *sess. 24. cap 18. ita etiam* Barb. *de Offic. & Potest. Parochi par. 1. ca. 2. nu. 129. de Potest. Episc. alleg. 60. nu. 18.*

Nu. 11 Quãdo vero, in vacatione Parochialium de iure patronatus laicorum, plures sunt præsentati, requiritur examen, per concursum inter ipsos præsentatos tantum, vt ex his, qui per acto examine, ab examinatoribus synodalibus denũciati sunt, Episcopus eum eligat, quem cœteris, magis idoneum iudicauerit, atque illum, & non alium instituat, vt expresse habetur *ex Trident. sess. 24 cap. 18 ita etiam* Barb. *in Trident. sess. 24. cap. 18. num 146, & de Offic. & Potest. Parochi par. 1 cap. 2. nu. 130. & de Offic. & Potest. Episc. par 3. alleg. 60. nu. 19.* vbi item ait, & si etiam ius patronatus deuolutum ad Ordinarium sit, debere per cõcursum pro ea vice conferri, & examinatores, tenentur in huiusmodi concursibus de Parochialibus, examen facere, de Aetate, Moribus, Doctrina, Prudentia, & alijs rebus, ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis *ita ex* Trident. *dicto cap. 18.*

Nu. 12 Aduerte autem, quod habet Barbos. *in Trident sess. 24. cap. 18. num. 151.* præsentatum à Patronis laicis ad Ecclesiã Parochialem, de iure patronatus laicorum sufficere, quod examinetur coram alijs examinatoribus, non synodalibus, & ait ita fuisse decisum *sub die 19. Decembris 1620.*

Nu. 13 Aduerte etiam, Parochialem Ecclesiam conferri posse, etiam ei, qui Sacerdos, nõ est tempore prouisionis, si tamẽ ei, conferatur in titulum, & non in cõmendam, quia vt sic, debet statim ei deseruire, vti habet Barbos. *de Offic. & Pot. Parochi par. 1. cap 5. num. 4. vbi num. 2.* ait posse conferri ei, qui Sacerdos, non est tempore prouisionis, si tamen in ea sit ætate, & aliàs idoneus, vt intra annũ possit promoueri ad Sacerdotium (intellige si detur in titulum modo dicto) Et hæc de Parochorum canonica electione, & collatione. Verum an post præsentationem factam ab Illustri Senatu Panormitano, de aliqua Parochiali Ecclesia huius Vrbis Fœl. Pan. teneatur illam Archiepiscopus Panormitanus confirmare.

QVAERES SESTO.

An Archiepiscopus Panormitanus peccet, confirmando præsentationem digni, omisso digniori, factam ab Illustri Senatu huius Vrbis, in aliquam Parochialem Ecclesiam, & an Senatus eligendo indignum peccet, & amittat pro illa vice ius eligendi.

VT autem, primæ huius Quæsiti parti satisfaciamus, statuendum est Primo, num Patronus sub peccato mortali, debeat præsentare digniorem, cui Quæsito breuiter respondeo, licet nonnulli *apud doctissimum Dianam par. 1. resol. moral. tract. 15. & primo Misc. resol. 37.* initio asserãt mortaliter peccare, ramen contraria sententia probabilis est *ita Lambert. Ricc. & alij apud eundem Dianam*, qui probabilem vocat sententiam illam docentem, Patronum laicũ, non teneri præsentare digniorem, etiã quo ad beneficia curata, vbi assignans rationem, ait, licet *Trident. sess. 24. de refor. cap. 18*, determinet, in Parochialibus iurisp. Ecclesijs, eligendum esse digniorem, ex approbatis ab Examinatoribus in concursu: tamen statuit, quod si ius patronatus laicorum fuerit, debere, qui à Patrono præsentatus erit, examinari, & si idoneus repertus, admitti: ex quibus verbis iam patet Tridentinum cũ nõn arctet patronum laicum ad præsentandum digniorem, neque nos arctare debemus: hæc Diana, qui concludit falsa semper, &c. Nu. 1

Et hanc sententiam tenet etiam *Barbos. in Trident. sess. 24. de reform. cap. 18. num.* Nu. 2

*num.*152 vbi habet præſentatum à Patronis laicis ad Eccleſiam Parochialem de iure patronatus laicorum, ſufficere eſſe dignum, quia Patronus laicus ad Parochialem, ſui iuris patronatus, non tenetur præſentare digniorem, ſed ſufficit dignum, ſeu idoneum. Hæc Barb. contra Mol. Turrianum, & alios exiſtimantes Patronum, qui non eſt primus beneficij fundator, debere digniorem præſentare; hoc igitur adnotato.

Nu. 3 Reſpondeo dicendum ad primam principaliorem noſtri Quæſiti partem, ſtando in iure communi, & antiquo, negatiuam ſententiam tenendam eſſe, ita *Petrus de Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 63 *ar.* 2. §. *bis conſtitutis*, vbi ait ſtando in iure cõmuni, & antiquo, ad hoc vt electio ſit valida, & firma, nec reuocari poſſit, regulariter loquendo, non requiri, quod electus fuerit dignior, ſed ſatis eſſe, quod eligatur dignus, & hanc ſententiam ſequutus eſt etiam P. *Diana par.* 4. *tract.* 4. *Miſc. reſol.* 170. Dixi autem ſtando in iure communi, & antiquo nam de iure nouo *Trid. & ſtante conſtit.* Pij *V. edita anno* 1566. magna eſt difficultas, nam ſecundum hoc ius modernum, licet Petrus de Aragon loco citato aſſerat, ſi Epiſcopus eligat in Parochum, minus dignũ, relicto digniori, poſſe electionem reuocari, per Metropolitanũ; & reuocari quidem in praxi, dando beneficium digniori relicto. Tamen his non obſtantibus contraria ſententia eſt tenenda, cuius ratio eſt, quia à iure antiquo non eſt recedendum, niſi iure nouo expreſſis verbis recedatur, ſed hoc non accidit in caſu noſtro; Concilium enim non irritat præſentationem, de digno factã, quæ de iure antiquo valebat, ſed tantum præcipit, vt Patronus eligat digniorẽ, quod etiam de iure antiquo tenebatur facere, ergo, & c. ita *Sãchez in opuſc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 6. *Diana reſol. moral. par.* 4. *tract.* 4. *Miſc. reſol.* 170.

Nu. 4 Et licet Petri de Aragon ſententia ſit vera, tamen non eſt contra nos, quando quidẽ nos vltro loquimur, de Patrono, qui eſt laicus, nempe Illuſtris Senatus huius Vrbis, qui vt ſupra vidimus, & ex doctrina ſuperius allata, poteſt præſentare dignum, omiſſo digniori. Maneat igitur ex ſuperius dictis, debere Archiepiſcopum Panormitanum, præſentationem ſuperius dictam confirmare, & ad id teneri, & ſi nollet, poſſe rogi à Superiori ira *Diana* ex multorum ſententia.

Vt autem, ad ſecundam Quæſiti partem reſpondeamus, & in hoc ſequentes veſtigia *Leſſij lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 12. *n.* 53. pro certo inter alios Ego exiſtimo. Primo nunquam licere Eccleſiaſticum beneficiũ, conferre indignis (modo aliqui reperiantur digni, quibus conferri poſſit) *vt patet ex cap. Cũ de cunctis* 7 *de elect.* vbi tria requiruntur, vt quis cenſeatur dignus, beneficio animarum curam habente. Aetas conueniens. Probitas morum. Et Scientia debita, cuius ratio itẽ eſt, quia beneficium datur propter officium, ergo, qui ineptus eſt, ad officium præſtandum, iure naturæ eſt arcendus à beneficio. Dixi (modo aliqui reperiantur digni) quia ſi nullus talis inuenitur, vel ſi inueniatur, non admittatur (ſicuti interdum, fit in locis ſeptẽtrionalibus) poterit conferri indigno, ad maiora mala impedienda, nempe ne deueniat ad hæreticos, vel alios magis indignos, ac proinde, licet hic abſolute, non ſit dignus, tamẽ reſpectu aliorum, qui haberẽ poſſunt, dignus cenſetur. Vbi tamen, ei beneficium collatum eſt, tenetur ſe præſtare dignum, & ſatisfacere officio, tum per ſe, tum per alios, quantum commode poteſt, alioquin tenebitur ad fructuũ reſtitutionem, & ratio eſt, quia lege iuſtitiæ, obligatur ad præſtandum munus ſui officij, & conſequenter ad ſe reddendum idoneum officio, quantum poteſt. Nu. 5

Quare, vt Collator ſit ſecurus, non ſolum requiritur, vt neſciat illum, cui confert, eſſe indignum, ſed debet etiam, poſitiue ſcire, eſſe dignum, cuius ratio eſt, quia ex officio tenetur, quantum in ſe eſt, curare, vt conferatur dignis, ergo debet, poſitiue indicare, eſſe dignũ, quod intellige, non de certa ſciẽtia, ſed probabili iudicio, quod pro rei magnitudine magis, vel minus certum eſſe debet *ita Leſſius num.* 56. Nu. 6

Vnde infert *Leſſius* reſponſionem ad noſtrum caſum dicens, Patronos, qui habent ius præſentandi, grauiter peccare, ſi aliquem præſentent de cuius vita, moribus, & doctrina, nõ ſint ſatis informati, per viros probos, & idoneos, ita vt me- Nu. 7

rito

rito possint confidere, esse idoneum, & ratio est, quia tales Patroni, sunt caussa, cur beneficia conferantur indignis, cũ maximo Ecclesiæ damno, nam Prælatus Ecclesiasticus, qui instituit, non potest præsentatum repellere, nisi fere sit euidens, esse indignum, hoc autem, vt euidens fiat, valde est difficere, hæc *Lessius* notatu digna, quare ex hac ingeniosa doctrina, applica tu, quid dicendum ad nostram secundam Quæsiti partem.

Nu. 8 Verum, an amittant eligendo indignos, pro illa vice, ius eligendi, respondet P. *Diana resol. moral. par. 4. tract. 4. Misc. resol.* 170. quod licet communiter asserant Doctores, eligentem indignũ, priuari potestate, eligendi pro illa vice; tamen quodcunque Caput ab ipsis adducatur, non habere locum, in patrono laico, sed tantum Ecclesiastico, vnde Patronus secularis, scienter præsentans indignum, licet grauiter peccet, modo dicto, poterit tamẽ, iterum præsentare, & hanc sententiã, mihi videtur, docuisse prius *Lessium loco supra cit. num.* 53. vbi habet clericos, qui aliquem contra prædictam formam elegerint, eo ipso priuatos esse, potestate eligendi, pro illa vice, & triennio à suis beneficijs priuatos esse; Episcopum autem, si contra fecerit, aut consenserit fieri, amittere similiter potestatem conferẽdi hæc *Lessius*; vbi vides nullam fecisse laicorum mentionem, ergo respectu Patroni laici secundum nostram, & horum Doctorum sententiam, non incurritur huiusmodi pœna priuationis potestatis eligendi, pro illa vice, ex his iam patet, quid dicẽdum ad casum.

Nu. 9 Aduertas tandem, quod habet *Lessius num.* 57. & si omnis conditio, quæ reddit hominem indignum beneficio, sufficiat ad iterandam collationem, vel electionem indigni, non tamen omnis reddit ipso facto collationem irritam, verũ de hoc apud ipsum *vbi dub.* 20. *nu.* 107. habet ad Episcopatum, requiri ætatem 30. annorum exactorum, ad dignitatẽ Ecclesiasticam, inferiorem Episcopatu, habentem tamen animarum curam, requiri ætatem 25 annorum, saltem inchoatorum: ad alias dignitates, vel per sonatus, quibus non subest animarum cura, requiri vt quis non sit minor annis 22: ad beneficium vero Parochiale requiri 25. annos inchoatos: ad alia autem beneficia qualiacunque ea sint, requiri, vt minimum ætatem 14. annorũ inchoatorum, verum apud ipsum, sicuti de morum probitate *dub.* 23, *vbi num.* 126. ait Collationem tamen factam criminoso, non esse ipso iure irritam, nisi illud crimen annexam habeat cẽsuram, vel aliquam irregularitatem, esse tamẽ irritandam ab eo, qui potestatem habet concludit *Lessius*, & tandem, *dub.* 24. inquitens, quæ nam scientia sit necessaria *num.* 129. ait Collationem factam, ei, qui omnino est illiteratus, esse irritam, quia illiteratus, nullo modo officium præstare potest, at vero si aliquam scientiam habeat, ita vt, aliquo modo possit satisfacere officio, non esse quidem irritam, posse tamen, & omnino debere irritari, nisi breui putaretur habiturus sufficientiã. Hæc omnia *ex Lessio* de quibus fusius, & singillatim apud ipsum.

Cæterũ, vt magis, ac magis superius dicta elucescant, & quæ inferius circa Bullam Clementis VIII. dicenda erũt, opere prætium duxi hic apponere dictã Clementis VIII. Bullam.

QVAERES SETTIMO.

Quæ nam sit huiusmodi Clementis Octaui Bulla, de qua hic sermo erit.

VErum antequam huius Clemẽtis VIII. Bullæ super Reformatione Parochiarum Vrbis Panormi, fideliter tenorem recensemus: opere prætium putaui prius Illustrissimi Domini Archiepiscopi D. Didaci de Haedo decretum præ oculis vobis apponere, quod tenoris sequentis sequitur.

CONFIRMA HOC DEVS.

Quod operatus es in nobis.

NOS *Don Didacus de Haedo Dei, & Apostolica Sedis gratia Archiepiscopus Panormitanus, Regiusque Consiliarius Vniuersis, & singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Thesaurarijs, Præpositis, Sacristis, Canonicis, Cappellanis, Beneficialibus, Vicarijs, ceterisque demum Presbiteris, & personis*

sonis Ecclesiasticis, ac officialibus, & subditis nostris in hac Vrbe, & eius Diocesi, ac alijs quibuslibet, in ecclesiastica dignitate constitutis, & eorum cuilibet ad quem, vel quos peruenerint, & quibus quomodolibet præsentatæ fuerint salutem in Domino sempiternam. Quia fuerunt nobis præsentatæ subsequentes litteræ Apostolicæ cum executorialibus datis in hoc Regno scilicet.

PHILIPPVS, &c.

V*Icerex, & Generalis Capitaneus in hoc Siciliæ Regno Reuerēdissimis, Reuerendis, ac Vener. in Christo Patribus Archiepis. Epis. eorumque in Spiritualibus, & Temporalibus, Vicarijs, & Officialibus generalibus, nec non Illustribus Sp. Magnificis, & nobilibus Regni eiusdem Magistro Iustitiario, Præsidibus Regiorum Tribunalium, Iudicibus M.R.C. Magistri Rationalibus, Thesaurario, & Conseruatori Regij Patrimonij. Aduocatis quoque, & Procuratoribus Fiscalibus, cæterisque demum Vniuersis, & singulis officialibus, & personis spiritualibus, & temporalibus Regni eiusdē, & signanter felicis Vrbis Pan. & aliarum quarumcumque Ciuitatum, Terrarum, & locorum Regni eiusdem, maioribus, & minoribus, præsentibus, & futuris, quocunque officio, titulo, auctoritate, & potestate, vel dignitate fungentibus, cui, vel quibus præsentes præsentatæ fuerint, Consiliarijs, oratoribus, & fidelibus Regijs dilectis salutem. Fuit nobis exhibitum, & præsentatum quoddam Apostolicum transumptum, sigilloque cereo impendente munitum, cuius tenor talis est videlicet.*

In nomine Sanctissimæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen Nouerint vniuersi, & singuli hoc præsens publicum Transumpti instrumentum, visuri, lecturi pariter, & audituri, Quod Nos Marcellus Lantes Prothonotarius Apostolicus Sanctiss. D. N. Papæ, nec non Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanaque Curia Iudex Ordinarius, sententiarum quoque, & censurarum tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, & litterarum Apostolicarum quarumcumq; vniuersalis, & merus exequutor ab eodem Sanctiss. D.N. Papa specialiter deputatus, vidimus, legimus, habuimus, & diligenter inspeximus litteras Apostolicas Sanctiss. D. N. Clementis diuina prouidentia Papæ Octaui sub plumbo more solito expeditas quarumquidem litterarum Apostolicarum tenor sequitur de verbo ad verbum prout infra videlicet.

CLEMENS EPISCOPVS
Seruus seruorum Dei.

Nu. 1 VEnerabili Fratri Archiepiscopo Panormitano salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacri Apostolatus ministerio (meritis licet insufficientibus) superna dispositione præsidentes, inter cęteras curas, quæ animam nostram delectant illam libenter amplectimur per quam diuinus cultus augetur, & Ecclesiæ præsertim curam animarum habentes vberioribus prouentibus communiuntur, ac ministrorum idoneorũ qui diuina inibi sacramenta ministrēt, vtilitati, & commodo, animarumque ipsarum saluti, & spirituali consolationi consulitur; nec non multorum abusuum, & illicitarum, ac indecentium exactionum per Ecclesiarum huiusmodi Ministros fieri solitarum occasiones, scandalorum quoque ex inde orientiũ materia de medio submoueatur: propterea q; pia fidelium vota illuc tendentia paterno studio confouemus, & vt debitum consequantur effectum, operam auctoritatemque nostram quantum nobis ex alto conceditur, & cognoscimus in Domino salubriter expedire, desiderari non patimur, Sanè pro parte dilectorum filiorum Senatus Pan. nobis nuper exhibita petitio continebat,

Nu. 2 Quod alias ipsi attendentes in duabus tantum ex duodecim Parochialibus Ecclesijs Panhormit. Sacramenta Ecclesiastica, & funeralia gratis ministrari, vna videlicet Sancti Petri in Palatio, & altera sancti Siluestri in Arce dictæ Ciuitatis, quæ Regijs, perpetuisq; redditibus sunt dotatæ, in alijs vero decem Parochialibus Ecclesijs huiusmodi quarum Rectoribus sufficiens vitæ alimentum, ac ad muneris sui labores, & sumptus præferendos æquum aptũque stipendium certum minime constitutum existit, importunas eleemosinarum exactiones, ac iniquas mercedum conditiones, & pignorum extorsiones

 fieri

fieri ablatiſque ſtragulis, ſeu quibuſuis alijs funeralibus defunctorum ſuppellectilibus, ad pecuniam ſoluendam hæredes, ſeu alios ad quos defunctis cura ſpectat, acriter compelli, aliaque huiuſmodi committi, quæ a turpi quæſtu nō longe abſunt, & ſcandala in populo frequenter excitant, ac Parochos, qui parentum loco habendi ſunt ſuis Parochianis exoſos reddunt.

Nu. 3 Harum vero Eccleſiarum primam eſſe Eccleſiam Maiorem, in eaque Sacramentorum, ac ſepulturæ adminiſtrationem ciuibus, ſeu Parochianis ſuę Regionis, & adnexis ad Ipſam maiorem Eccleſiam concurrentibus promiſcue exhiberi, ac ab eis omnibus pro adminiſtratione etiam funeralium ad quæ honoris gratia extra Regionem Miniſtri dictæ Maioris Eccleſiæ aduocantur eleemoſinas, ac fructus quorum vna ad Rectorem. Magiſtrum Cappellanum Nuncupatum Cappellæ Sanctiſſimi Sacramenti in dicta maiori Eccleſia conſtructæ, alteræ vero partes ad dilectos filios Theſaurarium, Capitulum, & Clerum eiuſdem Maioris Eccleſiæ pertinent, exigi, & percipi vt præfertur; nec non ex dictis duodecim Eccleſijs tres videlicet ſancti Iacobi, Sancti Antonij, & Sancti Nicolai Albergariæ nuncupati per Cappellanos amouibiles regi ſolitas menſæ Capitulari ipſius maioris Eccleſiæ perpetuo vnitas eſſe ac ex incertis prouentibus, & fructibus dictæ Eccleſiæ Sancti Iacobi vnam ad pro tempore exiſtentem Archiepiſcopum Panormitanum, alteram vero dimidias partes ad Capitulum prædictum ſpectare, duoſque Cappellanos per eos eligi, & æquo ſumptu ſuſtentari, aliaſque impenſas fieri: ac Sede Archiepiſcopali Panormitana vacante, eam portionē Archiepiſcopalem prouentuum, & impenſarum huiuſmodi ad ipſos Capitulum transferri; fructus autem, & prouētus Sancti Antonij ad eoſdem Capitulū peruenire; Sancti Nicolai autem Eccleſiæ huiuſmodi quamquam ſint ſub ipſorum Capituli poteſtate, duobus tamē Canonicis Præbendarijs nuncupatis dictæ maioris Eccleſiæ deſignatos, & aſſignatos eſſe, ac ipſos duos Canonicos ſuas præbendas per optionem acquirere, & parem impenſam diuino cultui habendo, alendiſque miniſtris eiuſdem Eccleſiæ Sancti Nicolai contribuere; nec non alias quinque Parochiales Eccleſias videlicet Sancti Nicolai de Calza, Sāncti Hippoliti, Sanctæ Crucis, Sanctæ Margaritæ, & Sancti Ioannis Tartarorum nuncupati, ſuos pro vna quaque Rectores, Beneficiatos habere, & ex earum prouentibus diuino cultui, & alijs quibuſcumque neceſſarijs impenſis ſatisfieri: in duodecima vero Parochiali Eccleſia Sancti Nicolai Græcorum nuncupati ſacramenta Eccleſiaſtica per illius Rectorem miniſtrari, & cultū diuinum haberi ritu græco impēſas verotum ex ſupradictis prouentibus incertis, tum ex alijs comoditatibus ſpōte oblatis deſumi: ac propterea ſummo pere cupientes ſacramentorum, & ſepulturæ adminiſtrationem in vniuersū ab omnibus Rectoribus ipſarum Eccleſiarum gratisfieri, & exactiones eleemoſinarum fructuumque huiuſmodi prohiberi, & omnes occaſiones turpis lucri penitus tolli; nec non ſingulis Eccleſijs Sancti Iacobi, Sancti Antonij, & Sancti Nicolai Albergariæ præfatis proprios quibus hactenus caruerunt Rectores, qui ſedulam animarum curam gerant reſtitui, cenſum annuum perpetuum ex redditibus communitatis Pan. præfatis eleemoſinis, & fructibus æquiualentē, pro ſingulis Eccleſijs huiuſmodi in illarum, & miniſtrorum ſuorum vſum repartiendum arbitrio tuo, nomine dotis aſſignare obtulerunt.

Tu vero paterno affectu, ac paſtorali zelo motus hanc dotationem tam piā, Nu. 4
tamque liberaliter oblatam amplexus, ratiocinatores ſpectatæ fidei viros, primum adhiberi, ac iterum per quattuor alios à præfatis Capitulo electos Theſaurarij, Capituli, & Cleri huiuſmodi nominibus diligentius coram te, tuoque Vicario in ſpiritualibus generali, allatis libris omnibus fructuum incertorum Maioris, ac Sancti Iacobi, & Sancti Antonij Eccleſiarum præfatarum rationes conferri, & computari ac eorum omniū ſummam ex his libris fideliter collectā eiſdem SENATVI proponi; ac medietatem portionis tuæ Archiepiſcopalis fructuum dictæ Eccleſiæ Sancti Iacobi

eidem

eidem Capitulo applicari, & ad maiorē dictorum Capituli commoditatem aliquid aliud addi curauisti; ipsique SENATVS quicquid ab eis tuo arbitrio in varios vsus repartiendum, ex quo Ecclesijs ipsis magna vtilitas, & commoditas, ac pinguiores, & certiores annui redditus prouenient petijsti, liberaliter prompteque obtulerunt; prout continetur in tabula per te desuper confecta, & subscripta tenoris sequentis videlicet.

Tabula dotationis oblatę in censū annuum certum persoluendum ex redditibus Vniuersitatis Panormi pro compensatione omnium prouentuū incertorum, qui in Ecclesijs Parochialibus eiusdem Vrbis sumuntur ex administratione Sacramentorum, & sepulturę, & penitus extinguendi sunt, exceptis dumtaxat infrascriptis.

Pro incertis ꝓuētib⁹ Ecclesię Cathed. Capitulo Clero, Thesaurario Cathed. Ecclesiæ pro regione Ecclesiæ Cathedralis, scuta octingenta monetæ Siciliæ reseruatis eisdem tantummodo æquis prouentibus pecuniarijs funerum, ad quæ extra regionem siue Quarterium Parochiale, honoris gratia vocabuntur.

Itē Thesaurario ꝓportione vnius Sacristæ dictæ Cathedralis Ecclesiæ, scuta quadraginta quinq; Magistro Capellano qui Rector est sacelli sacrosanctæ Eucharistiæ eiusdem Ecclesiæ scuta centum quinquaginta; duobus Cappellanis confessoribus apud Magistrum Cappellanum scuta quinquaginta in singulos; duobus Clericis coadiutoribus Magistri Cappellani scuta quindecim in singulos, pro lampadibus, & alijs impensis minutis scuta quadraginta quinque præter alia scuta circiter quadraginta, quæ nunc habet ipsum sacellum ex redditibus suis certis.

Pro incertis ꝓuētib⁹ Ecclesiæ Paroch. S. Iacobi sponso huius Ecclesiæ Parocho proprio scuta centum, & quinquaginta, aliaque insuper vigintiquinque, si Parochus ipse in Theologia, vel in iure canonico graduatus fuerit; sin minus eo ipso dicata sint hęc scuta vigintiquinque augendo in eadem Ecclesia missarum numero pro salute, & prosperitate Vrbis. Capitulo Cathedralis Ecclesiæ pro ea dimidia portione prouentuum huius Parochialis, quæ libere ad eum ipsum peruenire consueuit, scuta quingenta; quadrigenta quidem, & decem pro pecuniarijs prouentibus, & nonaginta pro cereis. Eidē Capitulo ex resignatione medietatis portionis Archiepiscopalis huius Ecclesiæ etiam impinguatę scuta ducenta, & quinquaginta: Ecclesię Cathedralis Clericis ex renunciatione Archiepiscopi scuta ducenta, & quinquaginta distribuenda dictis clericis; & etiam pro aliquibus necessarijs rebus ad vsum dictę Ecclesiæ iuxta formam à dicto Archiepiscopo assignandā. Ipsi Ecclesiæ Sancti Iacobi annua scuta vigintiquinque pro lampadibus, quæ coram Sanctissimo Sacramento perpetuo ardeant, reliqui vero sumptus tam pro Ecclesia, quam pro aliorum Ministrorum vsibus contribuantur à Gubernatorib⁹ redditū fabricę, vt moris est.

Pro incertis prouentibus Ecclesiæ Parochialis Sancti Antonij sponso huius Ecclesiæ Parocho proprio scuta cētum, & quinquaginta, atque insuper alia vigintiquinque modo iam dicto; Capitulo Ecclesiæ Cathedralis pro ijs prouentibus qui libere ex hac Ecclesia ad ipsum peruenire consueuerunt scuta trecenta, & quinquaginta; ducenta quidem sexaginta septem pro pecuniarijs, reliqua vero octuaginta tria pro cereis: Ipsi Ecclesiæ Sancti Antonij, pro duabus lampadibus coram Sanctissimo Sacramento scuta vigintiquinque; reliqui vero sumptus tam pro ipsa Ecclesia, quam pro aliorum ministrorum vsibus contribuentur à Gubernatoribus redditum fabricæ vt moris est.

Pro incertis prouentibus Ecclesiæ Parochialis Sancti Nicolai de Albergaria sponso huius Ecclesiæ Parocho proprio scuta centum, & quinquaginta, atque insuper alia vigintiquinque modo dicto; duobus Cappellanis cōfessoribus scuta septuaginta quinque in singulos; sacristæ triginta septem cum dimidio; coadiutori Sacristæ Clerico scuta quindecim, Conuenientibus in hac Ecclesia ad diuina officia coadiuuanda scuta decem; pro lampadibus coram Sāctissimo Sacramento, scuta decem; pro reparationibus, vestimentis, & sollēnitatibus, scuta septuaginta; singulis Prębēdarijs

pro prouētibus,qui subductis oneribus ad illos pertinent scuta ducenta,& quinquaginta,quæ simul ducunt scuta quingenta.

Pro incertis prouentibus Ecclesiæ Parochialis Sancti Nicolai de Calza Rectori huius Ecclesiæ scuta centum, & quinquaginta, atque insuper alia vigintiquinq; modo iam dicto,duobus Cappellanis confessoribus scuta septuaginta quinque in singulos; Sacristæ scuta triginta septem cum dimidio;coadiutori Sacristæ Clerico scuta quindecim; Conuenientibus in hac Ecclesia ad diuina officia coadiuuanda scuta cētum, & duo,Prędicatori scuta quinquaginta, Organistę,scuta triginta;pro lampadibus coram Sanctissimo Sacramēto,scuta vigintiquinque pro reparationibus, vestimentis,sollemnitatibus, candelaria,& impensis minutis scuta cētum, & quindecim & tarenos sex; præter alia scuta nonaginta quinque, quæ nunc habet Ecclesia ex redditibus eius certis.

Pro incertis prouentibus Ecclesiæ Parochialis Sancti Hippoliti, Rectori huius Ecclesiæ scuta centum, & quinquaginta,atq; insuper alia vigintiquinque modo iam dicto;duobus Cappellanis Confessoribus scuta septuaginta quinque in singulos,Sacristę,scuta triginta septem cum dimidio; Coadiutori sacristæ Clerico scuta quindecim; Cōuenientibus in hac Ecclesia ad diuina officia coadiuuanda scuta viginti;Prædicatori,scuta viginti quinque; Organistæ scuta triginta:pro lampadibus coram Sanctissimo Sacramento scuta decem; pro reparationibus,vestimentis,sollemnitatibus,candelaria, & alijs impensis minutis scuta quinquaginta,præter scuta septuaginta duo quæ nunc habet Ecclesia ex redditibus eius certis.

Pro incertis prouentibus Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Crucis Rectori huius Ecclesiæ scuta centum quinquaginta, atque insuper alia viginti quinque modo iam dicto, duobus Cappellanis Confessoribus scuta septuagintaquinq, in singulos;sacristæ scuta triginta septē cum dimidio;Coadiutori Sacristæ Clerico scuta quindecim;Conuenientibus in hac Ecclesia ad diuina officia coadiuuanda scuta quinque;Prædicatori scuta vigintiquinque;Organistæ scuta triginta;pro lampadibus coram Sanctissimo Sacramento scuta decem pro reparationibus,vestimentis,sollēnitatibus, candelaria,& alijs impensis minutis scuta quinquaginta duo cum dimidio præter alia scuta quadraginta tria, & tarenos octo, quę nunc habet Ecclesia ex censibus suis certis.

Pro incertis prouentibus Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Margaritæ Rectori huius Ecclesiæ scuta centum, & quinquaginta,atque insuper alia vigintiquinque modo iam dicto;duobus Cappellanis Cōfessoribus scuta septuaginta quinque in singulos; Sacristæ scuta triginta septem cum dimidio,Coadiutori Sacristæ,Clerico scuta quindecim; sex Sacerdotibus conuenientibus in hac Ecclesia ad diuina officia Missæ, & Vesperas adiuuanda scuta triginta septem cum dimidio,Prædicatori scuta vigintiquinque; pro lampadibus coram Sanctissimo Sacramento scuta decem; pro reparationibus,vestimentis, sollēnitatibus, candelaria, & impensis minutis scuta quinquaginta.

Pro incertis prouentibus Ecclesiæ Parochialis Sancti Ioannis de Tartaris Rectori huius Ecclesiæ scuta centum, & quinquaginta,atque insuper alia viginti quinque modo iam dicto;duobus Cappellanis Confessoribus scuta septuaginta quinque in singulos;Sacristæ scuta triginta septem cum dimidio; Coadiutori sacristę clerico scuta quindecim; Prædicatori scuta vigintiquinque: pro lampadibus coram Sanctissimo Sacramento scuta decem,pro reparationibus vestimentis,sollemnitatibus, candelaria,&/impensis minutis scuta octuaginta,præter scuta quadraginta vnum cū dimidio,quę nunc habet Ecclesia ex cēsibus suis certis.

Pro incertis prouentibus Ecclesiæ Parochialis Sancti Nicolai Græcorum Rectori huius Ecclesiæ scuta septuaginta quinque pręter alia triginta,quę pendunt ei Confratres eiusdem Ecclesię,& alias quas habet cōmoditates.

Pro Parochia designata in Ecclesia B. Marię de Monserrato in Suburbio, Rectori huius Ecclesię scuta centum

Cappellano Confessori scuta quinquaginta: confert etiã semel tantum SENATVS impensam necessariam pro apparatu Parochiale huius Ecclesiæ.

Nu. 5 Vniuersa dotatio Parochialis ducit scuta sex mille, & octingẽta, & decem, & septem cum dimidio monetę Siciliæ. Quę quidem dotatio erit perpetua, & fructus censuum de ea constitutorum deponentur in tabula publica Vrbis, & singulis mensibus quisquis ratam portionem suam recuperet.

Nu. 6 Permittitur quoq; Magistro Cappellano, & Rectoribus cuique pro Ecclesiæ suæ vsu, vt moris, est ea cera, quæ voluntarie in funeralibus affertur, & in baptismis, confirmationibus, benedictionibus matrimoniorum, & præsentationibus post partum offertur.

Nu. 7 Insuper Tu reliquã partem tuæ portionis fructuum præfatæ Ecclesiæ Sancti Iacobi, Clero pro quorumdam clericorum Viuanderiorum nuncupatorũ ibidem ad diuina officia coadiuuanda (sicut in preinserta tabula apparet) cõcurrentium vsu, sub nostro, & Apostolicæ Sedis beneplacito cum aliunde habeas, vnde iuxta Pontificalis dignitatis exigentiam sustentari valeas, renuntiare statuisti. Capitulum quoque præfati à te requisiti ad coadiuuandum, & facilitandum hoc pium opus attenta abundanti conditione sibi per dictam dotationem ab ipsis Senatu oblatam omni, & cuicumque iuri, & actioni tam iurisdictionali, quam pecuniario eis quomodocumque competenti in dictis Ecclesijs Sancti Iacobi, Sancti Antonij, & Sãcti Nicolai Albergariæ, prętio tamen consensu dictæ Sedis, etiam renuntiare se paratos esse Tibi per certos Canonicos ad id deputatos significare fecerũt.

Nu. 8 Et proinde statutum, & ordinatum fuit, quod dotatio à dictis Senatu oblata, quæ ad sex millia octigenta, ac decẽ, & septem scuta annua, & sex tarenos monetæ illarum partium annuatim ascendit, super gabellis farinæ, carnis, vinorum, vini, aliarumque rerum ad communitatem huiusmodi spectantibus annui redditus centum millium scutorũ, & vltra secundum repartitionem à Te in superius descripta tabula factam, & relatam, perpetuo, & ad vnguem obseruetur, & executioni demandetur, ac repartitio huiusmodi à nemine mutari possit.

Ipsique Senatus pro præfatorum omnium securitate obtulerunt se paratos omnia communitatis huiusmodi bona, tam patrimonialia, quam ex gabellis præfatis prouenientia sollemniter obligare, absque eo quod illa vnquam redimere valeant, nisi alijs censibus eorũ loco emptis, & si census huiusmodi aliquando extinguerentur, & annullarentur, id in pręiudicium Communitatis, non autem Ecclesiarum huiusmodi cederet. Nu. 9

Prætetea, quod pro administratione sacramentorum, & sepulturæ nihil petatur, atque ad tollendam omnem extorquendi occasionem, & exasperatum exactionibus Populum conciliandum, nulla quidem sacramentorum, vel sepulturæ occasione oblata, Eleemosina, siue merces, siue præmium appelletur, neque omnino aliqua sub quouis alio titulo gratificatio in pecunia, vel aliter directe, aut indirecte ab aliquo Ciue, vel aduena neque in dicta Ciuitate, neque in eius suburbijs; nec à transeunte peregrino cuiuscunque dignitatis, gradus ætatis, & conditionis fuerit recipiatur; sed vniuersi penitus in ciuitate, & suburbijs præfatis immunes, & exempti sint ab omni solutione, & cõtributione pro baptismis, confirmationibus, cõfessionibus, communionibus, sponsalitijs, matrimonijs, purificationibus post partum, extremis vnctionibus, & sepulturis; neque permittitur vt adsint capsulę questuarię, nec per Ecclesiam circũferantur ad colligendas eleemosinas tẽpore communionum inibi ministrandarum, non tamen amouenda capsa ordinaria eleemosinarum affixa in loco decenti, in quam eleemosinę ex deuotione conferuntur. Nu. 10

Si quis autem aliquid petierit, extorserit, vel à sponte dantibus acceperit occasione administrationis sacramentorũ, vel sepulturę, pręter id quod expresse permissum est, non faciat suum; sed in foro conscientię illud integre realiter, & cum effectu ei, qui dedit si excedat duos tarenos similes, aut pauperibus restituere teneatur; nec desuper pretex- Nu. 11

tu

tu litterarum ad fauorem Cruciatæ san ctæ concessarum componere, nec sibi tamquam pauperi retinere possit etiã habita remissione partis; neque vlla lon gissima consuetudine possit contrariũ præscribi etiam per scientiam, & tole rantiam dictæ Ciuitatis, sed maneat per petuo hæc obligatio restituendi in viri di obseruantia: ne vllo vmquam tempo re detestabilis iste abusus reuiuiscere valeat, & qui in hoc deliquerit etiam a- lijs pęnis arbitrio Ordinarij loci puniri possit.

Nu. 12 Quodque Magistro Cappellano, & Re- ctoribus præfatis remanere debeat, vt moris est tota cera, quæ voluntarie in funeribus ad honorem defuncti defer tur quando in propria Parochia, & quar ta dumtaxat quando in conuentu regu lari, sed tres integræ quartæ partes quã do in alia Ecclesia sepellitur; ac etiam ea cera, quæ voluntarie in baptismis, confirmationibus, benedictionibus ma- trimoniorum, & purificationibus post partum offertur; ipsa autem cera subsi- dio sit celebrandis officijs diuinis, mini- strandis Sacramentis, & reuerenter de- ferendæ Sanctissimæ Eucharistiæ ad in firmos cum luminibus, & quidquid su- perfuerit Rectoribus cedat.

Nu. 13 Nec non pro baptismorum, & ma- trimoniorum fide in scriptis danda, vl- tra vnum carolenum, & si plures anni perquirendi fuerint pro singulis annis, vltra tria grana dictæ monetæ accipere, & in totum summam trium caroleno- rum huiusmodi excedere nequeant, & si quis pro defuncto campanam sæ- pius quam bis pulsari velit pro singu- lis vicibus vnum tarenum tantum sol- uere.

Nu. 14 Quodque Magister Cappellanus, Rectores, & Cappellani Parochi ad in- firmos vocati statim, vt opportune eis- dem infirmis succurratur, accedere de beant, & si negligens quis reperiatur medietatem fructuum illius diei in fo- ro conscientiæ amittit, vltra pœnas ab Ordinario loci infligendas.

Nu. 15 Quodque eisdem Senatui constituta dotatione prædicta, concederetur in ampla forma ius perpetuum præsentã di Rectores idoneos pro tempore exi- stenti Archiepiscopo præfato ad audię- das confessiones simpliciter antea de- putatos, ac per sex menses vt minimũ in eis exercitatos, & ab eodem Archie- piscopo postea præuia diligenti exami- natione approbandos, & confirmandos ad præfatas Ecclesias Sancti Iacobi, Sã- cti Nicolai de Albergaria, & Sancti An- tonij vt præfertur vnitas, & Rectoribus carentes ex nunc: Magistrum autem Cappellanum ad Cappellam Sanctissi- mi Sacramenti huiusmodi, & Rectores Sancti Nicolai de Calza, ac Sancti Hip- politi, & Sanctæ Crucis, ac Sanctæ Mar- garitæ, & Sancti Ioannis Tartarorum, quoties vacabunt: insuper Rectorem dictæ Ecclesię Sanctę Marię de Mon- ferrato in Parochialem Ecclesiam, vt in fra erigendę.

Quiquidem Magister Cappellanus, & vniuersi Rectores præfati esse debeãt Ciues eiusdem Ciuitatis, ac quod Cap- pellani coadiutores administrationis Sacramentorum in maiori videlicet, à Magistro Cappellano, in alijs vero Pa- rochialibus Ecclesiis præfatis à propriis Rectoribus eligi, ac omnes à Te, & pro tempore existenti Archiepiscopo præ- fato approbati, & confirmati. Nu. 16

Ipsique Rectores, quibus centum, & quinquaginta, & Cappellani quibus septuaginta quinque scuta in singulos annos sunt constituta, in eorum Eccle- siis Missam singulis diebus, exceptis duobus tantum non festiuis cuiuslibet Hebdomadę celebrare, seu suo sumptu celebrare facere debeant; Neque huic obligationi satisfaciant cum aliis Missis quæ in eisdem Ecclesiis quomodolibet sunt institutę, aut instituentur eo certo annuo censu; quamuis pro suis Missis alicui applicandis eleemosinas accipe- re non prohibentur. Insuper iidem Cap pellani adiumento sint ad diuina officia peragenda, cum Sacramentorum mini stratio non erit impedimenti. Nu. 17

Quare pro parte Senatus præfatorũ nobis fuit supplicatum quatenus renũ- ciationes portionis Archiepiscopalis prouentuum incertorum dictę Eccle- się Sancti Iacobi Marinę in Clericorũ Viuanderiorum quo ad vnam, & Capi- tuli præfatorum fauorem quo ad alte- ram medietatem à Te oblatę, nec pro tempore existente Archiepiscopo prę- Nu. 18

fato

fato eam in eorum quibus applicata fuerit detrimentum retractari contingat, ac statutis, & ordinationibus, alijsq; premissis pro eorum omni obseruatione robur Apostolicę confirmationis adijcere; nec non Ecclesiam Sanctę Marię prędictam, quę de iure patronatus laicorum ex fundatione, vel dotatione existit, in Parochialem perpetuo erigere, & aliàs in premissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nu. 19 Nos igitur qui dudū inter alia decreuimus, & declarauimus nostræ intentionis esse, quod deinceps per quamcū que gratiam, seu litteras Apostolicas à nobis emanatas nulli ius sibi quęsitum quomodolibet tolleretur, singulares personas SENATVS huiusmodi à quibus vis excommunicationis, suspensionis, & interdicti alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatę existunt, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus pręfatis quas per venerabiles fratres nostros Sanctę Romanę Ecclesiæ Cardinales super interpretatione Decretorum Concilij Tri. deputatos diligenter examinari curauimus, inclinati; fraternitatituę per Apolica scripta mādamus quatenus dotationē, ac omnia, & singula statuta, & ordinationes huiusmodi, & inde secuta quęcumque dummodo fructus in dicta Tabula expressi vere ęquiualeant illis, qui in pręsentia ex eleemosinis, & prouētibus Ecclesiarum pręfatarum percipiuntur, perpetuo approbare, & confirmare illisque perpetuę, & inuiolabilis firmitatis robur adijcere, ac omnes, & singulos tam iuris, quam facti, nec non sollēnitatum forsan requisitarum, & omissarum defectus etiam substātiales (si qui interuenerint) in eisdem supplere; ac vnionem, annexionem, & incorporationem de dictis Ecclesijs Sancti Iacobi, & Sancti Antonii, ac Sancti Nicolai Albergariæ præfatę mensę capitulari factas etiam perpetuo dissoluere; ac ius patronatus, & pręsentandi Tibi, ac pro tempore existenti Archiepiscopo, seu tuo, & pro tempore existentis Archiepiscopi huiusmodi Vicario in spiritualibus generali personas idoneas ex ciuibus dictæ Ciuitatis ad præfatas Sancti Iacobi, & Sancti Antonij, ac Sancti Nicolai Albergariæ ex nunc, & Cappellam Sanctissimi Sacramenti, ac Ecclesias Sancti Nicolai de Calza, Sancti Hippoliti, Sanctæ Crucis, Sanctæ Margaritæ, & Sancti Ioannis Tartarorum etiam ex nunc, si vacant ad præsens; ac Sanctæ Mariæ de Monserrato in Parochialem, vt præfertur erigendam, & à primæua eius erectione vacaturam (dummodo quo ad ipsam Ecclesiam Sanctæ Mariæ moderni illius patroni ad hoc expressus accedat assensus,) vel cum primum Ecclesias huiusmodi proprios Rectores habētes per illorum cessum, vel decessum, seu quamlibet aliam dimissionem, aut amissionem, etiam apud sedem eamdē, seu in mensibus Ordinarij, aut dictę sedi per Regulas Cancellariæ Apostolicę, vel alias quomodolibet reseruatis, aut quamlibet illarum vacare contigerit, per Te, ac eumdem Archiepiscopum pro tempore existētem, seu Vicarium, ad præsentationem huiusmodi, postquā pręuio diligenti examine ad id idoneæ repertæ fuerint in illarum Rectores instituendas eidem Senatui post quam dictum annuum redditum assignauerint, vt prefertur.

Ita quod ius patronatus huiusmodi censeatur more laicali, seu laicorum, & nobilium, & ex fundatione, ac omnibus priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis gaudeant in omnibus, & per omnia, ac si ex fundatione, & dotatione esset; similiter perpetuo reseruare concedere, & assignare; ac dictā Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monserrato ad commoditatem Christifidelium, in Parochialē Ecclesiam (dummodo moderni illius Patroni præfati etiam expressus ad hoc accedat assensus) pariter perpetuo erigere, & instituere, nec non Parochias nouem Parochialium Ecclesiarum pręfatarum, quarum aliquæ (vt Senatus præfati asserunt) non solum alijs ampliores, & maiores, sed etiam ingentis magnitudinis existunt, idque ad promptā, & expeditam Sacramentorum administrationem cum manifesto animarum Nu. 20

infir-

infirmorum periculo magnum afferre incommodum, earumque confines, & situs reformare, ac superfluam eorum amplitudinem restringere, & alias iuxta commoditatem platearum, & quarteriorum ampliare.

Nu. 21 Insuper, quod ordinariorum ministrorum salaria, quæ tam Cappellanis parochialium, quam Sacristis constituta, & per distributionem à Te taxata sunt, integre eis persoluantur, nec illarũ Parochi cum ipsis de minori salario cõuenire possint, ne illis propter salarij tenuitatem quippiam exigendi, & denuo deliuquendi occasio detur, ipsorumque salaria per communitatem non Parochis, sed ipsis met Cappellanis, & Sacristis (facta per ipsos Parochos fide quod suæ Parochiæ Ministri sint.)

Nu. 22 Cæteræ vero pecuniæ, quæ in certos vsus Ecclesiæ expendendæ taxatæ sunt, eisdem Rectoribus etiam persoluãtur, ipsique illas in eosdem vsus fideliter expendere teneantur.

Nu. 23 Quodque omnes, & singuli Rectores ac etiam Magister Cappellanus Maioris Ecclesiæ huiusmodi, eorumque Cappellani debeant esse diligentes, & faciles ad ministranda populis Sacramẽta, benedictiones, sepulturas aliaque spiritualia iuxta eorum muuus.

Nu. 24 Et ne ij vbi certam hãc dotem nacti fuerint deficiente vtilitate, quæ illos attrahat, fiant in suo munere valde negligentes cum graui animarum, præsertim infirmorum periculo, & grauissima populorum offensione; ille qui in his rebus, vel earum aliqua notabiliter negligens semel fuerit, medietatem ratæ huius census vnius diei, & qui eodem diebus in hoc deliquerit, omnem illius diei censum in foro conscientiæ amittat eo ipso, illumque in simili foro pauperibus integre, & omnino dare teneatur, nec suum facere neque tamquam pauper retinere, minusque prætextu litterarũ Cruciatæ præfatæ desuper componere possit; & si res huiusmodi ad forum Ecclesiasticum deducta, & in eo approbata fuerit præter hanc ipsam pęnam, alijs etiam pænis seuere puniatur.

Nu. 25 Quodque pẽsiones, quæ sunt assignatæ super redditibus certis, & fructibus incertis aliquarum dictarum Ecclesiarum, remaneant super dictis redditibus certis, & dote denuo assignanda, etiam perpetuo statuere, & ordinare, ac præmissa omnia & singula nullo vnquam tempore quauis occasione, & causa integre, vel partim reuocari, infringi, omitti, mutari, restringi, modificari, aut in aliam formam redigi posse, sed illa omnia, ac vniuersam hanc formam ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit sub excommunicationis alijsque sententijs, censuris, & pęnis Ecclesiasticis in contrauenientes, dicẽtes, & facientes irrogandis seruari debere; neque præsentes litteras de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quouis alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes ad premissa vocati non fuerint, notari, impugnari, inualidari, aut ad terminos iuris reduci in ius vel controuersiã reuocari vllo vnquam tempore posse, neque sub quibus vis similium vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper validas, efficaces existere, sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romane Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpetrãdi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere; necnon si secus super his à quo quauis authoritate scienter, vel ignoranter attentari cõtingerit, irritũ, & inane decerni auctoritate nostra procures. Non obstantibus priori decreto, & declaratione nostris aliisq; pręmissis, ac quibuscumque vltimis dispositionibus, quas quo ad pręmissa commutamus, nec non constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ciuitatis, & maioris Ecclesię huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alias roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis; quibus

bus omnibus etiam si de illis eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quęuis alia expressio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dūtaxat specialiter, & expresse derogam⁹, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nu. 26 Volumus etiam, quod nullum aliud propterea ius Senatui præfatis acquiratur, vel competat, quam præsentandi ad dictas Parochiales Ecclesias sibi concedendum vt præfertur, non autem se quoquomodo ingerant in fructibus, vel administratione, aut alia quacumque re tam Ecclesiarum, quam fabricarū.

Nu. 27 Quodque tota summa fructuum initio cuiuslibet anni deponatur penes aliquem virum fide, & facultatibus idoneum à Te, & pro tempore existente Archiepiscopo, ac Capitulo, & Rectoribus, huiusmodi approbandum, qui initio cuiuslibet trimestris anticipata solutione summam Rectoribus debitam persoluat.

Quod si dictus Senatus ab huiusmo-

Nu. 28 di censu se liberare voluerit, ita demū hoc eis permittatur, si alios redditus bonorum stabilium eiusdem quantitatis, & valoris tam quoad sortem principalem, quam quoad fructus præuia Tui, seu pro tempore existentis Archiepiscopi præfati approbatione subrogauerint. Datum Tusculi Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo nonagesimo nono Idibus Octobris. Pontificatus nostri anno Octauo.

P. Illuminatus † locus plumbi.

Quas quidem præinsertas litteras Apostolicas quia veras non falsas, nō vitiatas, nec in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes inuenimus, ideo ad R. P. *Io. Antonij Zito congregationis Oratorij Pan. asserti procuratoris instantiam per infrascriptum nostrū* Notarium *transumi, & exemplari, & in hanc publicam transumpti formam redigi mandauimus, & fecimus, Volentes, & decernentes quod huic nostro publico transumpto talis, & tanta fides adhibeatur qualis, & quāta adhiberetur si præfatæ litteræ originales exhibitæ, vel ostensæ forent: super quibus omnibus, & singulis præmissis tamque rite, & recte, & legitime factis auctoritate nostra ordinaria, pariter, & decretū imponendum duximus, prout interponimus per præsentes: in quorum omnium, & singulorum præmissorum fidem præsentes fieri, et per nostrum, & dictæ curiæ nostræ Notariū publicum subscribi, sigillique nostri quo in talibus vtimur iussimus, & fecimus appensione communiri. Dat.* Romæ *in ædibus nostris, anno à* Natiuitate *Domini* Millesimo *sexcentesimo* Indict. *xiij. die vero prima mensis Martij* Pontificatus *Sanctissimi* D.N.D. *Clementis diuina prouidentia* Papæ *Octaui anno nono.* I. *lapius locumtenens Ita est* Petrus *Antonius Marificus* Curiæ *causarum* Cameræ *Apostolicæ* Notarius.

Præsentata Panormi *viij.* Aprilis 1600. Excellentiæ *suæ, & mandat quod Sp.* Regius *Consiliarius* F.P. *Regij* Patrimonij *referat.* Ioannes Baptista Riuarola *Secretarius.* Die *xij. eiusdem facta relatione prædicta sua Excellentia prouidet, & mandat quod fiant exequutoriæ.*

Vitus Sicomus *F. P.* *& volentes nos vt æquum est Apostolicis litteris conformes reddere prouidemus, & ita earum serie vos spirituales monemus attenteque hortamur vobisque vero temporalibus dicimus, committimus, & expresse mandamus quatenus præinsertas Apostolicas litteras earumque transumptum omniaque, & singula in eis contenta exequamini, compleatis, & obseruetis, ac per quos decet exequi, compleri, & inuiolabiliter obseruari faciatis iuxta earum seriem continentiam: & tenorem pleniorem ad vnguem de verbo ad verbum à prima lineā vsque ad vltimam: iuribus tamen præminentijs, & iurisdictionibus regijs, regiæ Curiæ, regiæque Monarchiæ, & alterius cuiuscumq; semper saluis, & illęsis permanentibus, & non aliter, nec alio modo, & non secus agatis agiue permittatis ratione aliqua, siue causa, pro quanto gratia regia vobis cara est, & sub pœna ducatorum mille fisco regio applicanda, quibus pęna imponi potest.* Dat. Panormi *die* 17. *Aprilis xiij.* Ind. 1600.

El Duque de Maqueda.

Dominus Vicerex, & Generalis Capitaneus mandauit mihi Ioanni Baptiſtæ Riuarola Viſa per Vitum Sitomum F. P. Comprobata. Colonna.

Quas quidem litteras ſiue transſumptum Apoſtolicum cum earum executorialibus nobis præſentatas, ea qua decet reuerentia accepimus, & executioni dandas declaramus, & decernimus; haſque in teſtimentum præmiſſorum à nobis ſubſcriptas, & ſigillo quo vtimur munitas, expediēdas iuſſimus Pan. Die xx. Aprilis xiij. Ind. 1600.

D. Didacus de Haedo Archiep. Pan.
A. D.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. Didacus de Haedo Archiepiſcopus Pan. Apoſtolicus Delegatus mandauit mihi Antonio Camali Mag. Not.

SVMMARIVM
Eiuſdem Bullæ S. D. N. Clementis VIII, ſuper Reformatione Parochiarum Vrbis Panormi.

NOſtrum non eſt intentum, hanc Clementis VIII. Bullā, de verbo ad verbum, explicare, & in minutiſſimas partes deſcedere, ſed ſolum ad faciliorem Parochorum, commoditatē, aliquas huius principaliores partes diuidere, & illas præ oculis apponere, apponendo cuicunque parti, ſuum numerum, ſicuti ſupra cuicunque huius Bullæ parti appoſuimus, & illā diuiſimus, iuxta noſtrum intentum, inde eſt, quod hanc Clemētis VIII, Bullam in viginti octo principaliores, diuidemus partes, quarum ſit.

PRIMA PARS
Numeri Primi.

Nu. 1 IN hac prima parte, huius *primi numeri* explicatur principale, huius Bullæ intentum; quod eſt multorum abuſuum, & illicitarum, ac indecentium exactionum, per Eccleſiarum huiuſmodi miniſtros fieri ſolitarum, occaſiones ſcandalorum quoque, ex inde orientiū, materiam de medio ſummoueri, ſicuti exhibita petitio apud Clementē VIII. continebat.

SECVNDA PARS
Numeri Secundi.

IN ſecunda parte, *ſecundi numeri* narratur, quod Senatus Panormitanus, Nu. 2 attendens in duabus tantum, ex duodecim Parochialibus Eccleſijs Panormitanis, Sacramenta, & funeralia gratis miniſtrari, vna videlicet Sancti Petri in Palatio, & altera, Sancti Silueſtri in Arce dictæ Ciuitatis, quæ Regiis ppetuiſq; redditibus ſunt dotatæ, in alijs vero decem Parochialibus Eccleſijs huiuſmodi, quarum Rectoribus ſufficiens vitæ alimentum, ac ad muneris ſui labores, & ſumptus perferendos, æquum, aptūq, ſtipendium certum minime conſtitutū exiſtit, importunas eleemoſinarum exactiones, ac iniquas mercedum conditiones, & pignorum extorſiones fieri, ablatiſque ſtragulis, ſeu quibuſuis alijs funeralibus defūctorum ſuppellectilibus, ad pecuniam ſoluendam hæredes, ſeu alios, ad quos defuncti cura ſpectat, acriter compelli, aliaque huiuſmodi committi, quæ à turpi quæſtu non longe abſunt, & ſcandala in populo frequēter excitant, ac Parochos, qui parentum loco, habendi ſunt, ſuis Parochianis exoſos reddunt.

TERTIA PARS
Numeri Tertij.

IN tertia parte *huius numeri* referens omnes Parochiales Eccleſias, incipiens ab Eccleſia Maiore, vſque ad duodecimam Parochialem Eccleſiam, Sancti Nicolai Græcorum, cupiens dictus Senatus, ſuis pro vnaquaque Rectoribus Beneficiatis, ex eorum prouentibus diuino cultui, & alijs quibuſcunque neceſſarijs impenſis ſatisfieri, ac propterea ſummopere cupiens dictus Senatus Sacramentorum, & ſepulturæ adminiſtrationem in vniuerſum, ab omnibus Rectoribus ipſarum Eccleſiarum gratis fieri, & exactiones eleemoſinarum, fructuumque huiuſmodi prohiberi, & omnes occaſiones turpis lucri penſitus tolli, dictus Senatus cenſuum annuum perpetuum, ex redditibus communitatis Panormitanæ, pro ſingulis Eccleſiis huiuſ Nu. 3
modi

medi in ill. rum, ministrorum suorum vsum repertiendum arbitrio Archiepiscopi Panormitani, nomine dotis assignare obtulit dicto Summo Pontifici.

QVARTA PARS,
Numeri Quarti,

Nu. 4 COntinetur in hac quarta parte, tabula dotationis oblatæ incensum annuum certum persoluendum, ex redditibus vniuersitatis Panormitanæ, pro compensatione, omnium prouentuum incertorum, qui in Ecclesijs Parochialibus, eiusdem Vrbis sumuntur, ex administratione Sacramentorum, & sepulturæ, & penitus extinguendi sunt; exceptus dumtaxat infrascriptis, vt videre est in dicta Bulla nu. 4. §. pro incertis prouentibus Ecclesiæ Cathedralis, &c. & sequentibus vsque ad num. 5.

QVINTA PARS,
Numeri Quinti,

Nu. 5 POnit in quinta hac parte Summarium tot.us dotationis, dicens, Vniuersa dotatio Parochialis ducit scuta sex mille, & octigenta, & decem, & septem cum dimidio monetæ Siciliæ, quæ quidem dotatio erit perpetua, & fructus censuum de ea constitutorum deponentur, in tabula publica Vrbis, & singulis mensibus quisquis ratam portionem suam recuperet.

SEXTA PARS
Numeri Sexti.

Nu. 6 PErmittitur, in hac sexta parte, quoque Magistro Cappellano, & Rectoribus cuique pro Ecclesiæ suæ vsu, vt moris est, ea cera, quæ voluntarie in funeribus affertur, & in baptismis, confirmationibus, benedictionibus, matrimoniorum, & præsentationibus post partum offertur.

SEPTIMA PARS
Numeri Septimi.

Nu. 7 APparet in septima renunciatio portionis fructuum conuenientium ipsi Archiepiscopo Panormitano super dicta Ecclesia S. Iacobi, nec non renunciatio Capituli, cuiuscunque iuris competentis, ipsi in dictis Ecclesijs, S. Iacobi, S. Antonij, & S. Nicolai Albergariæ.

OCTAVA PARS.
Numeri Octaui.

IN octaua parte, mandat, quod dotatio à dicto Senatu oblata, quæ ad sex millia octigenta, ac decem, & septẽ scuta annua, & sex tarenos monetæ illarum partium annuatim ascendit, super gabellis farinæ, carnis, vuarum, vini, aliarumque rerum ad communitatẽ huiusmodi spectãtibus annui redditus, centum millium scutorum, & vltra, per petuo, & ad vnguem obseruetur, & executioni demandetur, ac repartitio huiusmodi à nemine mutari possit. Nu. 8

NONA PARS.
Numeri Noni.

SEnatus in hac nona parte pro securitate obtulit, omnia bona communitatis, tam patrimonialia, quam ex gabellis, præfato proueniẽtia sollemniter obligare, absque eo quod illa vnquam redimere valeat, nisi alijs censibus, eorũ loco emptis, & si census huiusmodi aliquando extinguarentur, & annullarentur, id in præiudicium communitatis, non autem Ecclesiarum huiusmodi cederet. Nu. 9

DECIMA PARS.
Numeri Decimi.

IN decima hac parte, mandat, quod pro administratione Sacramentorũ, & sepulturæ nihil petatur, atque ad tollendam omnem extorquendi occasionem, præcipit omnino nullam, sub quouis titulo, gratificationem in pecunia, vel aliter directe, aut indirecte ab aliquo ciue, vel aduena, neque in dicta Ciuitate, neq; in eius Suburbijs, nec à transeunte Peregrino, cuiuscunque dignitatis gradus, ætatis, & conditionis fuerit, recipi, &c. Nu. 10

VNDECIMA PARS.
Numeri Vndecimi.

Nu. 11 ENumerat in hac vndecima parte omnes,& singulas pœnas impositas,delinquentibus huiusmodi;dicens, si quis autem,aliquid petierit, extorserit,vel à sponte dantibus acceperit, occasione administrationis Sacramentorum,vel sepulturæ,præter id, quod expresse permissum est,non faciat suum, sed in foro conscientiæ illud integre,ei qui dedit,si excedat duos tarenos similes,aut pauperibus restituere teneatur, nec desuper virtute Cruciatæ componere:nec sibitãquam pauperi retinere possit,etiam habita remissione partis, neque vllalongissima consuetudine, possit contrarium præscribi, etiam per scientiam,& tollerantiam dictæ Ciuitatis,sed maneat perpetuo hæc obligatio restituendi,in viridi obseruantia,ne vllo vnquam tempore detestabilis iste ab usus reuiuiscere valeat;& qui in hoc deliquerit,etiam alijs pœnis arbitrio Ordinarij loci puniri possit.

DVODECIMA PARS
Numeri Duodecimi.

Nu. 12 IN hac duodecima parte, constituit totam illam ceram, quæ remanere debet ipsis Rectoribus in funeribus voluntarie ad honorem defũcti, & in alijs Sacramentis delatam, vt in dicto num. 12. videre est, vbi concludit. Ipsa autẽ cera subsidio sit celebrandis officijs diuinis, ministrandis Sacramentis,& reuerenter deferendæ Sanctissimæ Eucharistiæ,ad infirmos,cũ luminibus,& quidquid superfuerit Rectoribus cedat.

TERTIADECIMA PARS.
Numeri Tertijdecimi.

Nu. 13 MAndat in hac,quid accipiendum sit pro baptismorũ, & matrimoniorum fide in scriptis dãda, & pro pulsatione campanæ pro defunctis,dicens. Necnon pro baptismorum, & matrimoniorum fide in scriptis danda, vltra vnum caroleum,& si plures anni perquirendi fuerint,pro singulis annis, vltra tria grana dictæ monetæ accipere,& in totum summam trium caroleorũ huiusmodi excedere nequeãt, & si quis pro defuncto campanam,sæpius,quam bis pulsari velit,pro singulis,vicibus, vnum tarenum tantum soluere.

QVARTADECIMA PARS
Quartidecimi Numeri.

IN quartadecima parte, statuit quid agere debeant huiusmodi Magister Cappellanus, Rectores, & Cappellani ad infirmos vocati,& quas pœnas incurrunt ob negligentiam dicens.Magister Cappellanus, Rectores, & Cappellani Parochi,ad infirmos vocati, statim, vt opportune eisdem infirmis succurratur accedere debeant,& si negligens, quis reperiatur medietatem fructuum illius diei, in foro conscientiæ amittit, vltra pœnas ab Ordinario loci infligendas. Nu. 14

QVINTADECIMA PARS,
Quintidecimi Numeri.

IN quintadecima,narrat,quod conceditur Senatui dicens Senatui constituta donatione prædicta, conceditur in ampla forma,ius perpetuum præsentandi Rectores idoneos, pro tempore existenti Archiepiscopo præfato ad audiẽdas confessiones simpliciter antea deputatos,ac per sex menses, vt minimum in eis,exercitatos,& ab eodem Archiepiscopo, postea præuia diligenti examine approbatos,& confirmandos ad præfatas Ecclesias. Nu. 15

SEXTADECIMA PARS
Sextidecimi Numeri.

IN hac,ostendit Magistrum Cappellanum,& huiusmodi Rectores debere esse Ciues eiusdẽ Ciuitatis, dicẽs. Qui quidem Magister Cappellanus, & vniuersi Rectores præfati esse debeant Ciues eiusdem Ciuitatis, ac quod Cappellani coadiutores administrationis Sacramentorum, in maiori videlicet à Magistro Cappellano,in alijs vero Parochialibus Ecclesijs præfatis proprijs Rectoribus eligi,ac omnes, à Te, & pro tempore existenti Archiepiscopo præfato approbati. Nu. 16

DECIMASEPTIMA PARS
Decimiseptimi Numeri.

Nu. 17 IN hac ostendit obligationem circa celebrationem missarum, quam debent habere præfati Rectores, & Cappellani, vt videre est in dicto numero, & nos infra dicemus.

DECIMAOCTAVA PARS
Numeri Decimioctaui.

IN dema octaua, fuit supplicatũ, quatenus renunciationes factæ ab Ar-
Nu. 18 chiepiscopo, pro tempore nunquam retractari contingat.

DECIMANONA PARS
Numeri Deciminoni.

SVmmus Pontifex, in decima nona
Nu. 19 parte declarat suam intentionem esse, quod deinceps per quamcumque gratiam, seu litteras Apostolicas à nobis emanatas nulli ius sibi quæsitum quomodolibet tolleretur, &c.

VIGESIMA PARS
Numeri Vigesimi.

Nu. 20 AIt, in vigesima parte, ius patronatus huiusmodi censeri more laicali, &c.

XXI. PARS
Numeri Vigesimi primi.

DEterminat, in hac vigesima prima parte, salaria ordinariorum mi-
Nu. 21 nistrorum, integre eis persolui, nec Parochos cum ipsis de minori salario conuenire posse.

XXII. PARS
Numeri Vigesimi secundi.

Nu. 22 IN vigesima secũda parte mãdat, quod certæ pecuniæ, quæ incertos vsus Ecclesiæ expendendæ taxatæ sunt eisdem Rectoribus etiam persoluantur, ipsique illas in eosdem vsus fideliter expendere teneantur.

XXIII. PARS.
Numeri Vigesimi tertij.

Nu. 23 OBstendit in hac, quod omnes, & singuli Rectores, ac etiam Magister Cappellanus Maioris Ecclesiæ huiusmodi, eorumque Cappellani debeãt esse diligentes, & faciles ad administrãda populis Sacramenta, benedictiones, sepulturas, aliaque spiritualia iuxta eorum munus.

XXIV. PARS
Numeri Vigesimiquarti.

POenas infligit in hac, contra negligentes, dicens. Ille, qui in his rebus, Nu. 24
vel earum aliqua notabiliter negligens semel fuerit, medietatem ratæ huius cẽsus, vnius diei, & qui eodem die bis in hoc deliquerit, omnem illius diei censũ in foro conscientiæ amittat, eo ipso, illũque in simili foro pauperibus integre, & omnino dare teneatur, nec suum facere, neque tanquam pauper retinere, minusque prætextu litterarum Cruciatæ præfatæ desuper componere possit, & si res huiusmodi ad forum Ecclesiasticum deducta, & in eo approbata fuerit, præter hanc pœnam, alijs etiam pœnis seuere puniatur.

XXV. PARS.
Numeri Vigesimiquinti.

PRæcipit in hac, quod pensiones, quę sunt assignatæ super redditibus cer- Nu. 25
tis, & fructibus incertis aliquarum dictarum Ecclesiarum, remaneant super dictis redditibus certis, & dote denuo assignanda, etiam perpetuo statuere, & ordinare, ac præmissa omnia, & singula nullo vnquam tempore quauis occasione, & caussa integre, vel partim reuocari, infringi, omitti, mutari, restringi, modificari, aut in aliam formam redigi posse, &c. sub pœna excommunicationis, &c. sed semper validas, & efficaces existere decreuit.

XXVI. PARS.
Numeri Vigesimi sexti.

IN hac mandat, quod nullum aliud propterea ius Senatui præfatis acqui- Nu. 26
ratur, vel competat, quam præsentandi ad dictas Parochiales Ecclesias sibi concedendum, vt præfertur, non autẽ se quoquomodo ingerant in fructibus,

vel

vel adminiſtratione, aut alia quaeunq; re tam Eccleſiarum, quam fabricarum.

XXVII. PARS.
Numeri Vigeſimiſeptimi.

Nu. 27 IN hac, mādat, quod tota ſumma fructuum initio, cniuslibet anni deponatur penes aliquem virum fide, & facultatibus idoneum à Te, & pro tempore exiſtente Archiepiſcopo, ac Capitulo, & Rectoribus huiuſmodi approbādum, qui initio cuiuslibet trimeſtris anticipata ſolutione ſummam Rectoribus debitam perſoluat.

XXVIII. PARS.
Numeri Vigeſimi octaui.

Nu. 28 IN hac tandem parte, dat facultatem Senarui, dicens. Quod ſi dictus Senatus ab huiuſmodi cenſu, ſe liberare voluerit, ita demum hoc ei permittatur, ſi alios redditus bonorum ſtabiliū eiuſdem quantitatis, & valoris, tam quo ad ſortem principalem, quam quo ad fructus præuia Tui, ſeu pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi præfati approbatione ſubrogauerint. Datum Tuſculi, &c.

QVAERES OCTAVO.

An poſt adeptam poſſeſſionem teneatur Parochus profeſſionem fidei emittere.

Nu. 1 PArochus Eccleſijs Parochialibus præfectus, poſt adeptam poſſeſſionem, intra duos ſaltem menſes, fidei profeſſionem emittere tenetur, *ita decreuit* Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 12 *his verbis Prouiſi etiam de beneficijs, quibuſcunque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptę poſſeſſionis, ad minus intra duos menſes, in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, ſeu officiali orthodoxę ſuę fidei facere publicam profeſſionem, & in Romana Eccleſia obedientia, ſe permanſuros ſpondeant, ac iurent.*

Nu. 2 Cui quidem concilij decreto, poteſt ſatisfieri, faciendo hanc profeſſionem coram Vicario, etiam Epiſcopo, non im pedito *ita Barb. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 61. *num.* 16. *& de Offic. & Poteſt. Parochi par.* 1. *cap.* 4. *nu.* 2. *vbi n.* 3. habet nō ſolum per ſe ipſum, ſed etiam per procuratorem, ſpeciale mandatum habentem, fieri poſſe vide *Sanch. tom.* 1. *ſumm. lib* 2. *cap.* 5. *num.* 7.

Quę quidem fidei profeſſio, ſede Epiſcopali vacante, fieri debet, non coram Capitulo, ſed coram eius Vicario, quia, licet capitulum ſuccedat, in iuriſdictione Epiſcopi, vt fungatur vice illius, tamē cum iuriſdictio Epiſcopalis adminiſtretur per Vicarium, magiſque per eū repreſentatur Epiſcopus, quam per Capitulum *ita Barb. de Offic. & Poteſt. Parochi par.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. *& alleg.* 61. *nu.* 18. *vbi num.* 21. habet probare teneri prouiſum, ſe feciſſe fidei profeſſionem, quādo Ordinarius ſuper illam inquirit ex officio, & hanc fidei profeſſionem emiſſam credi, ſi pars dicat, illam feciſſe, dūmodo collatio beneficij ſit decennalis, *ita Barb. de Offic. & Poteſt. Parochi par.* 1. *cap.* 5. *num.* 13. Nu. 3

Verum, an ſi prædictam fidei profeſſionem publicam, alio titulo emiſerint, vt doctoratus v. g. quamuis immemores obligationis, illius faciendæ, ratione beneficij antea adepti, ſatis ſit nec ne, reſpondeo dicendum, licet non nulli aſſerant, teneri illam de nouo emittere, probabilem tamen eſſe opinionem *Sanch. tom.* 1. *ſumm. lib* 2. *cap.* 5. *nu* 6. aſſerentis non teneri, eam iterari, cum menti Tridentini ſatiſfactum ſit. Nu. 4

Hactenus de his, qui fidem profiteri tenentur; & de modo profitendi, ſupereſt de pœna, non profitentium agere; Et primo peccant mortaliter Parochi, omittentes facere fidei profeſſionem, quia Tridentinū *dicto cap.* 12. vtitur grauibus verbis, & ſub graui pœna imponitur, *ita Sanch. loco ſupra citato num.* 1. *Barb. de Offic. & Poteſt.* Parochi *par.* 1. *ca.* 4. *num.* 14. at vero ſi Parochus per ignorantiam in cogitantiam, ſeu inaduertētiam, illam non fecerit, nō videtur mortaliter peccare, cum bona fide, legem humanam transgrediens, mortale peccatum non committat. Nu. 5

Secundo amittunt fructus, vt expreſſe habet *Trid. dicto cap.* 12. *de turſos. ſ. poſt lapſum duorum menſium, non vero in ipſis duo-* Nu. 6

duobus mensibus ita etiam Garcia citatus apud Barb. de Offic. & potest. Parochi par. 1. cap. 4. nu. 15. vbi habet, non enim facta professio proficit, ad recuperandos fructus amissos, post dictos duos mẽses, sed tantum ad acquirendum futuros.

Nu. 7 Hæc autem pœna procedit vsque adeo, vt nec Ordinarius possit condonare fructus amissos, ob non factam fidei professionem, quia Ordinarius non potest remittere pœnam inflictam à Tridentino, nisi in casibus ibi expresse permissis.

Nu. 8 His tamen non obstantibus, pro certo fatemur, non teneri in conscientia huiusmodi fructus sic amissos restituere, nisi donec condemnetur *ita Barbos. loco sup. cit. cap. 4. num.* 19. *Sanch. loco cit. num.* 19.

Verum, quando restituendi sint hu
Nu. 9 iusmodi fructus amissi, ob non factam fidei professionem, communis omniũ fere sententia tenet, post Iudicis sententiam, eos esse impendendos, vel in vsus pauperum, vel in fabricam Ecclesiæ, verum de hoc apud Doctores.

Nu. 10 Excusabuntur tamen hi à prædicta fructuum restitutione, si ignari, prædicti decreti omiserint hanc fidei professionem, cuius ratio est, quia sicuti ignorantia illa, liberat culpam omissionis sic quoque liberabit pœnam, quamquam in foro exteriori huiusmodi ignorantia non admittatur *ita Sanch. num.* 13.

Nu. 11 Tertia tandem pœna est, vt possessio, nec illis suffragetur, quæ verba intelliguntur, vt non tollant omnino possessionem; sed impediunt eius effectum, quo ad fructuum perceptionem, *ita Sanch. num.* 10. *Barb. de Offic. & Potest. Parochi par. 1. cap. 4. num.* 22. *& in Trid. sess.* 24. *cap. 12. num.* 37. his igitur dictis.

QVAERES NONO:

An Parochus administrare teneatur Sacramenta.

Nu. 1 ANte omnia, animaduertendum esse puto, Parochos de iure diuino, teneri Sacramenta administrare, vti habetur *ex Trid. sess. 23. ca. 1. de refor. Vnde Ioa. Sancius in selectis disp* 47. *num.* 2. §. *Iterum*: habet hæc aurea verba. Iterum lege, & perlege. Caput illud primum *sect.* 23. & videbis Paroche, tibi iniunctam obligationem, per temet ipsum ministrandi Sacramenta: hæc Sancius, & dum ea administrant, sine mortali esse debent, modo infra suis in locis, si enim peccati mortalis, conscij ea administrauerint, lethaliter peccant, quare debent, prius sacramentalem absolutionem accipere, vel internum cõtritionis actum elicere, cũ proposito postea suo tempore confitendi, & per se ipsos in Dei gratiam restituere, *ita Barbos. de Offic. & Potest. Parochi par. 2. cap 1. nu.* 4. Nu. 2

Verum, vt distinctius procedamus, statuendum est, quibus in casibus, teneatur Parochus ea ministrare, & cum obligatio Sacramenta ministrandi, ex pluribus capitibus oriri possit; & primo ex voto, & obedientia, & hæc obligatio extrinsica dici solet, vel ex charitate, & misericordia, & de hac obligatione, nihil speciale occurrit dicendum cum seruandæ, & applicãdæ sint generales charitatis, regulæ, sicuti etiam, de alia obligatione supradicta, cum extrinseca sit modo dicto, nihil dicemus: item vel ex stipendio, promissione, & pacto, quæ licet suo genere grauis sit, & sub mortali obliget, tamen de hac, nihil loqui intẽdimus.

Solum autem sermo erit, de obliga- Nu. 3
tione illa per se quasi intrinseca, quæ ex officio oritur quæ quidem, licet non sit in omnibus Sacerdotibus, est tamen in his, qui ex officio Pastores sunt, & maxime in eo, qui proprijssime vocatur, proprius Sacerdos, seu Parochus, ad quẽ ordinarie, huiusmodi obligatio pertinet, cum ad hoc præcipue, alatur à fidelibus, vt eis Sacramenta ministret, de quo loquens *Barb. de offic. & potest. Parochi par. 1. cap. 1. num.* 11. *circa finem*, ait demum Curatus intelligitur esse is, qui accipit animarum curam, ex natura officij, qui accipit non solum posse, sed debere, non solum licentiam, sed vltra hoc, etiam officium, munus, onus, debitum curandi animas, quod inuoluit obligationem: eas curandi ex lege iustitiæ, cui propterea applicari possit, *illud Ezechielis* 33. sanguinem eius, de manu speculatoris requiram, secundum hanc igitur obligationem, quærimus, quibus

in

in casibus, teneatur Parochus Sacramẽta ministrare quare.

Nu. 4 Licet nonnulli asserant, inter quos est *Reginald. in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 8. num. 81.* Parochos non teneri Sacramentum Pœnitentiæ ministrare suis subditis, sub pœna peccati mortalis, voluntarie confiteri volentibus, sed solum in casu, quo confiteri tenentur, vel iure humano, vt semel in anno, vel iure diuino, vt in verisimili mortis periculo, aut quoties tale remedium eis necessarium esse videtur, ad aliquod peccatum mortale vitandum, licet hæc sententia probabilis sit. Tamen dicendum censeo Parochos, non solũ teneri ministrare hoc Sacramentum subditis, quando ipsi tenentur suscipere modo dicto, sed etiam aliis temporibus, si ipsi petant modo infra explicando, *ita Suar. tom. 4. disput. 22. sect. 1. num. 4.*

Nu. 5 Quod nam peccatum committant, nolentes ministrare huiusmodi Sacramentum, in hoc casu diligenter aduerte, quod habet *idemmet Suar. loco cit. nu. 5. §. Secundo est*, vbi habet, non semper mortaliter peccare Parochum negantem hoc Sacramentum subdito petenti, extra tempus necessitatis, nisi aliqua grauis vrgeret caussa, vt v.g. quia subditus graui aliqua tentatione, aut difficultate premitur, vel quia longum, aut difficile iter aggreditur, vel certe, quia est tempus iubilei, & priuaretur magna vtilitate, nisi confiteretur in his, & similibus euentibus, peccaret grauiter Parochus, negans hoc Sacramentum; at vero extra hos casus, non erit peccatum mortale, etiam si semel, aut iterum neget, seu differat dũmodo, non sit nimia dilatio, ita vt censeatur subditus priuari iure suo, in re graui, quod prudenti arbitrio existimandum est *vide Fagundez Ecclesiæ precep. 3. lib. 3. cap. 3. num. 4. vbi num. 5. affert sententiam Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 72. sect. 3. col 2. litt. A.* asserentis posse per accidẽs, excusari Parochũ, vel propter rationabilem caussam occurrentem, vel quia habet alios coadiutores, ad quos potestates suas, sine vllo dispendio remittere.

Nu. 6 Vide *Dianã resol. moral. par. 1. tract. 16. Miscel resol. 2.* vbi affert tres sententias, & omnes probabiles, primam affirmantem, secundam negãtem, tertiam distinguentem, scilicet Curatum teneri dare Sacramenta, toties, quoties petuntur sub mortali, quando qui petit est in Paschate, aut morte, at si communicatur, vel confitetur ex deuotione, tunc teneri sub mortali, quando si non dederit, qui petit non habet alium, à quo recipiat, si vero habet, à quo possit recipere, & recipiat, non teneri sub mortali.

Tandem vide *Sancium in Selectis disput. 47. nu. 6.* vbi habet. Vnde teneris etiam tu Paroche, non solum ex charitate, & misericordia spirituali, sed ex iustitia, ratione tui officij, confessiones quotidianas excipere, quas quidem possis, ex æquitare, obligaris enim neminem tuorum Parochianorum à profectu spirituali arcere, non tantum impedimentum, non apponendo, sed etiam opem neutiquam negando, *& num. 7.* infert Proh dolor, quam male aliqui Parochi se gerant, Sacramenta nunquam, aut fere nunquam administrantes, & suarũ ouium, curam mercendarijs committentes, nec scio, qua cecitate ducti Parochi, hæc non aduertant, tam clara, & quasi cecis nota, hæc nouissime Sancius valde adnotanda. Nu. 7

Illud tamen benigne omnes amplectuntur, quod si subditus importune, & nimis frequenter confiteri velit, non teneri Parochum, ad illum audiendũ, cum ad alias teneatur, etiam occupationes, & obligationes, & presertim, quia non tenetur Parochus summam adhibere diligentiam, aut laborem, sed moderatam prudentem sollicitudinẽ ita *Suar. loco sup cit. num. 5. vnde Sancius loco sup. cit. num. 10.* habet, quod si subditus tempore importuno hora scilicet prandij, aut somni, vellet peccata sua confiteri, aut quando potius expedit Parocho, agere alia negotia, talis qualis momenti, non teneri confessionem audire, vide etiam *Fagundez pracep. 3. cap. 3. num. 4. loco supra citato.* Nu. 8

Ex his dictis patet, quid dicendum de alijs Sacramentis, & infra etiam suis in locis patebit. Nu. 9

Verum, quid dicendum, de obligatione iustitiæ, tempore grauis necessitatis, etiam cũ certo vitæ propriç periculo. Nu. 10

De obligatione iustitiæ, tẽpore grauis Nu. 11

uis necessitatis, teneri Parochũ Sacramenta dare suis Parochianis, etiam cũ certo vitæ propriæ periculo, etiam si nõ sit extrema necessitas v g. tempore pestis, aut alterius morbi infectiuis nisi tamẽ adsint alij idonei ministri, qui sufficiẽter id præstent) ita inter alios tenent *Suar. in 3. par. tom. 3. disp. 72. sect. 3. col. 1. Vasq. in opusc de benef. cap. 4. § 2. ar. 1. dub. 2. num. 135.* vbi assignans rationem, ait teneri proprium Parochum, ponere animam suam pro ouibus suis, ita etiam *Fagundez præcep. 3. cap. 3. num. 1. vbi n. 3.* respondens ad argumenta aduersariorum, dicentium homo nõ est dominus vitæ suæ, sed tantum custos, & sub mortali tenetur, illam conseruare, ergo non potest vitam propriam exponere, pro alterius salute, sine peccato; habet, quod licet homo, non habeat dominium vitæ suæ, habet tamen, vsum illius, ad ea omnia, quæ recta ratio dictat, quamobrẽ, licet sub mortali, teneatur illam conseruare, tamen vbi recta ratio dictat, tenetur eam exponere, recta autem ratio dictat, quod exponatur pro stipendio temporali, quo eadem vita alitur, pro bono publico, & pro salute, ac bono spiritua li proximi; dictat etiam recta ratio, vt Pastores exponant vitam suam pro ouibus suis, hæc *Fagundez*, cui quidem sententiæ adhæreut non solum *Barb. de offic & Potest. Parochi par. 2. cap. 17. nu. 12* verum etiam, & quomplures apud hos.

Nu. 12 At difficultas est, quid dicendum sit tempore pestis, circa quam difficultatẽ, licet variæ sint Doctorum opiniones, inter quas Prima est illa *Armillæ verb. Episcopus num. 6.* asserentis Prælatum pro Sacramentorum administratione; quæ non sunt de salutis necessitate, sicut baptismus, sed sufficit animi præparatio, non teneri se morti exponere, vnde absolute negat, per se loquendo teneri Parochum Sacramenta subdito administrare, nisi solum in casu nimirum, quando moraliter timetur æterna proximi damnatio, si absque hoc Sacramẽto moriatur, hanc opinionem sequuntur quomplures apud *Suar. tom. 4. disp. 44 sect 3 num 2.*

Nu. 13 Secunda vero sententia est, nonnullorum asserentium propter confessionis Sacramentum administrandum, teneri Parochum accedere ad subditum etiam cum vitæ periculo, seu pestis infectionis, quando aliter non valeat, non vero propter alia Sacramenta, minus necessaria, etiam Eucharistiam ita inter alios *Maior apud Suarium num. 4.*

Tertia sententia esse potest *Nau. ca. 24. num. 10. & cap. 25 num. 133.* asserentis tempore pestis teneri Parochũ ad administrandum confessionis Sacramẽtum, & Eucharistiæ, non autem vnctionem extremam; hæ sunt variæ Doctorũ opiniones. Nu. 14

Tamen respondeo dicendum, Parochos teneri ex iustitia tempore pestis, per se loquendo, primo administrare, suis subditis confessionis Sacramẽtum, etiam cum vitæ periculo, quamquam possit, & debeat conuenientia media ad hibere, ad euitandum propriæ vitæ periculum, in administrando suo munere, quia propria charitas ita poscit, vti optime resoluit *Suar tom. 4. disp 44. sect 3. num. 13.* vbi supponit teneri Episcopũ, & Rempublicam, seu Communitatem, Parochis prouidere, de antidotis & necessarijs remedijs, ad eorum præseruationem, quãdo illa extraordinaria sũt, & valde ipsis Parochis onerosa sunt, nã si sint ipsis faciliora, ex officio ad illas ex pensas tenebuntur vide *Poss de offic. curati cap. 5. num. 58. Barb de off. & potest. Parochi par. 2 cap. 17. num 21.* Item supponit, teneri ægrotum, quo ad commode possit ad Sacramentum accedere, cũ minimo ministri periculo, & de longin quo stare, vel in tali habitu, aut loco, hæc Suar. Nu. 15

His igitur suppositis, statuit *Suar.* quoties Pœnitentiæ Sacramentum ministrari non potest, sine vitæ periculo, etiam in hoc casu, teneri Parochum il lud administrare, cum sit Sacramentũ necessarium ad proximi salutem, vbi etiam aduerte, quod habet *nu. 15.* neque cum hæc obligatio administrandi Sacramenta pertineat ad præceptum affirmatiuum, dari potest casus, in quo nõ teneatur Parochus, huiusmodi admini strare Sacramentum, vt esset si Parochus moraliter præsupponeret, & pro certo haberet infirmum non habere cõ scientiam peccati mortalis, vel esse bene dispositum, & periculum vitæ esse Nu 1

moraliter euidens, vide etiam *Barb. de offic. & potest. Parochi par. 2. cap. 17. num. 22.*

Nu. 17 At quid de Viatico dicendum sit, & licet Molfesius citatus *apud Dianã tract. 4. de Sacram. resol.* 174 §. *Notandum*, asserat non teneri Parochum, cum tanto vitæ periculo, viaticum infectis administrare (nisi necessitas proximi magna esset, vt quia valde dubitatur, de illius salute,) & hãc opinionem probabilissimam tenet ipsemet Diana. Tamen dicendum est, absolute, teneri Parochum viaticum ministrare infirmis, tempore pestis, cum ordinario contagij periculo, quod in tali occasione esse solet, etiã si in aliquibus particularibus casibus, excusari posset, vt esset si periculum multum augeretur, & proximi necessitas, nimium diminueretur, ita optime *Suar. loco sup. cit. num.* 17. hæc assertio nõ solum videtur ipsi Suario pia, sed etiam ipsius iudicio valde necessaria, ad bonũ animarum regimen, cum omnes timorati Parochi, id faciant, & Episcopi ad hoc eos compellant. & magnum sequeretur, in populo scandalum, si viaticum infectis non administrarent.

Illud autem prætermittendum non est, quod dum huiusmodi viaticum dare tenetur Parochi, posse sanctum hoc Nu. 18 Sacramentum ponere super cochleare argẽteum, & dare infirmis, ne sacerdos manu tangens infirmum inficietur, *ita Hier. Venero de exam. Epis. lib. 4. cap. 46. nu. 47. quamquam Diana par. 4. resolut. 114 hoc non admittat.*

Nu. 19 Summopere aduertẽdum est, quod habet *Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 1. nu. 13.* non licere Sacerdoti tempore Epidemiæ, aut pestis ponere Eucharistiam in loco decenti, dum contagium timet, vt inde infirmus, eam proprio ore, vel manu capiat.

Quid vero dicendum, de extrema Nu. 20 vnctione, & licet *Molfesius in summa to. 1. tract. 4 cap. 3 num. 51* asserat si peste infecti confessi sunt, posse Parochos tuta conscientia, hãc sequi opinionem, & Sacramentum extremæ vnctionis minime ministrare. Tamẽ dicendum puto, teneri Parochos administrare Sacramentum extremæ vnctionis, si id facere possint, sine morali vitæ periculo, vn de si pestis est periculosissima, mirum non est, quod in aliquibus prætermittatur, & præcipue, si solus sit Parochus, vti habet *Barb. de off. & potest. Parochi par. 2 cap. 17. num. 15.* cuius ratio est quia cum non sit sacramentum necessarium necessitate salutis, sed tantum præcepti, propter magnum periculum odoris, non tenetur semper, & absolute, illud ministrare, sed cum possit dari, sine tam euidenti periculo, dari debet, cum sit ex septem Ecclesiæ Sacramentis; ita *Hier. Venero loco supra citato nu 49. Villalobos in summa tom. 1. tract. 10. diff. 6. nu. 7. apud Dianam virum eximiæ virtutis tract. 4 de Sacr. resol. 164. ita etiam Suar. tom. 4. disp. 44. sect. 3. nu. 10.* vbi inter alia notatu digna habet, cum hoc Sacramentum, sit magnæ vtilitatis, & per se spectet ad ministerium, & obligationẽ Parochorum, tenentur præuenire periculum si commode possunt, & tentare remedia conuenientia, vt illud sine probabili periculo administrent, vel anticipando collationem huius sacramenti, statim in principio talis ægritudinis, priusquam multum inficere possit, quia iam hęc ægritudo, per se est lęthalis, vel vtendo virgula aliqua argentea ob longiori, ad vngendum ex distantiori loco.

Vnde prudenter *Siluius in tertiã partem quæst. 32. art. 3. citatus apud Dianam tract. 4 de Sacr. resol. 167.* habet aliqua, Nu. 21 quæ pro praxi multum, in tali casu sunt conducentia, scilicet curet Sacerdos, habere vestes breues, & ita eas, ad se colligat, vt quam maxime, potest fugiat cõtactum infirmi, præterea ægrotum (si commode potest) constitui faciat, in loco puro, & libero, non se statuat inter ignem, & infirmum, muneat se præseruatiuis, iudicio medicorũ, & vti potest virga oblonga, vere tamen oleo tincta sit, vt perficiatur vnctio, peracta autem vnctione, virgam eiusmodi, aut purgabit, aut in similem vsum seruabit, si aurea, vel argentea sit, propter reuerentiã Sacramenti, vel igne commuratur, si sit lignea, ita etiam *Diana par. 5. tract. 3. resol. 79.*

Ex superius dictis iam patet, tempore pestis Parochos fugere non posse, nec Nu. 22 populum deserere, bonus enim pastor animam suam dat pro ouibus suis, imo po-

potest Episcopus tempore pestis præcipere Parochis, etiam cum mortis periculo, ne ab Vrbe discedant, & quod necessaria Sacramenta petentibus administrent, quare hac de re *Sacra Congregatio Concilij sub die* 10. *Decembris* 1576. censuit, Parochos tempore pestis teneri omnino residere in suis Parochialibus.

Verum si quæras, an liceat Religiosis Nu. 23 tempore pestis fugere, an potius teneantur obedire *Prælato* iubenti permanere, ac Sacramentum peste infectis ministrare, instar Parochorum; illico respondendum censeo. Religiosum iussum à Prælato religionis, inseruire religiosis domesticis peste infectis in temporalibus, curam illorum agendo, cibaria, & medicamenta necessaria porrigendo, teneri obedire ita eleganter *doctissimus Sanch.tom.2.moral.lib 6.cap.2.num.* 55. *vbi num.*58.*&* 59. habet religiosum, nõ teneri obedire Prælato iubenti, eum inseruire externis peste infectis, quia hoc non est secundum regulam, *item n.* 60. habet religiosos mendicantes, & alios, quorum institutum est, spirituali proximorum saluti incumbere, non teneri tempore pestis manere in loco peste infecto, nec si maneant, teneri peste infectis ministrare, quando tamen id munus potest sufficiẽter per Parochos obiri, quia id munus per se primo Parochis incumbit, quorum munus est Sacramenta, suis Parochianis ministrare, at vero si Parochi non sufficiant, tenentur hi religiosi iussu Prælati regularis, eos adiuuare, & Prælatos tenetur, id præcipere, quia hoc non est supra eorum regulam, sed secundum illam, cum eorum munus sit esse Episcoporum, & Parochorum coadiutores, in salute spirituali proximorum adiuuanda, (intellige tamen quando non essent alij Sacerdotes, qui Episcopi sumptus vellent Parochis esse auxilio) hoc igitur quæsito explicato.

QVAERES DECIMO.

An Parochus teneatur quærere indigentes Sacramentis.

Nu. 1 DEbet in primis Parochus *iuxta Tridentini decretum sess.*23. *de refor.cap.*1. oues suas agnoscere, non solũ in genere, quo ad earum numerum, sed in specie singulas familias, & in indiuiduo personas, quaslibet, earumque ætatem, & qualitates, vt possint opportune omnia necessaria ad eorum salutem administrare.

Debet quoq; inuigilare circa pauperes, & miserabiles psonas vti perspicue declarauit S. *Carolus Borromeus citatus apud Barb.de Offic.& potest Parochi par* 1.*cap* 7.*nu.*25. in hunc modum *Inquirat autem scilicet Parochus studiose de pauperibus suæ Parochiæ præsertim puellis nubilibus, de viduis, orfanis, pupillis, ægrotis senio confectis, aliisque personis temporali, vel etiam spirituali misericordia indigentibus, quibus, & ipse pro viribus opitulari, & alios suo exemplo, & ortatu ad id officium incitare studeat. Præcipue vero de his omnibus sæpe certiorem faciat Episcopum, vt qui communis eorum pater est, iisdem paternam curam, & pietatem quacunque poterit ratione præstet.* Nu. 2

Demum tenetur, vti habet *Tol. inst. lib* 5.*cap.* 5.*num.* 8. infirmos suæ Parochiæ visitare, & scire an Sacramentis indigeant, quando periculosus est morbus, & debet ea ministrare, ipsosque ad suscipiendum exhortari, & ad faciendũ testamentum, & alia christiana opera, & in hoc non exequi officium suum, est grauissimum mortale peccatum vnde *Barb.loco supra cit.num.*26. fine habet, & si infirmus incipiat agonizari, aduertat Parochus maiorem ei incumbere adiuuandi obligationem, ac magnum, & necessarium ministerium esse moribũdis opem ferre, in eo statu, à quo, vel in bono, vel in malo dependet æternitas, dicitur enim momentum vnde pendet æternitas. Nu. 3

QVAERES VNDECIMO.

An Parochus excommunicatus possit Sacramenta ministrare.

PArochum excommunicatum occultum, petitum à suis Parochianis, vt missam celebret in die festo, vel Sacramentum aliquod ex necessitate ministret, non peccare, modo præmittat dolorem de peccatis, nec possit ab Nu. 1

solutionem excommunicationis obtinere, ante Sacramentorum administrationem; nec ipse sese sua sponte ingerat ad Sacramenta administranda, sed potius administret, tenent *Poss. de off. curati cap 5. num. 46. Barb. de off. & post. Parochi par. 2 cap. 17. num. 24. vnde Bon. de censuris disp. 2. quaest. 5 puncto 2. §. 3. num. 5. vers. respondetur*, prudenter habet in hoc casu Parochianos petentes ab eo missae celebrationem, vt illam in die festo audiant, minime peccare, ita etiã *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 9. num. 8.* vbi semper ipsi persuasum fuit, probabilius esse, Sacramenta à ministro, quocunq; etiam non parato excommunicato, dũ non sit denunciatus, nec notorius Clerici percussor, absque quauis necessitate, immunem esse culpae, si nullũ aliud obstaculum dempta excommunicatione interueniat, nec ipsum excommunicatum, praeuentum ministrantẽ peccare, & subinde, nec regularem esse, hoc etiam videtur sentire *Auila de censuris par. 2. cap. 6. disp. 6. dub. 2. vers. quinta opinio, & vers. ex dictis sequitur*.

Nu. 2 Quare Parochus excommunicatus vitandus, sine necessitate ministrans, & ab hoc, illa petentes, seu recipientes ex genere suo mortaliter peccat dixi (ex genere suo) quia aliquando excusari potest ab hac culpa, vel ratione ignorantiae inuincibilis, vel naturalis obliuionis, vel inaduertentiae dixi etiam (sine necessitate) quia si aliqua adest necessitas, excusari etiam potest à tali culpa ita *Suar. de censuris disp. 11. sect. 1. num. 2. Barb. loco sup. cit. num. 25.* vbi etiã habet Sacramenta, tamen ipsa sic ab excommunicato vitando administrata, valida esse (excepto tamen poenitentiae Sacramento,) & ratio huius est, quia ad hoc valide administrandum, requiritur iurisdictio, & nõ sufficit potestas ordinis; excommunicatus autem vitãdus, licet habeat potestatem ordinis, caret iurisdictione; maneat igitur Poenitentiae Sacramentum administratum ab excommunicato vitando nõ esse validum ita etiam *Bon. loco sup. cit. §. 4. nu. 1.* vbi etiã subdit confessionem factam excommunicato vitando, esse vtpote inualidam, etiam si poenitens ignoret ipsum esse excommunicatum, modo confessio non fuerit facta, in eo loco, in quo Sacerdos ignorabatur esse excommunicatus, & ex communi errore, ac titulo colorato habeatur pro legitimo Sacerdote, *ita Barb. num. 25. & 27. eum sequentibus*, verum de hoc fusius suis in locis tract. de censuris.

Sed vt clarius explicetur necessitas, quae se tenet ex parte recipientis Sacramenta, & licet omnes conueniant in casu necessitatis suscipientis Sacramenta, notorium excommunicatum posse, sine peccato, aliquod ministrare Sacramentum, tamen vt de singulis breuiter agamus, Nu. 3

Et primo in extrema paruuli necessitate non baptizati, animam agentis, licite administrari posse Sacramentum Baptismi à Parocho maiori excommunicatione excommunicato, denunciato, etiam heretico, resolutum videtur *ex D. Tho. in 3. par. quaest. 64. ar. 6. ad 3. Suar. de censuris disput. 11. sect. 1. num. 5.* quin imo in huiusmodi, si non baptizatus moriretur absque Baptismo, quia Parochus noluerit eum baptizare, tunc Parochus non baptizans, deponi iubetur, *vt expresse habetur in cap. Quicunque Presbiter de consecr. dist. 4.* vbi canon ille generaliter loquitur, de quocunque praesbitero non baptizante, ergo etiam generaliter accipiendus est, vti non nulli accipiunt. Nu. 4

Verum an debeat, in tali extrema paruuli necessitate, illud absque sollemnitate administrare, quidquid dicant alij, probabilius mihi videtur in tali casu absque sollemnitate debere illud ad ministrare, ita videtur sentire *D. Th. in 3. par. quaest. 64 ar. 6. ad 3.* vbi habet. In articulo tamen necessitatis, non peccaret in casu, in quo etiam posset laicus baptizare, sic enim patet, quod non exiberet se ministrum Ecclesiae, sed subueniret necessitatem parientis, haec D. Th. ita etiam *Sotus in 4. dist. 1 quaest 5. ar. 6. §. Nihilominus vera Tol instit. lib. 2. cap 20 nu 3. Barb. de Offic. & Potest. Parochi par. 2 cap. 18. num. 4.* vbi *num. 6.* habet nec posse ministrari sollemniter, in casu necessitatis, vel extra ab interdicto personaliter, quamuis contrarium probabile censeat *Suar. tom 5 de censuris* cuius rationem reddunt supradicti Doctores, Nu. 5

quia

quia satis est illud ministrare sine sollẽnitate ad satisfaciendum paruuli necessitati.

Nu. 6 Iterum potest esse difficultas, num in huiusmodi necessitatis casu, si alter præsens adsit, qui non sit excommunicatus, aut interdictus, licite peti possit ab excommunicato, & ipse licite Baptismum administrare possit.

Nu. 7 Circa quam difficultatem, vnum qui dem primo certum est, dum plures adsunt potestate pares eius, qui baptizandus est, scilicet plures Parochi, aut plures Sacerdotes, non Parochi, plures Diaconi, aut plures Clerici eiusdem ordinis, aut plures mulieres, viri, quorum tamen aliqui excommunicati sunt, & nõ alii tunc Baptismus suscipi debet a non excommunicatis, modo id possint, & velint, *ita Sairo de censuris lib. 2. cap. 2. nu. 14.* vbi etiam asserit, quod si adsint Sacerdotes excommunicati, & alij non, nec excommunicati, præferendos esse alijs, non Sacerdotibus, nec excommunicatis, quia Sacerdotes, ius habent administrandi baptismum: quamquam contrarium sentiant *Sil. & Nau. citati apud* Barb. *de offic. & potest. Parochi par. 2. cap. 18 num. 5.* asserentes etiam si adsit laicus non excommunicatus, esset præferendus Sacerdoti excommunicato, quia tunc nulla adesset necessitas, cum possit tale Sacramentum conferri à laico, qui quidem ordo seruandus est in clerico excommunicato cum laico, ita vt laicus præferatur Clerico excommunicato, & hęc de Baptismi Sacramẽto.

Nu. 8 Quid vero de Pœnitentiæ Sacramento dicendum sit, fateor in extrema necessitate, licite ab excommunicato denunciato etiam hæretico peti, & administrari valide posse huiusmodi Sacramentum: *ita ex Trid. sess. 14. cap. 7. de casuum reseruatione*, vbi hæc formalia habentur verba. *Verumtamen pie admodum ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem* Ecclesia *Dei custoditum semper fuit vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet Pœnitentes, à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt, hæc Concilium*, cũ igitur Cõcilium, sine vlla limitatione dicat (omnes Sacerdotes) & generaliter loquatur, generaliter, etiam accipiendum est, nam, qui omne dicit, nihil excludit, maneat igitur, cum dicat, omnes Sacerdotes, etiam hæreticos eo casu absoluere posse ita *Suar. de censuris disp. 11. sect. 1. num. 14. Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 1. num. 16. Barb. in Trid. sess. 14. de Sacr. pæn. cap. 7 num. 13. Reginal. Nau. & alij apud ipsum citati.*

Verum aduerte, totum hoc intelligendum esse de hæreticis, non permanentibus in sua hæresi, nam licet Sacerdos hæreticus, non prohibeatur ministrare hoc Sacramentum Pœnitentiæ, in illo articulo, ex vi excommunicationis contractæ ob hæresis peccatum, vt probatum est ex *Tridentino* tamen ex vi hæresis, quamdiu in illa permaneat, prohibitus est, ne ministret, quia est prauæ dispositus, & indignus administrandum, id quod etiam dicendum est, de quouis excommunicato, vel peccatore persistente in sua contumacia, quare, si quis, licet sit excommunicatus, vel declaratus, interius tamen cõuertatur ad fidem, & ad Pœnitentiam, & antequam reconcilietur à censura ecclesiæ, occurrat necessitas absoluendi aliquem Sacramentaliter in articulo mortis constitutum, tunc non peccabit eum absoluendo secluso tamen scandalo ita *Suar. loco supra citato num. 14.* Secluso etiam infectionis, & peruersionis periculo *ita Sairo de censuris lib. 2. cap. 2. nu. 20. Barb. in Trid. loco proximo citato, & hæc de Pœnitentia Sacramento.* Nu. 9

Circa vero Eucharistiæ Sacramentum, quidquid dicant alij censeo posse excommunicatum denunciatum Parochum, ministrare huiusmodi Sacramentum, homini existenti in extrema necessitate, quando non est alius, qui ministret, cuius ratio est, quia hoc Sacramentum est suo quoque modo Sacramentũ necessarium, maxime adiuuans animæ salutem in vltimo extremæ vitæ periculo, *ita Suar. loco sup. cit. num. 17.* an vero peccet, non se contenendo de excommunicatione modo supradicto, de hæretico administrante Pœnitẽtiæ Sacramentum, varij varia dicunt, nam sunt, qui asserant ministrantem Eucharistiã consecratam, in peccato mortali, sicuti est in casu nostro mortaliter peccare, *ita Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 3. nu. 10.* Nu. 10

Fil.

Filliucius Villa. & *alij citati apud Barb de off.* & *potest. Parochi par.* 2. *cap.* 20. *nu.* 17. Tamen dicendum puto, Parochum administrantem Eucharistiam consecratam, in peccato mortali, non peccare mortaliter, quia cum non sit minister Dei, ad iustificationem proxime, sicut in alijs Sacramentis, sed tantum est, veluti applicans actiua passiuis, in alijs nãque sacramentis, Sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, inde est, quod administrans Eucharistiam consecratam, in mortali peccato, non peccat mortaliter, *ita Barb. de Off.* & *potest. Parochi par.* 2. *cap.* 20. *nu.* 17. & *Doctissimus* Diana *in additionibus secundarijs re sol.* 5. *Siluius Cabrera Vasquez Petrus de Reina Ioan. della Crux Nugnus*, & *alij apud eundem Dianam tract.* 14. *de celebr. miss. resol.* 23.

Nu. 11 Quod vero attinet, ad extremam vnctionem, non posse ab excommunicato administrari, cuius ratio est, quia huius modi Sacramentum non est medium necessarium ad animæ salutem, neque constat esse diuino iure præceptum, & semper supponit Pœnitentiam & absolutionem à peccatis, & ideo per se loquendo non conceditur interueniẽte censura, in mortis articulo, tenet *Suar. de censuris disp.* 11. *sect.* 1. *num.* 23. vbi probans suam opinionem infert *ex ca. quod in te de pœn.* & *remiss.* vbi dicitur tempore interdicti generalis, non esse dandã extremam vnctionẽ, infert inquam hãc consequentiam ergo, nec dari potest, per se loquendo à ministro excommunicato.

Nu. 12 Verum aduerte, aliquando licitum videri hoc Sacramentum administrari posse ab excommunicato, si accidat casus, in quo infirmus sit incapax alterius Sacramenti, vt si nullum dedit confessionis signum, & omni sensu, ac motu priuatus est, ita vt nec absolutionem sacramentalem, neque Eucharistiam sumere possit, & ratio est, quia moraliter loquendo fieri potest, vt salus æterna illius infirmi dependeat ex receptione Sacramenti extremæ vnctionis, quia fortasse infirmus, est tantum attritus, & per illud Sacramentum, ex attrito fit contritus, ita *Suar. loco supra citato num.* 23. verum de hoc infra.

Quod autem attinet ad alia Sacramenta nempe Matrimonium, & Ordinem, licet *Sairus de censuris lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 22. asserat, non posse licite peti, vel ministrari à præciso denunciato, seu hæretico, cum homo nunquam constituatur in necessitate hæc Sacramenta suscipiendi, tamen in matrimonio dari potest casus necessitatis, in quo moraliter necessarium sit, vel ad spiritualem hominis morientis salutem, vel ad magnum commodum filiorum tẽporale, vt in mortis articulo vxorem ducat, & quod nullus alius adsit Sacerdos, qui interesse possit *ita Suar. de censuris disp.* 11. *sect.* 1. *nu.* 24. vbi reddens rationem, ait quantum est ex parte censuræ non dubitat ipse *Suar.* neque nos dubitamus cum ipso, quin licite possit huiusmodi Sacerdos, adesse tali matrimonio; tum quia necessitas est moraliter grauissima, & ita habet locum particula illa (necesse) tum etiam quia Sacerdos ille, tunc reuera non ministrat Sacramentũ, sed solum adest, vt testis qualificatus, iure ecclesiastico necessarius ad valorem talis contractus, & consequẽter ad Sacramenti substantiam, & ideo per se non videtur, illa communicatio adeo grauis, quin propter talem necessitatẽ liceat, hæc optime *Suar.* Nu. 13

Illud autem valde notandum est, quod habet *Sanch. de matrim tom.* 1. *lib.* 3 *disp.* 21. *num.* 4. Parochum scilicet excommunicatum valide assistere posse matrimonio: item suspensum, & irregularem, etiã si sit excommunicatus, non tolleratus, quia cum spectat ad suum munus, communicat in re necessaria, item quia excommunicatus, suspensus, vel irregularis dum Parochia non priuatur, manet in possessione, & verus Parochus est, tandem præsentia Parochi requiritur in matrimonio quasi auctoritatem illi præstans, per potestatẽ, quam habet in subditos, sed auctoritatẽ præstare actui sua præsentia, non est actus iurisdictionis, manet igitur dicendum posse valide fieri, etiam ab excommunicato non tollerato, quare iam vides *Sanch.* tenere Parochum matrimonio assistere, non esse actum iurisdictionis *ita etiam Valerius* Reginal. *Ricc. Molf. Bon.* & *alij apud* Barb. *de off.* & *potest. Parochi* Nu. 14

rochi par. 2.cap. 21.num. 51. vbi num. 52. affert sententia Basilij Pontij asserentis Parochum excommunicatum assistentem matrimonio,non effici irregularē, & hanc etiam sententiam affert *Barb. de Offic.& Potest. Epise par. 2. alleg. 32. num. 90.*

Verum an peccet,difficultas est,& li-
Nu. 15 cet *Basilius Pontius de matr. lib. 5. cap. 17. dub. vnico num. 11.* asserat esse mortale peccatum. Tamen dicendum est cum Sanch. loco supra citato *nu.* 8. Parochū non tolleratum assistentem matrimonio,vel alteri licentiā concedentem,nō peccare mortaliter;quia cum ad suum munus spectet,in re necessaria,communicat,& licet ex alia parte videatur peccare, quia videtur exercere actum iurisdictionis,dum sponsus benedicit, illis verbis,quæ præcipit *Tridentinū sess. 24. de matr. cap. 1.* Ego vos coniungo, tamen venialem culpam non excedit, quia in nullius est præiudicium, & res est parui momenti, nec necessaria ad Sacramentū, vnde si ommitterentur hæc verba, tantum esset veniale hæc omnia *Sanch.*

Collige ex hoc excommunicatum
Nu. 16 tolleratum matrimonio assistentem, nullā contrahere culpam, secus autem non tolleratum, nam hic veniale peccatum committeret ita etiam *Diana tract. 4. de Sacr. resol.* 233. vbi notat cum *Suar.* certum esse nullum peccatum cōmittere Parochum excommunicatū, quando in mortis articulo esset necessarium matrimonio assistere *vbi* §. *Notandum est ex Sanch. de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 21. nu. 7.* notat Parochum excōmunicatum,etiam nō toleratum, valide posse alijs licentiā dare, vt matrimonio assistant verum fusius suis in locis, quare vt ad Ordinis Sacramentum deueniamus.

Nu. 17 Et licet Sacramenti Ordinis vere, & proprie Episcopus sit dispensator, vt de fide definitum est *in Trid. sess. 23. de Sacr. Ordinis can. 7. & de off. & potest. Ep. multa egit Barb. & præcipue de Sacr. Ordinis par. 2. alleg. 2.* tamen licet Episcopus sit maiori excommunicatione notatus, & publice denunciatus, & Episcopi iurisdictio per huiusmodi excommunicationem suspendetur *cap. ad probandum 24. de Re iudicata c. Audiuimus 24. quæst. 1. vti refert Barb. de off. & potest. Epis. par. 3. alleg. 54. nu.* 146. tamen in ordine dari potest casus necessitatis, vt esset si aliqua Prouincia haberet magnam necessitatem Sacerdotum,seu clericorum,& non esset nisi vnus Episcopus excommunicatus,qui posset ordines conferre, tunc mihi videtur propter commune bonum Prouinciæ,licite sine culpa manente inopia alterius Episcopi,posse Episcopum excommunicatum ordines conferre *ita Suar de censuris disp. 11 sect. 1. num. 25.*

QVAERES DECIMOSECVNDO.

An Parochus minori excommunicatione ligatus, licite Sacramenta ministrare possit.

Qvamquam huiusmodi dubium,sit admodum controuersum, vt videre est *Dianam tract. 4. de Sacr. resolut. 56. & Barb. de offic. & potest. Parochi par. 2. cap. 17. nu. 26.* Quidā enim affirmarūt Parochum minori excommunicatione nudatum, conferendo Ecclesiastica Sacramenta, peccare mortaliter; Alij autē dixerunt veniale committere peccatū, Alij tertio cum quibus sentiendum est, pro certo tenent nullum committere peccatum, ex quorū numero sunt *Nau. in manuali cap. 27. nu. 24. Henriquez in summa lib. 13. cap. 3. §. 1. num. 5. Vgolinus de censuris tab. 3. cap. 6. §. 2. Filliu. tom. 2. tract. 13. cap 2. nu. 24. Suar. de censuris disput. 24. sect. 2. à n. 5. vsque ad 12. fine* vbi ait priorem sententiam asserentem Sacerdotem ligatum minori excommunicatione, posse licite, & absque peccato ministrare Sacramenta solidiorem, & veriorem videri, cuius rationem reddit quia solum est priuatus a passiua receptione Sacramentorum, non autem actiua. Nu. 1

Et licet in contrarium videatur obstare *caput si celebret de clerico excommunicato*, vbi habetur peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta, tamē non est contra nos, quia hæc verba, nō intelliguntur de quocunque Sacerdote sic excommunicato, sed de celebrante, ait enim Pontifex peccare Sacramentū Nu. 2

mini

ministrando, eum, qui celebrando minori excommunicatione ligatus, Ecclesiastica Sacramenta confert verum de hoc legite *Suarium loco sup. cit. num.* 10. quamquam doctissimus Diana loco supra citato propter hæc Pontificis verba asserat peccare mortaliter, cum in textu expresse dicatur, *quod peccet*, idquod nos vltro fatemur, sed modo supra explicato:

QVAERES DECIMOTERTIO.

An Parochus possit dare licentiam alteri, administrandi Sacramenta.

Nu. 1 Dicendum breuiter censeo Parochum, seclusa Episcopi reseruatione posse alteri dare, etiam simplici Sacerdoti licentiam, Sacramenta administrandi, excepta tamen (Pœnitentia) quam dat solus Episcopus vti habetur *ex Trid. sess.* 23. *de refor. cap.* 15. *ita Poss. de off. curati cap.* 5. *num* 50 *Barb. de off. & potest. Parochi par.* 5. *cap.* 17. *num.* 37, qui nostram confirmat sententiam ex decisione facta à Sacra Congregatione negotijs Episc. & regul. super hoc dubiū rescribens Episcopo Castellaneti, *sub die* 20. *Augusti* 1602. qui hoc Episcopū ei prohibere non debere resoluit.

Nu. 2 Ministrare vero, sine tali licentia, Sacramenta esse peccatum mortale tenet *Poss. loco sup. cit.* qui refert sententiam *Silu. verb bap.* 3. dicentis in baptismo, nō incurri irregularitatē, licet *Armilla ver. bap.* §. 39. contrariam teneat sententiam sed de his infra.

Nu. 3 Quid vero dicēdum sit, de religiosis, sine speciali Parochi licentia, præsumētibus aliqua ministrare Sacramenta: pro certo tenendum est religiosos, qui sine speciali Parochi licentia præsumūt Clericis, aut laicis Sacramētum Vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ: matrimoniaue sollemnizare excommunicationis sententiam ipso facto incurrere per Sedem Apostolicam dumtaxat absoluendam vti habetur ex Clementina prima de priuilegijs *ita Barb. de offic. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 17. *nu.* 40. *& de offic. & potest. Episc. par.* 3. *alleg.* 50. *num.* 96. vbi aduertit verba illa matrimonuia sollemnizare intelligenda esse, tam de religiosis præsumentibus ministrare sollemnes benedictiones, quam assistere, & interesse mattimonio verum de hoc infra.

At verò quid dicendum, de religiosis existentibus in partibus Indiarum Occidentalium ad curam Indorum, tanquam Parochi libere suis Parochianis ministrare valentibus sine metu dictæ excommunicationis legite *Barb. de off. & potest. Parochi cap.* 17. *loco sup. nu.* 41. vbi ait posse ministrare sine metu dictæ excommunicationis, quia id faciunt ex commissione Papæ, sed de hoc apud Barbosam. Nu. 4

Verum quid dicendum, de illa quæstione an Parochus possit exponere ad confessiones audiendas approbatos à quocunque Episcopo, & quamquam negatiue respondeat *Nugnus in additionem ad* 3. *par. quæst.* 8. *ar.* 5. *dub.* 7. *ad quartum argumentum.* tamen licet Parochus post Trid. concedere non possit facultatem simplici Sacerdoti ad accipiendas suorū Parochianorū cōfessiones modo supradicto: adhuc tamen hanc licentiā, maxime non extante Episcopi prohibitione concedere potest Sacerdotibus saltem approbatis ab aliquo Episcopo, siue sit alienus, siue suus, patet quia potestas Parochis concessa *in cap. omnis vtriusque sexus* delegaudi suam iurisdictionem alijs Sacerdotibus alias idoneis non est ablata in Concilio Tridentino, sed solum, quod Parochi non possint iudicare de idoneitate requisita pro cōfessionibus audiendis, vnde patet posse Parochum delegare suam iurisdictionem Sacerdoti semel approbato à suo, vel extraneo Ordinatio ita *Ioan. de la Cruz, Ledesma, & alij apud Dianā tract.* 4. *de Sacr. resol.* 110. §. *sed hanc* vbi etiam citat *Egidium Coninch*, qui habet, quandiu Episcopus non prohibet suis Parochis, aut superioribus religionum, ne Sacerdotes alibi approbatos, ad audiendas confessiones in sua Diœcesi exponāt, hos valde assumi, & exponi posse à Parochis, quia habent conditionem à Tridentino requisitam, quod scilicet à suis Ordinarijs sint approbati ita etiam *Fagundez præcep.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 43. Nu. 5

Vnde, Diana loco supra citato §. *Notandum est* asserens sententiam *Ioannis* Nu. 6

San-

Sanctij in Selectis disp.48.num.52. & aliorum habet supradictos Confessarios,ex consensu Parochorum audientes confessiones non esse puniendus ab Episcopis, eo quod in aliena diœcesi confessiones auscultent, quia secundum opinionem Doctorum probabilem,cum non committant culpam,digni nequaquam erunt pœna,sed in casu, de quo loquimur Confessarij sequuntur probabilẽ opinionem,ergo digni non erunt vt ab Episcopis puniantur.

Nu. 7 Verum aduerte,quod habet ipsemet Diana loco supra citato fine, his non obstantibus omnia supradicta, disputationis causa dicta esse volo, nam negatiuam sententiam in praxi obseruandam esse putat ita ille, & Ego,qui hanc sequor negantem opinionem, quare licet contraria sententia affirmatiua probabilis esset,vti probabilem iudicaret *Diana tract.4.de Sacramentis resol.146. §.Verum ego,* nisi tamen obstaret in contrariũ declaratio Eminentissimorum Card.cõcilij interpretum, quàm affert, & sequitur *Petrus Fay* apud Dianam.

Nu. 8 Tandem aduerte, Parochum exponere posse alium Parochum ad confessiones audiendas in sua Parochia ita *Diana loco supra citato §. Notandum est*, & ita Parochi per bullam, aut iubileũ, &c. sunt eligibiles per totum mundum ad confessiones audiendas sine Episcopi approbatione, patet quia Parochiale beneficium obtinentes idoneos esse *iuxta Tridentini formam sess.23.cap.15.* & nullam aliam approbationem requirunt,præterquã quod Parochiale beneficium ita *Fagundez precep.2. lib.7.cap. 2.num.36.Tol.Vsualdus, Henriquez, & alij apud* Dianam *loco supra citato, & resol.*160. & hanc sententiam docet etiã *Suar.tom.4.disp.28.sect.4.num.18. & sequẽt*; quare ex Suarij doctrina,infertur Parochum v. g. Messanensem,posse ex licentia,Parochi Panormitani confessionem Panormitanorum,in eius Panormitana Parochia recipere, absque alia Episcopi Panormitani approbatione, nã *ex Tridentino* aperte reputatur idoneus ipso iure, quicunque Parochiale habẽs beneficium,vt non tantum in sua diœcesi, sed etiam in alia audite possit confessiones (iurisdictione tamen sibi commissa)nulla expectata Episcopi illius diœcesis approbatione; & qui hanc sequuti fuerint opinionem,non se exponunt periculo efficiendi irritum valorẽ Sacramenti, nam qui cum opinione, probabili Sacramentum administrat, quo ad suam iurisdictionem semper illud conficit, nam Ecclesia in tali casu confert illi iurisdictionem *ita etiam Sãctius in selectis disp.44.num.28.*

QVAERES DECIMOQVARTO.

Quid agendum quando Parochus de nocte vocatur,cum magna instantia.

AD hoc dubium *Poss. de offic. curati cap.5.num.35.* respondet non teneri curatum ire semiuestitum, vt acceleret,& hoc vniuersaliter practicatur; verum est tamen,quod debet festinare, & relinquere omnia,quæ non sunt necessaria,ad necessarium vestitum, puta non debet se polire,lauare, pectere, ac se vestire,ac si deberet in die claro per medium forum transire. Nu. 1

At vero,si Parochus vocatus,nisi properet semiuestitus, infirmus moreretur,sine confessione,licet hyems sit aspera,& horridum cœlum,tamen tenetur Parochus semiuestitus, cum probabili vitæ periculo, & etiam cum manifesta morte,festinare; tenetur enim anteferre animam proximi, vitæ propriæ;vti concludit *Poss.loco sup. cit. num. 36.vbi num.37.* Docet,quod si Parochus vocatus de nocte, vel de die cum magna instantia,non teneri currere, vt citius ad infirmum perueniat, sed sufficit si festinet,quia consuetudo vniuersalis, ita declarat,& si esset currendum alias infirmus moriretur sine confessione tunc in tali casu esse currendum. Nu. 2

Et idem agendum,pro baptismo, cũ ista sint Sacramenta necessaria, in alijs vero functionibus sufficit festinare,quia non sunt absolute necessaria, quare aduerte,quod habet idem *Poss citatus apud Barb.de off.& potest.Parochi cap.17.par. 2.num.23.* scilicet non posse Curatum, qui capitales gerit inimicitias admonere populum,vt qui indiguerit illius opera,vocet eum de die,& non de nocte,& protestari se tunc nolle ire,quia tenetur Nu. 3

ire, quoties necessario vocatus fuerit, posse tamen monere populum vt pro viribus vocent de die, quia in nocte sunt difficultates maiores, dummodo non escludat vocationem de nocte, vbi *num.* 21. *ait Barb.* in hoc casu debere Curatum ire, sed potest vocare amicos, qui eum associent, si hoc potest, curet etiam vt ipsi vocantes alios associantes vocent, & si hoc non potest ferat arma, vt se defendat, quia ita ei licet, & hoc etiam si ferat Sacramentum, puta extremæ vnctionis. Porro ita posset agere statim, atque constiterit ei, de inimicitia, videat, an possit reconciliari inimicis, si hoc non potest, rem deferat ad Episcopum, & obtenta licentia, arma deferat, sed occulte; at vero si vocatur pro Baptismo sufficit, vt doceat modum, quo vocantes ipsi baptizent, absque eo, quod ipse vadat, si vocatur pro extrema vnctione, non credo, quod teneatur, ire cum tanto periculo, nisi ægrotus alijs Sacramentis iuuari nequeat, minus tenetur ire, pro commendatione animæ, cum tanto periculo, sed si vocatus fuerit pro confessione curet infirmum audiri, per alium Sacerdotem, quod si hoc non potest, eat vt dictum est hæc Barb.

Nu. 4 Verum quid dicendum, si Parochus vocetur pro communicando, vel vngendo infirmo, & oporteat illum, aut portare Sacramenta sine lumine, & cæteris necessarijs, quia non habet, qui adiuuat, aut si velit expectare adiuuantes, credibile sit, interim infirmum moriturum sine Sacramentis, ad hanc difficultatem respondet *Poss. loco sup cit. num.* 38. de extrema vnctione esse clarum, posse portari, sine dictis sollemnitatibus, quia etiam in Cœna Domini accipitur à Cathedralibus, & defertur sine lumine, & superpellicio per totas diœceses, obseruando semper in hoc proprij Episcopatus constitutiones, at vero si sine causa, Parochus sic faceret venialiter tantum peccaret, seclusa Episcopi constitutione *ita etiam Barb. de off & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 21. *num.* 44. vbi etiam habet non bene agere, eundem Parochum timentem de nocte se vocaturum pro infirmo periculoso, si vespere ferat oleũ extremæ vnctionis, ad suum cubiculũ, vt vocatus expeditius vadat, vel si de nocte reuersus ab vnctione infirmi, vt se citius expediat, oleum nõ referat ad solitum locum, sed retineat domi vsque mane: nullum tamen credit *Poss.* peccatum mortale contrahere citra scandalum, vel periculum alicuius irreuerentiæ.

At vero circa communionem vrgẽtius est dubium quandoquidẽ *Sil. verb. Sacramentum num.* 3. habet ferri non posse cum non sit Sacramentum absolute necessarium, sed *Poss. loco sup. citato num.* 38. §. *De commun.* asserit melius esse ferre sine cęteris sollemnitatibus, dũmodo deferatur *secundum caput Sane de celeb miss.* decenti habitu, scilicet stola, & superpellicio, præcedente lumine, ad quod sufficiet in necessitate vnicus minister, & si non possit haberi mas, credo sufficere fœminam, quæ tamen necessitas videtur non posse contingere, nisi raro, sed de hoc melius infra suis in locis, & hæc satis dicta sufficiant, quo ad primam disputationẽ quare sit. Nu. 5

DISPVTATIO SECVNDA
DE SACRAMENTIS.

Hactenus, de Sacramentorum administratione in genere loquuti sumus, nunc autem de ipsis Sacramentis agemus, & Primo de ipsis in communi, postea in sequentibus, de quinque Sacramentis in particulari, pertinentibus ad Parochos, & eorum coadiutores disputabimus, & nè in rebus, in quibus nulla est difficultas immoremur, sit.

VNI-

VNICA DIFFICVLTAS
QVID SIT SACRAMENTVM IN COMMVNI.

CVm non sit nobis animus hic diffuse omnia pertractare, quæ ad Sacramentorum considerationem pertinent, sed solum aliqua, hic breuiter adnotare, ideo sub hac difficultate: breuiter aliqua ponemus Quæsita, abstinentes tamen à speculationibus, quæ exagitari solent apud D. Tho. in 3. par. quæst. 70. quare.

QVAERES PRIMO.

Quid, & quotuplex, & quænam requirantur ad omnia Sacramenta.

Nu. 1 QVo ad primum fatemur Sacramentum esse signum sensibile pratticum, rei sacræ sanctificātis homines, à Christo Domino institutum *ita Magister meus P. Ioseph Augustino in libello breuis notitia de Sacramentis num.* 2. explicationem autem huius legire apud ipsum.

Nu. 2 Quod vero attinet ad secundum, certum est, Sacramenta nouæ legis esse septem, scilicet Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium omnia à Christo Domino instituta, vt definit *Trid. sess. 7. de Sacr. can.* 1. atque eorum institutio fuit conuenientissima post peccatum hominū saluti, vt commode, & congrue ad finē peruenire possent, & magnam gratiam paruo labore consequi, posita vero iustitutione, eorum vsus est necessarius vt definit *Trid sess. supra citata can.* 4.

Et tandem quo ad tertium, ad om-
Nu. 3 nia sacramenta tria requiruntur necessario. Materia, scilicet, Forma, & Intentio ministri, in matrimonio tamen requiritur præterea Parochi præsentia, & duorum testium, quamquam intentio ipsius Parochi non sit necessaria, nam ipse Parochus non est minister huius Sacramenti, sed ipsimet contrahentes vt suo loco dicemus.

QVAERES SECVNDO.

Quænam sit materia, & forma Sacramentorum.

QVo ad primam huius quæsiti partem. Respondeo dicendum Sacramentorū materias esse res aliquas sēsibiles, à Deo determinatas, dicitur autem, Res, Materia, & verbum, forma vt infra in genere scilicet signi, quia res minus perfecte significant, quam verba, & quia determinatiuum, habet se vt forma, respectu determinabilis, hinc Res dicuntur. Materia, & Verba forma. Nu. 1

Verum aduerte nomine, Rei, quæ dicitur esse materia in Sacramento, non necessario intelligendum esse, aliquod contra distinctum ab omni verbo, sed quidquid, illud sit, siue res, siue verbū, quod significationem habeat minus determinatam, atque adeo vlterius determinetur, qua ratione in Sacramento Pœnitentiæ vt suo loco, ipsa vocalis cōfessio, licet fiat verbis, est tamen materia Sacramenti; forma autem sunt verba absolutionis, eadem ratione cum dicuntur verba esse formam, per verba non solum intelliguntur proprie verba, sed etiam aliquod, quod gerat vicem verbi, atque adeo sit vltimum determinatiuum, quare in matrimonio esterna signa loco verborum sufficiunt. Nu. 2

Materia igitur Sacramētorū duplex est remota vna propinqua, altera vt videre est in quolibet Sacramento. Nu. 3

Materia enim remota baptismi, est aqua naturalis, & non artificialis. Propinqua vero est ablutio. Nu. 4

Materia remota confirmationis, est Chrisma consecratum ab Episcopo. Nu. 5

Propinqua est vnctio in fronte.

Nu. 6 Materia remota circa quam, versatur Eucharistiæ Sacramentum est panis triticeus, & vinum ex vite, materia propinqua, sub qua formaliter cõtinetur Christus, & sanguis domini nostri Iesu Christi, & concomitanter anima, & diuinitas verbi, sunt species consecratæ, continẽtes corpus, & sanguinem Christi, animam, & diuinitatem verbi.

Nu. 7 Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, sunt peccata, materia necessaria sunt mortalia, sufficiens sunt venialia, & mortalia aliàs confessa Materia vero propinqua sunt actus pœnitentis, scilicet Cordis contritio, Oris confessio, & operis satisfatio.

Nu. 8 Materia remota extremæ vnctionis, est oleum oliuarum benedictum ab Episcopo. Materia vero propinqua, est vnctio in sensibus esternis ægroti.

Nu. 9 Materia remota Sacramẽti Ordinis, sunt illa instrumenta, quæ porriguntur ab Episcopo Ordinandis. scilicet calix cum vino, & aqua, & patena cũ hostia, est materia Sacerdotij; liber euangeliorum est materia Diaconi; calix vacuus cum patena, etiam vacua superposita, est Subdiaconati, candelabrum cum cãdela extinta, & vrceolus vacuus sũt Acoliti, liber exorzismorum est exorcistæ, liber lectionum est lectoratus, Claues Ecclesiæ, sunt Hostiarij; At vero materia propinqua, est illa porrectio istorũ instrumentorum.

Nu. 10 De quo ordinis Sacramento eiusque materia multi agunt, & præcipue *Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 2. & sequentes*, Ordinis igitur Sacramentum fuit institutum à Christo domino, vt de fide definit *Trid. sess. 23. de Sacr. ordinis cap. 1*, quod quidem ordinis Sacramentum, gratiam confert, vt reliqua Sacramenta, & imprimit charatherem, sicut Baptismus, & Confirmatio; in singulis ordinibus in anima suscipientis, nempe quandam spiritualem animæ qualitatẽ, quod quidem fit in susceptione, illius signi exterioris, ad quod concurrunt alicuius instrumenti traditio; & expressio verborum, sed de his apud Barb.

Nu. 11 Aduerte tamen secundum Canonistas, gradus, quos continet Ordo, esse nouem, scilicet Primam tonsuram, Ostiaratũ, Lectoratũ, Exorcistatũ, Accolytatũ, Subdiaconatum, Diaconatũ, Præsbiteratum, & Episcopatum, quare secundum hanc opinionem Prima tonsura est clericatus, & Ordo, vnde *Barb. loco supracit. num. 17. circa medium*, ait Tonsuratos appellatione clericorum comprehendi, & gaudere omnibus priuilegijs, quæ clericis in sacris constitutis conceduntur, quamquam *num.* 18. non neget Primam tonsuram semper, & quoad certos effectus proprie Ordinem nũcupari, sed saltem distingui à minoribus Ordinibus, & eorum appellatione aliquando non venire.

At vero secundum Theologorum opinionem, Primam tonsuram, esse tantum præambolum, seu dispositionem ad Ordines, sicuti nouitiatum ad religionem, & tandem concludit, quod si quis voluerit sequi Theologorum doctrinam, & Canonistarum non improbare sententiam, dicere poterit Ordines esse septem proprie sumptos, & pertinẽtes ad consecrationem hostiæ, nouem autem improprie ratione quarundam actionum *ita Barb. num. 18. & tandem num. 21.* affert veriorem sententiam eorum asserentium omnes tam maiores, tum minores, Ordines, esse Sacramentum, & caractcrem imprimere, & gratiam conferre, & ita omnes Ordines licet sint per se singuli Sacramentum, tamen vnum Sacramentum censentur, quia vnum sunt, vel genere, vel quia ad vnum finem omnes referũtur, verum vt ad nostrum reuertamur institutum. Nu. 12

Materia remota Sacramenti Matrimonij sunt personæ habiles ad contrahendum. Materia propinqua, & proxima est traditio corporum vide *P. Gesualdum de Bononijs Capuc. de Sacram. matr. tract. 1. cap. 2 num. 14.* Et hæc de Sacramentorum materia verum vt ad formam reuertamur. Nu. 13

Formam igitur Sacramentorum cõsistere, in verbis modo supra explicato, docuerunt Illuriores Doctorrs, & est communis omnium Doctorum sententia, vt autem hanc in singulis explicemus. Nu. 14

Et primo vt à forma *Baptismi*, initiũ sumamus, nemo est, qui dubitet, formã Nu. 15

Bap.

Baptismi esse hanc, Ego te baptizo in nomine Patris,& Filij,&c. vt in Rit. Rō. videre est.

Nu. 16 Forma Confirmationis est, consigno te signo Crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris,& Filij, &c.

Nu. 17 In quibus quidem duobus Sacramentis, Sanctissimæ Trinitatis inuocatio, distincte, & explicite, est de Sacramenti essentia ita communiter omnes vt videre est inter alios *Reg. tom. 2. lib. 27. ca. 4. num.* 28.

Nu. 18 Forma vero extremæ unctionis. Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid oculorum vitio deliquisti, & sic de alijs sensibus vt in Rit. Rom.

Nu. 19 Forma autē ordinis est in illis verbis quæ in traditione materiæ cuique Ordinis ab Episcopo dicuntur, vt accipe potestatem,&c.

Nu. 20 Forma Sacramenti Matrimonij, est mutuus consensus expressus verbis, vel nutibus, vel per contrahentes, vel per procuratorem ut melius suo in loco.

Nu. 21 Circa quam quidem Materiæ,& Formæ explicationem, duæ exagitari solēt difficultates Prima an de facto res, & uerba Sacramentorum fuerint, à Christo Domino determinata. Secunda, quę mutatio possit fieri, in ipsius rebus, aut uerbis, sine præiudicio Sacramēti.

Nu. 22 Circa Primam breuiter. Respondeo dicendum certum omnino esse Materiam,& Formam Sacramentorum, fuisse à Christo Domino, per suos Apostolos Ecclesiæ determinate traditam, talem, qualem ex decreto Concilij Florētini supra detulimus; ita ut nulla sit auctoritas, in Ecclesia mutandi materias illas, aut formas, ut melius suis in locis.

Nu. 23 Circa secundam aduertendum est, quod cum substantia Sacramenti, duplici constet parte, materia, scilicet, & forma, hic nihil dicemus de materia, nam si quæ difficultates fieri solent, circa materias, tractari solent proprijs suis in locis uniuscuiusque Sacramenti, quanta v.g. requiratur aqua ad baptismum,&c.

Nu. 24 Neque hic à nobis agatur, in quibus verbis, præcise consistat Sacramenti forma, itaut, vel vno verbo detracto, desinat esse forma, de hoc etiam agitur in singulis Sacramentis, sed solum hic sermo erit potius, quod forma Sacramenti contineatur his, vel illis verbis, de quibusdam difficultatibus communibus, circa quas quidem difficultates duo cōsideranda sunt. Primum an si aliquis ad uerba formæ adhæret aliquid vltra Ecclesiæ consuetudinem perficeret Sacramentum, vt si quis dicat Ego te baptizo, in nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti,& Beatæ Virginis, Secundum si quis proferret, quidem verba formæ, sed corruptæ committēdo sylogismos, aut barbarismos, vt si dicat Ego te baptizo, in nomine Pattem,& Filium, &c.

Verum antequam ad hanc difficultatem respondeamus; animaduertendū esse puto, non solum in forma; uerum etiam in Sacramentorum materia, duplicem fieri posse mutationem, substantialem unam, accidentalem alteram; Nu. 25
Substantialis mutatio est, quando mutatur substantia materiæ, uel substantia sensus formæ; mutatio accidentalis est, quando non mutatur substantia materiæ, aut substantia sensus formæ, sed mutatur qualitas materiæ baptizare u. g. in aqua calida, & non frigida tunc in tali casu esset mutatio qualitatis materiæ.

Quare ex hoc iam uides baptizare in massa niuis, est mutatio essentialis, sed in niue expressa, non erit mutatio, neq; accidentalis neque substantialis, in casu necessitatis, ut infra. uerum aduerte, quod quando mutatio est accidentalis, tunc Sacramentum est ualidum, licet committatur peccatum mortale, cum sit contra Ecclesiæ consuetudinem, excipe tamen formam Sacramenti Pœnitentiæ, quæ dari potest uulgari idiomate, ut sit per Bullam Cruciatæ, hoc igitur adnotato, ut ad difficultatem superius tactam respōdeamus has ponimus conclusiones. Nu. 26

Prima cōclusio, si quis addēs aliquid formæ, intendat per eam addictionem, inducere nouum aliquem ritum, non receptum in Ecclesia, videtur non perficere Sacramentum, quia hic, nō videtur habere, intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, Nu. 27

Secunda cōclusio, si aliquid addatur Nu. 28

for-

formæ, aut detrahatur, siue etiam, ita corrupte proferatur, vt destruatur debitus sensus formæ, non perficitur Sacramentum.

Nu. 29 Tertia conclusio, tunc corrupta prolatio censenda est, corrumpi sensum formæ, quando verba, neque ex vi sua primaria, neque ex vsu, aut accommodatione apta sunt significari, id quod exigit Sacramenti forma.

Nu. 30 Quarta conclusio, si ad verbum formæ, aliquid addatur, quod contineat errorem contrarium veritati, ipsius formæ, Sacramentum non perficitur, ex defectu formæ, si vero cōtineat errorē, non tamen contrarium veritati formæ, Sacramentum erit validum, quantum ex hoc capite.

Nu. 31 Quinta conclusio, diminutio in forma sacramentali, tunc destruit sensum formæ, quando tollitur aliquod verbū requisitum, ad substantiam talis sensus, vnde si quis, in forma Sacramenti Eucharistiæ relinqueret particulā, enim, non committeret peccatum mortale, quia non est verbum essentiale formæ, mutans sensum formæ Eucharistiæ, ita *Diana par. 5. tract. 5. resol. 39.* & idem dicendum esse putat de forma Sacramēti Pœnitentiæ, & Baptismi si in ea omittatur particula, Ego, sed de his alibi.

Nu. 32 Sexta conclusio, si quis proferat verba corrupta ex malitia, etiā si talis corruptio, non destruat sensum formæ, probabile est, non perfici Sacramentum, quia videtur talis homo, non habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, vnde *Siluius apud Dianam loco sup. cit.* ait, quod, qui ex industria corrupte profert, aut mutat verba formæ, peccat mortaliter, si corruptio, vel mutatio sit notabilis; etiam si solum accidentalis; venialiter si parua, vel non scienter facta, modo tamen absit contemptus, etiā interpretatiuus; paruitas enim materiæ cōmuniter excusat à mortali ita *Siluius* sed nos infra.

Quare *Diana loco supra citato* ad illā difficultatem an in verbis formæ Sacramentorum, detur paruitas materiæ, negatiue respondet, loquendo de verbis essentialibus, & mutantibus sensum. Nu. 33

His igitur cōclusionibus positis, quid de intentione ministri dicēdum sit breuiter afferendum puto intentionem ministri, triplicem esse, habitualē vnā, actualem alteram, quam formalem, & expressam vocat *Fagundez de præcep. Eccles. præcep. 1. lib. 2. cap. 7. num. 12.* Tertiā demum virtualem. Habitualis, est, illa prontitudo, quam habet minister ad conferendum Sacramentum, & hæc nō est sufficiens, Actualis vero est illa, quam habet minister, tunc in actu quādo conficit Sacramentum, & hæc est optima, sed non est necessaria. Virtualis demum est illa, quando minister habuit proximam intentionem actualem, ante quam conficeret Sacramentum, sed postea in processu, scilicet quando pergit ad conficiendum Sacramētum destrahitur, non per actum contrarium sed per aliquas cogitationes, non contrarias ad conficiendum Sacramentum, & hæc est sufficiens, his igitur tanquam veris, & ab omnibus receptis, vt quinque illa Sacramenta ad Parochum pertinentia explicemus, & more nostro procedamus sit. Nu. 34

DISPVTATIO TERTIA

DE SACRAMENTIS IN PARTICVLARI.

SVperiori disputatione egimus de Sacramentorum administratione in communi. Hæc autem tractat de hisdem imparticulari, quæ ad Parochū pertinent, & Primo de Baptismo, sub vnica tamen Difficultate, quæ dicenda erunt collocabimus quare sit.

VNI-

VNICA DIFFICVLTAS
DE SACRAMENTO BAPTISMI.

PRimum omnium Sacramentorum nouæ legis secundum ordinem susceptionis, est Baptisma à Christo Domino institutum, & est cunctis, ad salutem necessarijssimum, de quo non solum Trid. sess. 7. *verum etiam auctores tam antiquiores, quam recentiores, quos commemorat* Henriquez initio lib. 2. Theologiæ moralis *agunt. In Baptismo autem multa sunt consideranda, verum ante omnia.*

Nu. 1 ANimaduertendum est triplicem esse Baptismum aquæ, flaminis & sanguinis, ex quibus solus Baptismus aquæ, est vere, & proprie baptismus, & Sacramentum, & dicitur ianua Sacramentorum, Baptismus autem sanguinis, & flaminis non sunt Sacramenta, licet per quamdam similitudinem, dicantur baptismata, quatenus scilicet in necessitate defectu Baptismi aquæ supplent eius effectum ita inter alios *Reg. tom. 2. lib. 27. cap. 2. num. 1.*

Nu. 2 Sacramentum igitur baptismatis, est ablutio corporis, facta exterius, sub certa verborum forma, quæ interius lauat animam à peccato, quod quidem Sacramentum, est omnibus necessarium ad salutem consequendam, ex præcepto diuino in re, vel in voto: vnde adultis si deficiat aqua, vel baptizans, sufficit in voto, scilicet desiderium baptismatis, cum contritione, quare paruuli, qui illud in voto habere non possunt, si illud, in re non susceperint, aut mortem pro Christo non patiantur, lege ordinaria consequi æternam salutem nō possunt, & ex hoc Theologi tradunt Martirium esse quoddam baptisma, & vim habere, gratiam conferēdi *ita Reg. cap. 2. loco sup. cit. num. 7. §. Ex quo sequitur* vbi notat, quod non ideo martirium dici debet Sacramentum, quia quamuis gratiam conferat, non tamen, vt signū illius, ex particulare institutione diuina, sed ex Christi pacto quoddā, & promissione facta, vt patet ex verbis *Matt. 10. qui perdiderit animam suam propter me inueniet eam.*

Nu. 3 An vero, in adultis, huiusmodi votū, & desiderium debeat esse expresse, ita vt in particulari desideretur baptismus, tanquam Sacramentum, & remedium à Christo institutum, in remissionem peccatorum, an vero sufficiat esse implicitum, sicuti censetur esse in desiderio seruandi totam legem diuinam, & quærendi remedia ea, quæ sunt ordinata à Deo ad salutem consequēdam, & peccata delenda, in eo desiderio virtualiter, & implicite, continetur propositum seruandi legem, de Baptismo suscipiēdo.

Ad quod Quæsitum *post Vegam, & Sotum, vltimo loco respondet Greg. à Valentia apud Reg. loco proximo citato nu. 9.* implicitum sufficere ei, qui non audiuerit quoddā expresse de Christo, & Baptismatis necessitate in religione Christiana, ei vero, qui tale quid expresse audiuerit, necessarium esse ad salutem expressum votum Baptismi, siue quod idē est, vt uelit re ipsa baptizari, ad implēdum Christi præceptum; his igitur adnotatis ut à Baptismi materia incipiamus. Nu. 4

QVAERES PRIMO.

Quænam sit Baptismi *materia.*

BAptismi materiam, duplicem esse unam remotam, alteram propinquam tenet *Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. num. 43. & 44.* materia uero remota, huius Sacramenti est, aqua simplex elementaris, seu naturalis, quā diu propriam retinet formam, ut definitum est *in Concilio Florentino ex decreto Eugenij Papæ, & ex Trid sess. 7. de Baptismo can. 2.* quare de fide est aquam ue- Nu. 1

tam,

ram,& naturalem, esse de necessitate Baptismi, seu esse illius materiam necessariam, necessitate Sacramenti, & confirmatur auctoritate scripturæ *Ioa. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & actorum 8. ecce aqua quis prohibet me baptizari* in his & alijs locis, nomen aquæ intelligitur uera, & naturalis aqua *ita Reg. tom. 2. lib 27. cap. 3. num. 10. Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. num 43.*

Nu. 2 Ex his collige in uino, ceruisia, lacte, non posse fieri Baptismum, ita communiter omnes: item in liquoribus herbarum, florum, aut arborum, qui non sũt aquæ elementares, sed substantialiter sunt succus, *ita Reg. tom. 2. lib. 27. cap. 3. num.* 11. quia huiusmodi liquores, licet quo ad accidentia appareant esse aqua, tamen quo ad substantiam non sunt uera aqua *ita etiam Fernandez Filluc. apud Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 5 §. Quaeritur* 3. item in sudore, sputo, urina, quæ licet sint excrementa, tamẽ cum aqua non sint, in his fieri non potest baptismus *ita D. Th. 3. par quaest. 66 ar. 4. ad ultimum apud Reg. loco supra cit. §. Tertium est* ubi habet lacrimas, sudores, urinam, pituitam, humorem, qui supernatat sanguini, humorem, qui egreditur ex incisione uitis, aut alterius arboris non esse materiam Baptismi: item neque in gelu, aut glacie, fieri potest baptismus, quia iam habent aliam formam substantialem ab aqua ita *Reg. num. 12. §. Quintum*, vbi habet aquam, non esse idoneam materiã Baptismi, quantumcunque suam substantiam retineat, si apta non sit ad ablutionẽ, quæ est Baptismi materia proxima, sicut aqua est materia remota, vnde admissa etiam sententia, eorum, qui volunt niuem, grandinem, & glaciem, esse aquã veram secundum substantiam, quoad accidentia alteratam, negandum est, in eis posse fieri Sacramentum Baptismi, nisi liquefacta, resoluantur in aquam, quandoquidem aliter non sunt apta ad ablutionem hæc Reg.

Nu. 3 An vero aqua stagni, fluminis, maris, fontium, putei, pluuiarum, ex niue, ex cœli rore collecta balnei, vel ex gelu, in aquam conuerso, siue sit deinde aqua collecta, calida, siue frigida, turbida, dulcis, siue amara, recens, vel vetus, & cuiuscunque coloris, vel saporis, dummodo speciem naturalis aquæ retineat possit esse materia Baptismi, affirmatiue responder *Reg tom. 2. lib. 27. cap. 3. nu. 11. §. Secundum est* quare ex lixiuio, aqua sulfuria, vel odorifera, vt habet Reg. item iure carnium, vel piscium, quando non est notabilis mixtio, aut aqua non sit, fieri potest baptismus, quia hæc omnia aquarum genera, retinent substantiam veræ, & Naturalis aquæ. Aquæ vero artificiales, vt aqua rosacea, & quæ vulgo dicitur aquæ ardentes, & quæ solent ab Archimistis fieri adiumẽ to artis per distillationem, aut compressionem, exprimuntur, non sunt materia baptismi *ita Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. nu. 43. Reg. loco sup. citato nu. 11. §. Tertium est.*

In aqua expressa à luto, licet sit cum terra mixta, potest fieri Baptismus, quãquam huiusmodi aqua, non sit adhibẽda, extra extremũ necessitatis tempus, quare graue esset peccatum, vti huiusmodi aqua sine necessitate. Aqua vero contenta in luto, aut panno lineo, vel laneo, non est apta Baptismi materia, vt notarunt *Angelus & Siluester apud Reg. loco supra citato nu. 12. §. Quartum* sicuti nec consecratio sanguinis Christi, fieri potest in musto intra vuas contento, quantumuis essentialiter non differat à se ipso, ex hijsdem vuis expresso, quia non est aptum ad potum *ita Reg.* sed de hoc infra. Nu. 4

Item esse aquam sufficientem, & elementarem pro efficiendo Baptismo, illam, quæ colligitur, ex vaporibus densatis cum ex ore ollæ aqua naturali plenæ, & supra ignem positæ euaporantur, & in testaceo tegmento reperiuntur: Item, quæ hiemali tempore ex parietibus, lapidibusque fluit, nam vapores essentialiter aqua sunt. Aqua vero ex parietibus manans, aqua est, retinens formam aquæ *ita Fernandez apud Dianam par. 3. tract. 4. de sacr. resol. 5. §. Notandum est.* Nu. 5

Verum aduerte, licet aqua, ex sale resoluta secundum aliquos non sit apta materia baptismi, tamen dicendum est Sal marinum liquatum esse aptum, Baptismi materiam cuius ratio est, quia tale sal efficitur ex aqua maris salsa, vnde Nu. 6

de quando resoluitur, in aquam resolutur, quæ habet essentialiter formam, aquæ *ita Henriquez, Fernandez apud Dianam loco supra citato* §. *Sed affirmatiuam* Barb. *de off. & potest. Parochi par. 12. cap. 17. num. 43.*

Nu. 7 Tandem aqua, tempore necessitatis, non est opus vt sit benedicta, vnde extra necessitatis casũ, peccat mortaliter, qui in non benedicta baptizat, imo debet esse chrisma nouum illius anni, nisi necessitas sit *ita Toletus lib. 2. summæ ca. 8. num. 2.*

Nu. 8 Aduertendum tamẽ est, ex quo multæ probabiliter sequi possunt probabiles decisiones, de quibus infra, quod licet grauiter peccet, qui nulla necessitate vrgente adhibet aquam, de qua dubitatur probabiliter; an sit apta ad Sacramentum cum se exponat periculo probabili inualidandi Sacramentum; & male consulendi proximo in re grauissima vti asserit *Sotus apud Reg. tom. 2. lib. 27. cap. 3. num. 13.* vbi habet, quod si quis in tali casu, quo scilicet probabiliter dubitaretur aquam esse veram, & naturalem, collatus esset Baptismus, is deberet sub condictione repeti, cum vera, & naturali aqua, dicendo si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, &c. In extrema tamen necessitate, & periculo mortis liceret vti aqua dubia, si alia deesset, quia sic, quo ad fieri potest, consulitur probabili periculo damnationis proximi, in quo, cũ iuuari potest sine certa Dei offensa ipsum in extrema necessitate spirituali cõstitutum, relinquere, lex charitatis nõ patitur, *ita Reg. loco supra citato* §. *in extrema.*

Nu. 9 Ex hoc igitur dicto, sequi potest hæc probabilis sequela, scilicet, posse moribundo Baptismum sub conditione adhiberi, quoties dubitatur, an aqua sit naturalis, puta in iure carnium lixiuio, in aqua ex sale resoluta, secundum illos qui dubitant, an sit apta materia Baptismi & in alijs similibus casibus *ita Iacob. Granado de Sacr. 3. p contr. 4. tract. 1. dip. 3. dub. 2.* qui asserit in dubio autem an aliqua aqua sit naturalis, nec ne, non potest licite adhiberi Sacramento, nisi in casu necessitatis, tunc enim sub conditione poterit conferri Baptismus, & iterum postea, sub conditione poterit repeti, si baptizatus fuerit superstes, & hanc sententiam sequuti sunt quamplures *apud Dianam par. 5 tract. 3. resol. 1.*

Verum aduertas deficiente aqua naturali, non posse moribundo adhiberi Baptismum cum aqua rosacea, vel ex alijs expressa, sub conditione, exterius, vel mentaliter apposita, si scilicet materia hæc est idonea vt sentit *Ioannes Puteanus apud Dianam loco supra citato resol. 2.* §. *His tamen* quia Concilia exigũt ad validitatem Baptismi aquas naturales, quales sunt pluuiales maris, & quorumcunque fontium, & fluminum, nã *Concilium Trid. sess. 7 can. 2* definiuisse videtur, aquam naturalem esse materiã necessariam ad validitatem Baptismi, dicens *Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi, &c.* quidquid dicãt aliqui apud eumdem Dianam, quibus Puteani sententia videtur probabilis ex eo, quia aqua rosacea, maiorem affinitatem videtur habere, cum aqua naturali, quam aqua quorumcunque fontium, quam quidem sententiam sequuti sunt etiam quoplures, vt videre est *apud Dianam loco supra citato* §. *Nec*; vnde secundum, si aliquis deficiẽte aqua naturali periclitaretur baptizari posset, sub cõditione, non solum cum aqua rosacea, vel aliorum florum per distillationem elicita, sed etiam cum succo expresso ex herbis, & frondibus sic etiam *Tanderus apud Dianam loco supra citato, quamquam Diana negatiuam sententiam sequutus sit, non solum hic, sed etiam par. 6. tract. 7. resol. 18.* § *Sed aduersus.* Nu. 10

Eum autem, qui probabilem iudicaret Tanderi opinionem, innixus auctoritati, & rationibus, tam illustrium virorum motus, cum sequi posse iudicãt aliqui, ex eo quia possumus sequi tuta conscientia opinionem, quam probabilem iudicant viri docti, at vero supradictam opinionem, scilicet vrgente necessitate, cum cõditione modo supradicto posse vti aqua rosacea, & alijs aquis ex herbis, & floribus extractis iudicant viri docti probabilem, & posse probabiliter fieri, igitur iudicant posse vrgente necessitate tamquam probabilẽ Nu. 11

G opi-

opinionem eam sequi. Secundo quia sic nulla fit iniuria Sacramento cum conditio apponatur, Tertio, quia possumus succurrere saluti spirituali proximi, & tenemur secundum *Reginaldi sententiã* modo supradicto, sub pena peccati mortalis consulere proximo periclitanti, de anima, cum id fieri possit, sine certa Dei offensa, vti fieri posse censent in casu nostro, consequenter dicerent, non esse inconueniens vrgente necessitate supradictam opinionem probabilem iudicare, sicuti eam etiam probabilem iudicant *Stephanus Bauny in Theol. mor. tract. 2. quæst. 4. Ita Præpositus in 3. part. D Tho. quæst. 66. ar. 4. nu 22. & alij apud Dianam par. 5 & 6. locis supra citatis* quã quam contrariam Ego sequar, cum supradictæ aquæ, non sint aquæ naturales, quas requirunt, & volunt Concilia.

Nu. 12 Sequitur secundo, posse in extrema necessitate, deficiente aqua naturali fluida, adhiberi Baptismum sub conditione, nempe, si materia hæc est idonea, cum glacie scilicet, rore, niue, quamdiu resoluta non fuit, quia licet extra necessitatem, aqua debeat esse apta ad abluẽdum, modo supradicto, tamen in extrema necessitate, satius esset applicare cum niue, vel glacie, Sacramentum Baptismatis, quam administrationem prætermittere *ita Puteanus Ioannes Præpositus, Hurtadus, & alii apud Dianam par. 5. tract. 3. resol. 3. §. Sed his* putant enim hi sufficere ad validitatem Baptismi, quod aqua attingat Baptizatũ, etiam si eundem non abluat, quia prædictæ, omnia sunt aquæ naturales congelatæ.

Nu. 13 Illud tamen, non negamus Baptizatos, in mortis periculo cum conditione modo supradicto, si vixerint, iterum sub conditione baptizandos esse *ita doctissimus Diana par. 5. tract. 3. resol. 11.* & licet huiusmodi Baptismus sit collatus, stante opinione probabili, & vnusquisque potest sequi opinionem probabilẽ, tamen non sequitur ex hoc, quod si vixerint, non teneantur, sub conditione iterum baptizari, quia illud acsioma, Vnusquisque potest sequi suam probabilem opinionem, verum est, quando duæ sententiæ inter se sunt contrariæ, in ordine ad praxim, quarum vna asserit, aliquod citra peccatum fieri posse, alia negat, id quod non accidit in casu nostro, Doctores enim asserunt probabile solum esse, talem Baptismum esse validum, non autem dicũt extra casum necessitatis, quando Sacramentum non potest aliter conferri, vel recipi, posse absque peccato conferre, vel recipere, cum glacie, vel niue, &c. maneat igitur dicendum posse in casu nostro hominẽ obligari ad suscipiendum de nouo Baptismum sub conditione modo supra dicto *ita Ioa. Præpositus Coninch, & alij apud Dianam*, & hæc de materia remota Baptismi.

Verum vt proximam Baptismi, materiam explicemus, communis Catholicorũ sententia est, proximã huius Sacramẽti Baptismi, esse ablutionẽ per aquã, naturalem, quę fit, nempe, quæ successiuo contactu contingit corpus, ita communiter omnes, & præcipue *Barb de offic. & pote st. Parochi par. 2. cap. 17. num. 44. Reg tom. 1. lib. 27 cap. 3. num. 14. vnde Suar. in 3. par. tom. 3 disput. 20. sect. 2. vers. Atque hinc* habet ad hoc vt aqua sit conueniens materia Baptismi, necesse esse, vt sit in ea dispositione, in qua possit ad ablutionem deseruire, & ideo si cõ gelata sit, & facta glacies, aut nix, vel aliquid simile (quidquid sit de quæstione philosophica, an tunc sit substãtialiter aqua, nec ne) donec aliquantulum liquefiat, aptaque ad ablutionem reddatur, non potest esse huiusmodi Sacramenti materia, cum non valeat applicari ad illum vsum, in quo proxima materia huius Sacramenti consistit ita etiã *Siluester Angelus apud Reg. loco proximo citato num. 12. § Quintum est* (intelligitur autem hoc *Suarij* dictum extra casũ necessitatis, nam in extrema necessitate secundum aliquorum probabilem opinionem conferri potest Baptismus, etiam cum glacie non liquefacta modo supradicto.) Nu. 14

Quid vero dicendum sit, an minima quantitas aquæ, vt gutta vna, vel duæ sufficiant ad conficiendum Baptismum, & licet *Paulus Comitolus in responsionibus moral. lib. 1. quæst. 12. & post illum Fil liuc. tom 1. tract. 2. cap. 2. num. 34.* minimam quantitatem aquę, vt guttam vnã, vel duas sufficere videantur asserere, vnde asserunt, verum fuisse illum Baptis- Nu. 15

tismum, quem contulit quædā mulier-cula moribundo infanti, baptizando il lum signo crucis impresso in fronte, digito aqua madefacto, vt videre est apud doctissimum *Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 5. §. Dicendum est igitur.*

Nu. 16 An sufficiat ad baptizandum infantē moribundum, vna gutta aquæ, affirmatiue respondet *Diana par. 5. tract. 3. resol. 5. initio,* qui pro se citat multos viros doctos asserentes quamcumque guttā aquæ, sufficere ad valorem Baptismi, quia quæcumque gutta aquæ satis est, vt dicatur homo ablutus, & tinctus aqua, ergo quælibet gutta, aquæ sufficit ad valorem Baptismi, quare cum gutta aquæ, tempore mortis posse Baptismū ministrari concedunt *Hurtadus, Ioan. Prapositus, & alij apud Dianam loco supra citato §. Sed licet,* quam opinionem licet probabilem putemus.

Nu. 17 Tamen cum in praxi obseruandum sit, vt securior pars, quo ad fieri potest obseruetur, & elegatur hinc est quod non est recedendum à *Suarij Sententia qui in tertiam partem tom. 3. disp. 20. sect. 3. vers. quare non est probanda* asserit nec in extrema necessitate, sufficere quamuis minimam aquæ guttam, sed opus esse tanta quantitate, vt eius infusio corpus hominis, vel principalis eius pars moraliter ablui dicatur, quare deinde *§. Atque hinc est,* habet eam aquæ quantitatem, & necessariam esse, & sufficere, quæ ad abluendam, & contingendā sufficientem corporis partem satis fuerit, quo circa cum hic contactus successiue fieri debeat, parua quantitas aquæ, fine dubio sufficiet, quæ successiue fieri potest, & fluere per magnam corporis partem, *& hanc sententiam tenent etiam Reg. tom. 2. lib. 27. cap. 3. num. 15. §. sequitur Bonac. de Sacr. disp. 2. quæst. 2. puncto 3. num. 18. Paulus Layman, Valētia, Melchion Zambranus, & alij apud Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. nu. 45.*

Nu. 18 Aduertas autem, quod si finita forma, scilicet perfecta, Baptismi, antequā finiatur ablutio, infans moriatur, adhuc collatus, & perfectus est Baptismus, cuius ratio est, quia eo ipso, quod finitur forma Baptismi; & iam inchoata sit ablutio perficitur baptismus, antequam finiatur ablutio, si quando finitur forma, sit ablutio inchoata, quamuis post finitam formam perseueret, quia quæcunque pars ablutionis, vt pote homogeneæ, est vera ablutio, positis autem forma, & sufficienti materia, statim perficitur Sacramentum *ita Hurtadus, & alij apud Dianam par. 5. tract. 3. resol. 17. §. Sed his non obstantibus.*

An vero in articulo mortis, infans possit in vmbilico ablui, & baptizari, & sepeliri in Ecclesia, ad hoc Quæsitū, licet negatiue videatur respondere *Iacobus Marchantio, apud Dianam par. 5. tract. 3. resol. 15.* asserens vmbilicū non censeri partem hominis ideoque præscinditur; Tamen contrariam sententiam asserit posse aliquem cum aliqua forte probabilitate tueri, dicendo vmbilicum non minus censeri, aliquid infantis in tali statu, quam capilli censentur, aliquid hominis, licet sint quædam excrementa sicut, & vmbilicus, & ita sicut per capillos censetur homo ablutus (vti multi dicunt) similiter videtur per vmbilicum, dici posse infantem ablui, tanquam per aliquid sui *ita Iacobus Marchantio,* qui etiam propter has, & similes rationes, quæ afferri possent, in fauorem pueri, & Baptismi dati, asserit nō plane, condemnarem, si talis sepeliatur, in loco sacro, quia saltem apparens, aliquod ius, ei possit adscribi, ratione talis Baptismi disputabilis. Et quamuis longe infirmior sit pars fauens, cur tamen debeat priuari iure loci sacri, nisi manifeste, & irrefragabiliter constet priuandum, siue illi tale ius non competeret. Nu. 19

Verum pro praxi, collige, Primo nō esse, validum Baptismum, si aqua tantūmodo tangat vestes, aut pileum, aut aliquid aliud extra carnes baptizandi *ita Bonacina punto 3. num. 20. apud Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. nu. 46. Reg. tom. 2. lib. 27. cap. 3. num. 14. vers. ex quibus, vbi vers. sequitur secundo, iuxta Scti sententiam in 4. dist. 3. quæst. vnica ar. 7. vers. & quid,* habet, probabile esse, valere Baptismum, si quis abluatur, tantum secundum capillos, & aqua neque ad carnem, neque ad faciem, neque omnino ad cutem corporis descēdat, quia capilli sunt, suo modo partes corporis, & vulgari idiomate, caput tunc ablui, dicitur. Tamen concludit idem Sotus, Nu. 20

non omnino scrupulosum hominem condemnarē, si cum conditione eiusmodi baptizatum rebaptizaret.

Nu. 21 Collige secundo, non esse Baptismū, si abluatur Matris vterus, in quo infans continetur, vt expresse habetur *ex cap. Qui in maternis de consecrat. dist. 4. vnde Greg. à Valentia disp. 4. quæst. 1. puncto 2. vers. tertio sequitur*, ait, quod si arte, & Obstetricis opera, aqua sic mitti possit, vt pertingeret, vsque ad infantem, addita forma debita verborum, videri verum Baptisma, quia nihil necessarium ad Sacramentum deest, & hanc sententiam sequutus est etiam *Ioan. Præpositus apud* Dianam *par. 5. tract. 3. resol. 12. §. Sed ego*, vbi habet, quod si actio ministri possit ad ipsum puerum, etiam in vtero Matris existentem peruenire, nihil obstaret, quo minus possit baptizari, vt si fistula possit pertingere ad ipsum infantis corpusculum, vel si propter apertam matris cicatricem, aspersio aquæ possit ad illud pertingere, vnde idem *Præpositus* adnotat quodlicet mater viua exscindi, non possit, vt proles baptizetur, quia non licet directe aliquem occidere, vt etiam si bono spirituali eiusdem, vel alterius prospiceatur, vti etiam infra dicemus, possit tamen baptizari eo modo, quo diximus, si aqua ad eum pertingere valeat, etiam si mors matris inde sequatur, & præuideatur sequutura, quia in nostro casu, actio ministri, non respicit interitum matris, pro suo termino, sed in executione habet alium terminum; scilicet ablutionem prolis, quæ in ratione ablutionis materialis, est quid indifferens, in ratione vero cęremoniæ Sacramentalis, est honesta, & subsequens mors matris solum est permissa, atque adeo non imputatur ad peccatum, imo mater, eo casu tenetur permittere, vt proles baptizetur hæc *Præpositus quam sententiam etiam tenet* Diana.

Nu. 22 Tamen si postea, infans viuus egrederetur, ex vtero matris, sicut in alijs casibus dubijs sub conditione repetēdus esset huiusmodi baptismus *ita Reg. tom. 1. lib. 27. cap. 3. num. 16.*

Nu. 23 Et licet aliqui asserant deesse, quod infans non sit natus, ac proinde non posse, in huiusmodi casu, talem conferre Baptismum respondet *Valentia* infantē ad renascendum in Christo, per baptismum sufficienter nasci in Adam, quando in vtero Matris concipitur; vnde baptizari non potest infans inclusus in vtero matris, si aqua ad illum nullo modo peruenire potest, & de hoc casu loquitur *Caput in maternis*, & hanc sententiam tenet etiam *Diana par. 2. tract. 15. misc. primo resol. 43. § Sed ego* vbi ad illud argumentum, quod aduersarij afferūt, nempe nemo renascitur spiritualiter, nisi prius nascatur naturaliter, sed Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, ergo non debet aliquis baptizari priusquam ex vtero nascatur, respōdet vt quis possit per Baptismum renasci, sufficit, vt ea præcedat natiuitas, quaquis de non homine, fit homo, modo possit lauari.

Neque obstat vt afferit *Reg. loco supra citato vers. neque obstat*, quod infans in vtero existens, inuolutus sit pelle secundina, nam, & natus, potest cum tali pelle baptizari, cum huiusmodi pellis sit corpori adnata, sicuti, & capilli, & scabies, ita etiam *Angelus in verb. bap. 5. §. 4. & Siluester eodē verbo 4. quæst. prima.* Nu. 24

Illud tamen non negamus, matre mortua, si infans credatur adhuc viuere in vtero, eam esse aperiendam, vt ille baptizetur, & si mater damnata sit ad mortem, differri debere executionem pœnæ, donec pareat *ita Reg nu.* 17. vbi etiam habet matrem autem viuentem, etiam si ob partum moritura esset, scindendam non esse, vt extrahatur infans, & baptizetur, quia illud est malum directe repugnans præcepto Decalogi de non occidēdo, neque facienda sunt mala, vt eueniant bona. Nu. 25

Collige tertio, quod licet expectanda sit, totalis egressio infantis, ex vtero vt baptizetur vti habetur *ex D. Th. apud Reginal. loco supra citato nu. 18. §. Aduerte*, tamen cum puer in ventre matris periclitatur, & emisit manum, vel pedem, baptizari potest in illa parte, secundum probabiliorem opinionem, licet aliqui dicant illum non posse baptizari, vnde *S. Thom. in 3. par. quæst. 68. art. 11.* tenet quod potest, tamen si viuit est denuo sub conditione baptizandus, licet probabile sit, quod nō oporteat rebaptizari Nu. 26

ri vide *Tol.inst. lib.2.cap.18 num.14 fine ubi vers.notat etiam*, habet, quod si quis puerum morientem proiceret in profundum puteum, vt baptizaretur in, quo casu hic suffocetur, quia non potest ab aqua extrahi; ille non baptizat, sed potius occidit, & peccat mortaliter, & fit irregularis vt ait *Sil. verb. bapt.* 4. §. 10.*contra aliquos*, & reddit rationem, quia iste actus, non est actus abluendi.

Nu. 27 Verum legite *Suarium in 3 part tom. 3.disp.20.sect.3. §. Qua propter*, vbi habet in hoc casu perfici Sacramentum, quamuis grauiter peccet, qui sic baptizat, propter homicidium, quod committit, quæ quidem opinio ipsi videtur satis tuta, & probabilis, quia reuera nullus essentialis defectus, in tali Baptismo obstenditur, supponit enim *Suar.* ministrum habere veram, ac sufficientem intentionem baptizandi, supponit etiã proferre integram formam, antequam infans moriatur, & similiter supponit in illo tempore, dum profertur forma, fieri contactum aquæ, de se sufficientem ad Baptismum perficiendũ, quid enim desideratur vt perficiatur, intetio enim occidendi, non obstat, nam si Sacerdos aqua calidissima, infantem ablueret, intentione quidem baptizandi illum, animo tamen simul interficiendi, verum conficeret Sacramentum, quia hæc posterior intentio non excludit intentionẽ conficiendi Sacramentum, neque tollit aliquid, quod sit de eius essentia, & substantia, vnde concludit nihil ergo ibi deesse videtur, ad veram Baptismi rationem ita etiam sentit *Reginal.tom.2. lib.27.cap.3.num.21.Sotus loco supra cit. ar.8.vers.quo etiam.*

Nu. 28 Verum quot modis, fieri possit huiusmodi ablutio, tribus modis fieri posse, respondet *Barb.de off. & potest. Parochi par.2.cap.18.num.47.* Imersione scilicet Infusione, vel aspersione, nam ex Christi institutione, nihil aliud definitum est, nisi quod hæc ablutio fiat ex aqua, quod vero hoc, vel illo modo fiat, non est à Christo præscriptum, vt patet ex verbis *Ioã.3.nisi quis renatus fuerit ex aqua*, quare nullus particularis modus ablutionis est de essentia Baptismi, vti habet *D. Th.in 3 par.quæst.66 art* 4. vnde si quis baptizetur per modum effusionis, vt quando aqua in aliquo vase contenta, effunditur super baptizandum, siue per modum aspersionis, vt quando aqua in spongia, vel in aliquo corpore contenta spargitur super corpus baptizandi, siue per modum immersionis, vt quando minister tenens infãtem per latera, aut brachia ipsum immergit in aquam, & statim ab ea eleuat *ita Reginald. tom. 2. lib.27.cap 3.num.* 19. vbi ait esse vere baptizatum.

Olim ordinarius ritus fuit, per immersionem, licet etiam per aspersionẽ, vel effusionem aquæ, interdum confer re soleret, ad valorem ergo Baptismi nihil interest, vtrum fiat, per aquæ effusionem, aut corporis immersionem, vnam, aut trinam, dummodo licite fiat modo supra dicto *ita Barb.de off. & potest. Parochi par.2.cap 18.num.48.* Nu. 29

Minister tamen, qui sollemniter, & ex officio Sacramentum istud confert, tenetur seruare consuetudinem suæ Ecclesiæ, *ita Barb.* vnde si contrarium suæ Ecclesiæ Baptismi ritum obseruet, nec iusta causa ipsum excusat, tunc iuxta *D.Thom sententiam in 3 par. quæst. 66. ar.8.fine corporis articuli* grauiter peccat, non tamen mortaliter ut uult *Sotus in 4.dist.3.quæst vnica ar.8.§ Hic præterea*, vbi ait, dummodo id non faciat ex contemptu, aut cum notabili scandalo: iusta autem causa ipsum excusans, potest esse, vt si minister non posset substentare baptizandum, aut si baptizãdus, sit adultus, propter honestatem, quem mergi non conuenit, aut si mortis periculum immineat, tunc in his casibus, quantumcũque consuetudo haberet (sicuti habuit adhuc suo tempore) vt Baptismus per immersionem conferatur, posset per effusionem, aut aspersionem conferri ita etiam *Reginal.loco supra citato n.* 19. *§.Quamuis autem Bonac. citatus apud Barb,loco sup.cit.num.*48. Nu. 30

Aqua vero sollemnis Baptismi debet esse eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, vt habetur *in Rituali Romano*, & hæc post elapsum annum quando noua benedicenda est in Ecclesiæ, vel potius baptisterij sacrarium effundatur. At vero si aqua benedicta, tam imminuta sit vt minus sufficere videatur, alia non bene- Nu. 31

benedicta admisci potest, in minori tamen quantitate, at vero si corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quouis modo defecerit Parochus in fontem lapideum marmoreum benemundatum, ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula *vt in Rit. Rom.*

Nu. 32 Siaqua congelata sit, aut nimium frigida, poterit partem aquæ naturalis, nō benedictæ calefacere, & admisci, aquæ baptismali in vasculo, ad id præparato, & ea tepefacta ad baptizandum vti, ne noceat infantulo *ita ex Rit. Rom.*

Nu. 33 Verum pro immissione salis in os pueri, per verba *accipe salem sapientiæ, &c.* aduerte modico vtaris, quia alias vlcerat palatum paruuli, & parua quantitas sufficit *ita Poss. de off. curati cap. 6. num. 6. §. Nota pro immissione.*

Nu. 34 Tandem aduerte, quod habet *Reg. tom. 2. lib. 27. cap. 3. num. 22. fine* nunquā scilicet eo ablutionis modo, vtendum esse, ex quo probabile mortis periculū, Baptizatus incurreret, is enim potius Diuinæ misericordiæ committendus est, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, neque refert, quod alioquin ille moreretur, sine Baptismo, quia quisque ex charitate, debet prius consulere animæ suæ, quam alienæ, & hæc de Baptismi materia, tum proxima, tum remota, vt autem formam explicemus.

QVAERES SECVNDO.

Quanam sit forma Baptismi.

Nu. 1 Denique forma Baptismi est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* vt desumitur, *ex Concilio Florentino, in decreto Eugenij, & ex verbis Christi apud Math. cap. 28. baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sācti ita etiam Nau. Henriq. Bonac. & alij apud Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. num. 49.* Quæ quidem forma, cum sit omnino necessaria, nullo modo, licet eam mutare, sed eadem verba vno, & eodem tempore, modo infra explicando, quo fit ablutio pronuncianda sunt, circa quam quidem formam aliqua exprimenda sunt, &.

Nu. 2 Primo ministri persona, per pronomen (Ego) non est necesse, vt exprimatur, nam cum sit tantum causa instrumentalis, non est de necessitate sacramenti, sed solum de Ecclesiæ præcepto, secundum formam vsitatam Latinis, vt constat ex eo quod Græci verum Baptismum conferunt, & tamen personam baptizantis non exprimunt, dicunt enim baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti *ita inter alios Reginal. tom. 2. lib. 27. cap. 4. num. 24. Barb. de off. & pot. Parochi par. 2. cap. 18. num. 51.*

Tamen si sine contemptu, adimas pronomen (ego) peccabis venialiter, & baptismus est validus, similiter si adimas propositionem (in) & si sine affecto prauo confundendi personas, erit peccatum veniale *ita Barb. de off. & potest. Parochi part. 2. cap. 18. numer. 59. Sotus in 4. dist. 3. quæst. vnica artic. 5. §. Quod si Bonac. citatus apud Dianā tract. 15. miscell. primo resol. 47. §. Quantum attinet.* Nu. 3

Verum aduertas, quod si latinus vtatur forma Græcorum v. g. baptizetur seruus Christi, in nomine Patris, &c. licet verum sit Sacramentum, tamē peccabit, & quidem mortaliter *ex Armilla verb. bapt. num. 10.* cum faciat cōtra Ritum Romanæ Ecclesiæ. Nu. 4

Secundo de suscipientis persona baptismum, communis omnium sententia est, in forma Baptismi exprimendam esse personam, quæ baptizatur, siue dicatur baptizo te, siue baptizo hunc, siue baptizo Caium, siue Tu baptizeris à me *ita Suar. tom. 3. disp. 25. sect. 2. concl. 4. Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. ca. 18. num. 50.* vnde si quis alterum abluēdo dicat. Ego baptizo in nomine Patris, &c, non est verum Sacramentum, cum non explicetur persona baptizati, sicut non est Sacramentum, si quis seipsum baptizet, quia inter baptizantē, & baptizatum, debet esse distinctio, vti definitum est *in cap. Debitū de baptismo.* Nu. 5

Tertio exprimenda est, in forma Baptismi actio, quæ exercetur circa eū, qui baptizatur, siue exprimatur, per verbum, baptizo, siue per verbū, abluo, siue per verbum mergo, tingo, aut simile *ita Vasq. Bonac. & alij citati apud Barbos. loco supra citato num. 52.* tamen pro baptizo non facile dicas, lauo, abluo, mer- Nu. 6

mergo,&c.licet Sinonima sint,& Sacramentum validum,tamen verbum(baptizo)est maxime accommodatū,& lōgissimo iam vsu, ab Ecclesia latina receptum *ita Suar loco supra cit.disput.* 21. *sect.*2.*§.Quærunt vero,circa finē* vbi dein de §.*Rursus*,ait exprimere actum baptizandi,per verbum indicatiuum, actiuum,vel passiuum, quale est, baptizo te, vel baptizatur, vel baptizetur,per modum imperatiui,neutrum ex his modis esse essentialem, aut simpliciter necessarium,sed quēlibet eorum sufficere, quantum est ex necessitate Sacramenti,dūmodo actus baptizādi significetur, vt actus exercitus, ꝙ ideo addo, quia si quis dicat baptiza Petrum,in nomine Patris,&c.hæc non esset sufficiens forma, quia non significat ablutionē,vt actu exercitam,sub tali forma,sed vt alteri imperatam,seu vt exercendam ab alio hæc Suar.

Nu. 7 Quarto de essentia huius formæ est, vt in ea expresse, & distincte, nominētur Tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis, quatenus inter se distinctæ sunt, patet *ex verbis Christi Math. vlt. Apostolis dicentis, Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,ita Suar. loco supra cit sect.* 3. *concl.* 1.*& sect.*4.*§.In hac re Barb. de off. & potest.Parochi par.*2.*cap.*18.*num.* 53. *& alij apud hos.Vnde Reg.tom.*2. *lib.* 27.*cap.* 4.*num.* 27. habet hanc inuocationem Sanctissimæ Trinitatis certum esse, de fide esse, quod ea sit necessaria necessitate Sacramenti,& quod non tantum sit præceptum domini, sed etiam ritū, & formam baptizandi dedit,prout Ecclesiæ consuetudo est interpetrata, iam inde à temporibus Apostolorum, qui acceperunt proposita domini verba, tamquam continentia formam baptizandi.

Nu. 8 Atque hinc sequitur,omnem illam mutationem, per quam expressa Trinitatis inuocatio mutatur,in implicitā, vel confusam esse contra veritatem, & substantiam huius formæ, vnde si quis diceret baptizo te in nomine Trinitatis,vel baptizo te in nomine Trini, & vnius,& in nomine trium personarū, & in nomine Primæ,Secundę,& Tertię personæ, inualide baptizat, ita quomplures *apud Barb. num.* 53 item si quis dicat,baptizo te in nomine Patris, & Filij,non nominato Spiritu Sancto, vel in nomine Patris,& Spiritus Sancti. tacito filio, vel denique in nomine cuiuscunque personæ, sine nominatione earum, baptismus est nullus. Maneat igitur dicendum formam baptismi, debere continere expressam professionem totius Trinitatis,quæ necessaria est, ex Christi institutione, & omnes tres personas nominari debere *ita Reg. loco cit. cap.*4.*num.* 27.

Neque obstat auctoritas *Nicolai Papa ad consulta Bulgarorum de consec. dist.* 4.*can A quodam iudeo* vbi ait Pontifex, qui in nomine tantum Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi baptizati sunt, rebaptizari non debent, quasi vero ex hoc infetant, potius calumniantes, quam docentes veram doctrinam, baptismum in nomine Christi esse validum, non enim obstat, quia licet hunc textum, aliqui hoc modo explicent, baptizatos à Pagano sub nomine Trinitatis, vel Christi tantum, non esse rebaptizandos, absolute, sed sub conditione. Alij vero explicant baptizatos à Pagano non rebaptizandos, si baptizati sunt in nomine Trinitatis, scilicet in nomine expresso Trinitatis, Patris, Filij,& Spiritus Sancti, aut tantum in nomine Christi, scilicet loco filij, expresso Christi nomine,sic dicendo, Ego te baptizo,in nomine Patris,& Christi, & Spiritus Sancti,licet inquam ita explicent hunc textum. Tamen probabilior mihi videtur ille modus explicandi *Azor. inst. moral. par.* 2. *lib.*5.*cap.*5.*versic. quarto obijcitur* dum ait Nicolaum in dicto can. A quodam, respondisse ad quæstionem sibi propositam, an baptizatos à Pagano, vel Iudeo,verum Baptismi Sacramentum recepisse verum Baptismum fuisse, si in nomine Christi, baptizatus fuit Baptismo Christi, non, igitur definiuit, valere Baptismum, Christi nomine datum, sed ratum esse baptismum, siue à Pagano, siue à Iudeo collatum, dummodo is Paganus, vel Iudeus baptizauerit Baptismo Christi,& non Baptismo Ioannis, vel alicuius alterius *vide Barb loco cit.num.*55. Nu. 9

Item graue peccatum erit, si in loco illo- Nu. 10

illorum verborum, in nomine Patris, &c. substituas aliàs minus expressa, vt in substantia, in virtute genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque, tum propter scandalum, quod alijs afferre potest talis præsumpta nouitas, tum propter verba Christi, & consuetudinē Ecclesiæ, tum etiam propter Sacramētum, quod redditur dubium, itaut ipsū iterandum sit sub conditione *ita Suar. in 3. par tom 3. dist. 21. sect. 4. §. secundo.*

Nu. 11 Verum aduerte, quod habet *Nugnus in 3 par. tom. 1 quæst. 60. art. 8. diff. 3. Bonac. de Sacr. disp. 2. quæst 2. puncto 4. num. 17. apud* Diana *par. 2. tract. 15. miscell. 1. resol. 46. §. Nota vere,* quod licet Obstetrices, & laici baptizare possit, sine vllo peccato, in vernacula lingua, Sacerdotes tamen, peccare solum venialiter pro ferendo formam Baptismi in lingua vulgari.

QVAERES TERTIO.

Quid dicendum circa Baptismi Ministrum.

Nu. 1 VErum ante omnia aduerte, solum hic sermonem esse de causa proxime ministrante, hoc Sacramentum; nam de causa principali, quæ est Deus, & de instrumento illi coniuncto, quod est Christi humanitas, nihil speciale hic dicendum occurrit, de causa igitur ministeriali loquentes, & de Ministro necessario conferēte Baptismum, qui minister non potest esse vnus respectu sui ipsius, quia tunc forma non potest esse vera, non enim verum esset dicere, *Ego te baptizo,* de hoc igitur Ministro quærimus, ea, quæ aliquo modo sunt propria; & specialia Sacramenti Baptismi, quare vt distinctius procedamus.

Nu. 2 Minister igitur duplex est, vnus necessitatis, alter ex officio, minister ex officio tantum est Sacerdos, & non omnis, sed Parochus *ita Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. num. 1. Reg. tom. 2. lib. 27 cap. 6. num. 38.* vbi reddens rationem, ait licet Sacerdos respectu Sacramenti Baptismi habeat sufficientem potestatem, vt illud valide, & digne ministret, tamen respectu personæ, cui ministrandum est, vt ipsum ei licite ministret, requiri potestatem iurisdictionis propriam eorum, qui animarum curam gerunt, tamquam coadiutorum Summi Pontificis, quare peccaret, qui extra necessitatem baptizaret, nisi Parochus esset, & si laicus esset, fieret irregularis, hæc autem irregularitas, intelligenda est, si sollemniter baptizet iuxta *Tol. sententiam inst. lib. 2. cap. 20. num. 1.* & hanc sententiam docent *Nugnus Pitigianus apud Dianam tract. 4. de Sacr. resol. 4. §. Nota tamen,* vbi habet laicum extra casum necessitatis baptizantem, peccare quidem mortaliter, sed non incurrere irregularitatem, cum non baptizet sollemniter, & ex officio *Quamquam Val. & Suar. apud eundem Dianam §. Non desunt,* asserant laicum baptizantem, præsente Sacerdote, secluso contemptu, & minime renuente Sacerdote, peccare tantum venialiter: vnde etiam *Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. nu. 2.* habet eum, qui sollemniter baptizat, cum non sit Sacerdos, illicite baptizare; vsurpat enim sibi alieoum officium, ac proinde, si clericus sit, irregularitatē incurrit, sed de his infra.

Vnde *Suar. in 3. par. tom. 3. disput. 23. sect. 1. §. At vero,* hæc habet licet potuisset, Christus potestatem hanc solum, pro articulo necessitatis concedere, tamen in præsenti materia, hanc potestatem talem esse, vt si quis illa vtator, extra necessitatis articulum, etiam si male faciat, nihilominus factum tenet, quare *D. Tho. in 3 par. quæst. 57. art. 3. ad primū* habet & si laicus extra casum necessitatis baptizet, licet peccet modo supradicto, tamen Sacramentum Baptismi cōfert, nec est rebaptizandus ille, qui sic est baptizatus, id quod etiam dicendū est, de infideli, vel pagano extra necessitatis casum baptizantibus, verum vide Suarium. Nu. 3

Maneat igitur ex his dicendum Ministrum Baptismi ex iure proprio esse Episcopum, in sua diœcesi, & Parochum in sua Parochia, ex commissione vero Episcopi, vel Parochi quemlibet Sacerdotem, quare Diaconus per se, & iure ordinario, non potest administrare hoc Sacramentum, ex vi suæ ordinationis, licet sit capax huius ministerij ex concessione, seu delegatione Episcopi, aut Nu. 4

Sacer-

Sacerdotis,*ita Suar loco supra cit sect. 2. concl. 3.* vnde stante hac commissione sollemniter baptizare potest,tamen aduerte *cum Soto in 4. dist. 4. quaest. vnica ar. 1. col. 3.* hanc consuetudinem committendi Diacono munus sollemniter baptizandi aboletam esse, etiam si adhuc fieri possit,vbi esset magna baptizādorum multitudo, & Præsbiterorum paucitas,vt in terris remotioribus, ab habitatione Christianorum, aut accessu difficilioribus.

Nu. 5 Quare Parochus excommunicatus, maiori excommunicatione non potest sollemniter Sacramentum Baptismi ministrare,aliàs peccabit mortaliter, & fiet irregularis, imo nec in extrema necessitate, sed debet in tali casu modo superius dicto,absque sollemnitate, illud ministrare,ita *Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. num. 4 vbi num. 5.* ait hoc intelligendum esse,si nō sit alius qui baptizet,nam si adesset laicus non excommunicatus,esset præferendus Sacerdoti excommunicato, quia tunc nō esset necessitas,cum possit tale Sacramētum conferri à laico,& hoc est probabile,licet aliter sentiat *Sairus lib. 2. de censuris cap. 2. num. 17.* et iam nos de hoc supra.

Nu. 6 An laicus in casu necessitatis baptizans, cum peccato mortali, mortaliter peccet,in hoc non est amplectenda sententia *Vasq. in 3 par. tom 3 disp. 136. nu. 30.* asserentis peccare mortaliter, nam si hoc esset verum væ, væ, Obstetricibus,& alijs laicis,in tali casu adstātibus *Ita Diana tract. 4 de Sacramentis resol. 10. fine, vbi pro se citat Ioan. de la Crux Fernandez Nugnū Ledesma Gae. Suar. Henriquez.*

Nu. 7 Et licet,de proprij Sacerdotis licentia expressa,aut rationabiliter præsumpta,alienus sollemniter baptizare possit, nec non,& in necessitatis casu, vel de Ordinarii licentia, etiam religiosi, vti ex multis Doctoribus comprobat hanc sententiam *Barb de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. nu. 9* tamen si alienus Sacerdos,infantem alterius Parochię, sollemniter baptizauerit,sine licentia proprij Parochi,licet peccet mortaliter cū vsurpet sibi iurisdictionem, & munus alterius,nullam tamen incurrit irregularitatem,cum hæc pœna nullibi reperiatur expressa,ita inter alios *Barb loco supra cit. num. 11. & 12. Reg lib 27. cap. 6. num 39. quin imo Layman in theol. moral. lib. 5. tract. 2 cap. 7 num. 2. fine apud Barb. loco proximo citato num. 1. fine* habet etiā grauiter peccare parentes, si prolem suam,Parocho alieno, absque proprij licentia baptizandum offerant.

Item rebaptizantes scienter,sub conditione neque incurrunt irregularitatem, cum hæc irregularitas non habeatur expresse in iure, quia in iure tantū ponitur irregularitas propter rebaptizantes, sed hæc non est rebaptizatio simpliciter,sed cum conditione ergo, &c. *ita Suar. in 3 par. tom 3. disp. 31. sect. 6 dub. 5. Tol lib. 1. cap 65 numer. 5. Aula de censuris par 6. disp. 7. dub. 3. Nugnus Fernandez Cabrera Silvius, & alij apud Dianam tract. 4. de Sacr. resol. 9.* & hæc de ministro ex officio. Nu. 8

Nu. 9 Verum vt necessitatis Ministrum explicemus. Dicendum puto, huiusmodi necessitatis ministrum duplicem esse, vnum secundum legem ordinariā Dei, alterum secundum supernaturalē Dei ordinationem,hic posterior potest esse Angelus,aut anima extra corpus, qui ex diuina voluntate possunt baptizare, non tamen secundum legem Dei ordinariam,vnde nisi constet tale bonum Angelum,vel animam sanctam non est censendus Baptismus,ac proinde Anima alicuius Beati,& si assumat propriū corpus,illud non esset sufficiens de lege Dei ordinaria,ad conficienda Sacramēta, & per consequens hoc Baptismi Sacramentum,quia sicuti Sacramenta instituta sunt,pro solis hominibus viatoribus,ita etiam eorum ministri instituti sunt solummodo homines viatores, *ita amicus meus P. Gesualdus de Bononijs Capuc. par. 1. Theolog. moral. tit. 1. cap. 3. de Sacr. in genere nu. 12. & 13.*

Nu. 10 At vero minister secundum legem Dei ordinariam,est quilibet homo, qui loqui potest,& lauare,siue vir, siue fœmina, fidelis, vel infidelis, baptizatus, vel non baptizatus, dummodo sciant lauare,& verba proferre,cum debita intentione,vnde licet infidelis non crederet,se quidquam boni facere,& cum irrisione faceret,si tamen ad petitionē

baptizandi baptizaret, & intendens facere id, quod facit Ecclesia Christiana, vel vt illa facit, vere baptizaret ita *egregie Tol. inst. lib. 2 cap. 20. nu. 2. Suar. in 3. par. tom. 3. disp. 23. sect. 1. concl. 1.*

Nu. 11 Tamē aduerte, quod licet hi omnes in necessitate possint baptizare, quamquam in peccato sint, & non peccent, dummodo sollemniter non baptizent modo supradicto, tamen vnusquisque inferior, debet cedere in præsentia superioris, ita vt si adest vir, non debet baptizare fœmina, & si Ecclesiasticus, non debet Laicus, licet non sit mortale oppositum facere *ita Tol. loco proximo citato nu. 3.* vbi asserit in aliquo casu potius à laico, quam à Parocho, Baptismum suscipiendum esse, puta si Parochus, nollit baptizare, nisi accepta pecunia in pretium, quod simonia est, tunc si paruulus esset baptizandus, baptizetur potius à laico, at vero si adultus est, petat ab alio, etiam infideli, & si nullus adest, & periculum mortis inest, tunc potius debet mori, cum baptismo in voto, nā cum hoc saluatur. Quamquam licebit aquam puram emere ad baptizandū, cum non sit emptio rei sacræ.

Nu. 12 Aduerte secundo, vnum debere esse ministrum, plures enim simul baptizare non possunt, verum circa hoc dubiū varij varia dicunt, nos tamen breuitatis causa, aliquas ponemus conclusiones illud explicantes dubium, an baptismus à pluribus collatus, sit validus, possunt enim plures vnum baptizare, dicentes. Nos te baptizamus in nomine Patris, &c. vnde *D. Tho. in 3 par. quest. 67. ar. 6. in corp* supposito vno fundamento tres distinguit modos, quibus id contingere possit.

Nu. 13 Fundamētum autem est, cum Sacramentum Baptismi virtutem habeat, ex forma, quam Apostolus nominat verbū vitæ. *Eph* 5. ex forma igitur, perpendendum est an Baptismus, ex pluribus collatus sit validus nec ne, si enim diceret. Nos te baptizamus in nomine Patris, &c. licet aliqui asserant Baptismum nō valere, & assignant hanc rationem, quia mutatur forma Ecclesiæ, quæ est Ego te baptizo, tamen huiusmodi ratio nulla est, quia huiusmodi mutatio formæ, de se non tollit substantiam Sacramenti, nam Græci vere baptizant, & nihilominus plus mutant formam nostram, dicentes baptizetur seruus Christi, quam mutetur, quando singulare, baptizo, mutatur in plurale, baptizamus, nihilominus, quia debemus considerare talem formam Baptismi, & secundum hanc rationem, quando plures dicūt. Nos te baptizamus exprimitur talis intentio, quod plures conueniant ad vnum Baptismum conferendum, quod videtur esse contra rationem ministerij, ideo secundum hanc rationem fit.

Prima conclusio, Baptismus sub illa forma, Nos te baptizamus, videtur non esse Sacramentum, patet, quia homo nō baptizat, nisi vt minister Christi, & vicē eius gerens, vnde sicut vnus est Christus, qui principalis est causa Baptismi, ita oportet esse vnum ministrum, at vero quando plures dicunt, Nos te baptizamus, singuli asserunt se ministros esse; quod videtur esse contra rationem huius ministerij, atque adeo talis contraria intentio videtur escludere substantiam Sacramenti, & hic est primus modus *D. Tho.* Si vero, vterque diceret. Ego te baptizo, non sub forma pluralis numeri, sicuti supra, sed singularis, quod fieri contingerit, quando duobus, de possessione beneficij curati, litigātibus, vterque vellet munus suum, baptizandi sibi veudicare, & hic casus subdistinguitur, nam si alter alterum prolatione formæ, præueniret tunc sit. Nu. 14

Secunda conclusio. Qui prius formā profert, ille solus baptizat, nā sunt omnia necessaria requisita ad essentiam Sacramenti, quare licet ille non haberet ius baptizandi, sed alter, qui posterius profert formam, scilicet verba: secundus ille, esset sacrilegus, & tanquam rebaptizator esset puniendus, & hic est secundus modus, vt tertius explicetur modus sit. Nu. 15

Tertia conclusio. Si autem omnino simul ambo verba proferrēt, & hominē immergerent, aut aspergerent, vterque quantum est in se baptizaret, quare verus esset baptismus, illi autem puniendi essent, non tanquam rebaptizantes, sed de contentione illa, quæ ordini baptizandi iniuriosa est. Nu. 16

Aduerte tertio, quod habet *idem D. Tho.* Nu. 17

Thom. loco supra citato ad tertium, quod quoties confertur Baptismus a duobus,vt alter abluat, & alter vero profetat formam,vt si duo essent , vnus mutus,qui non posset verba proferre,alter manibus carens,qui non posset aquam infundere , si vterque conueniret , vt vnus vnum , alter aliud præstaret , tunc Baptismus hoc modo collatus à multis,non est verum Sacramentum,& reddit rationem , quia cum integritas Baptismi consistat, in forma verborũ , & vsu materiæ,ideo neque ille,qui tantum verba profert,baptizat,neque ille, qui immergit,verum circa has conclusiones legite *Suar. tom 3. in 3. par. disput. 23. sect. 3.*

Nu. 18 Quid vero dicendum, in casu necessitatis,quando scilicet infans est in extrema necessitate, & tãtum adsunt duæ personæ,quarum altera loqui non potest,cum sit muta, altera vero non potest abluere,cum sit manibus orbata,& cum Baptismus sit Sacramentum maxime necessitatis,an inquam in tali casu, possit valide,& licite ab his duabus personis conferri , ad quod quidem quæsitum, quidquid dicant *Fernandez apud Dianam tract. 4. de Sacr. resol* 11. qui habet in hoc necessitatis conflictum, non dedecere , sub hac conditione interius concepta(si ita conferri Baptismus potest)applicare Baptismũ , melius enim est,(vt ne solus in hoc casu iudicem)dubium Baptismum , quam omnino nullum accipere, cæterum si infans ille mortis euaderet periculum , esset iterũ sub conditione baptizandus *ita Fernandez,*

Ad quam quidem sententiam

Nu. 19 videtur accedere *Suar. loco supra citato* §. *Ad vltimam vero*,qui licet neget,non posse propter hanc necessitatem conferre Baptismum ab his duabus personis,& reddit rationem, quia pari modo, dici posset nõ esse necessaria verba semper, quia potest esse casus necessitatis,in quo nemo loqui possit,sed tantum efficere nutus,vel signa,quod Paludanus censet probabile; re tamen vera non est , sed omnino contra substantiam Sacramẽti, alioqui etiam negari posset necessitas aquæ,quia potest occurrere casus,in quo etiam aqua deficiat , sicuti ergo propter huiusmodi euenens rarissimos, non est facta exceptio in institutione Baptismi,sed generaliter facta est, in tali materia,& tali forma, ita etiam in tali ministro, quod si extra casum necessitatis, nullus auderet approbare Baptismum illo modo datũ à duobus, ita neque in casu necessitatis,censendus est validus, quia veritas, & substantia Sacramenti,vt factum teneat , non aliã formam,materiam , vel ministrum requirit extra casum necessitatis,quam in illo,non nego tamen, quod si occurreret talis casus necessitatis , posse iuxta aliam sententiam conferri *Baptismum*, quia melius est accipere Baptismum dubium, & aliquo modo probabilem , quam omnino nullum,esset tamen ille Baptismus sub conditione iterandus,si postea occurreret opportunitas recipiendi indubitatum Sacramentum ab vno,& eodem ministro hæc Suar.

Aduerte iterum quarto,quod,qui putat baptizare fœminam,& baptizat masculum,aut putat baptizare Petrum,& Nu. 20
baptizat Franciscum si minister baptizare intendit,vere baptizat, nam error personæ,vel sexus,non impedit Baptismum *ita Tol. inst. lib. 2. cap. 20. num. 5.*

QVAERES QVARTO.

Quid dicendum de suscipientibus Baptismum.

Post euangelij promulgationem , omnes ex præcepto diuino ad Baptismum suscipiendum obligari, Nu. 1
siue in re,siue in voto nemo sit, qui dubitet , vnde nullus de lege ordinaria, saluari potest *iuxta illud Ioan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sãcto, non potest introire in regnũ Dei, & iuxta illud* ; *Trid. sess 7. can. 5 si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem anathema sit ita Reg lib. 27. cap. 2. nu. 7.* quare si qui modo essent sanctificati , in vtero matris,tenerentur sub præcepto baptizari, vt habeant caratherem , quamuis hi si ante Baptismum decederent salui,essent ratione gratiæ sanctificantis *ita Tol. inst lib. 2. cap 21. § Sub hac autem.*

Baptismus vnus est specie insima , ac Nu. 2

proinde, vnus tantum numero esse potest, vnius numero hominis, itaut iterari nequeat *patet ex concilio Florentino ex instructione Armenorum*, vbi statuitur Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, quæ caratherem imprimunt in anima indelebilem, non iterari, in eadẽ persona *ita ex Trid. sess. 7. de Bapt. can. 11 si quis dixerit verum, & rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negauerit cum ad Pœnitentiam conuertitur, anathema sit ita inter alios Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 22. sect. 2. Reg. lib. 27. cap. 7. num. 52.* vbi etiam habet peccatum esse suo genere grauissimum iterari Baptismum, tum ex parte dantis, quam ex parte illum recipientis voluntarie.

Nu. 3 Hoc tamen aduerte, non procedere in casu dubij quia in hoc casu sub conditione conferendus est, si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c. quam conditonem non est necessarium exprimere, sed sufficit habere intentionem, non rebaptizandi si sit baptizatus.

Nu. 4 Verũ de Baptismo, dupliciter loqui possumus, vel respectu adultorum, vel respectu paruulorum, ideo breuiter vtroque modo aliqua adnotabimus, & Primo in adultis triplicem requiri dispositionem ad Baptismum suscipiendũ: requiritur enim primo intentio Suscipiendi Baptismum: secundo fides, tertio de peccatis cõmissis dolor *ita Tol. inst. lib. 2. cap. 21. numer. 4. Suar. in 3. par. tom. 3. disp. 24. sect. 1. concl. 1.* vbi aduertas, quod intentio, volũtas, seu consensus suscipiendi Baptismum, non oportet, vt sit actualis, sed satis est virtualis, quod scilicet aliquando præcesserit, & moraliter duret, nec retractatus sit, vnde fit vt qui renuens, & inuitus baptizetur, non sit vere baptizatus. at vero si interius consensiat, quamuis metu, & vi baptizetur recipit caratherem, sed non gratiam, & cogendus est, vt maneat in fide Christiana *ita Suar. loco supra cit. concl. 3. Tol. loco citato num 4.*

Nu. 5 Quid vero dicendum sit, an sit validus Baptismus dormienti collatus, qui illum petierat, ante somnum breuiter ex supradictis affirmatiue respondendũ est, quia voluntas, & propositum præcedens sufficit, vt illa susceptio Baptismi censeatur voluntaria *ita ex Innocentio 3. in cap maiores de Baptismo, & sumitur ex Concilio Carthaginensi 3. can. 34. & Aurasic. 1. can. 12. & hanc sententiam docuerunt Barb. Silu. apud* Dianam *tract. 4. de Sacr. resol.* 12. qui asserunt idem dicendũ esse de amente, qui ante dementiã, & de furioso, qui dum haberent dilucida interualla petierunt Baptismum, etiam si postea dum baptizantur, resistere videantur, nam illa resistentia, non repugnat intentioni antea elicitæ, cum illa resistentia, quæ tunc temporis contingit non sit actus humanus.

Quin imo *Ioa. Sancius in selectis disp. 44. num. 42.* habet adultum, qui antequam in amentiã incideret, Baptismũ petijt, postea tamen furia accensus, se baptizari nõ patiatur, posse ligari, vt sic baptizari valeat *vbi nu. 43.* habet si contingat adultum illum, qui Baptismum petijt, in publico concubinatu viuere, tempore postulati Baptismi, adhuc baptizandus est, quia, & si scandalosam vitã ageret, eo ipso, quo baptizari poposcit, credendum est, vitam in melius mutare desiderasse, & consequenter sufficiẽtem habere dispositionem, vt baptizari possit. Nu. 6

Neque dicas sicuti minister, qui ante somnum habuit volũtatem, illum baptizandi, si illum dormiens baptizet, nõ conficeret Sacramentum, ita neque similis voluntas, sufficiet ex parte dormientis baptizati, non inquam hoc dicas, primo quia secundũ probabilem opinionem aliquorum doctorum, in tali casu, verum confici Sacramentum, cũ sufficiat virtualis ministri voluntas, præsertim si illa actio, quam dormiens exequitur, ortum habeat, ex efficaci voluntate conferendi Baptismum, quam in vigilia habuit, quare in tali casu, puto Baptismum exercendum esse sub conditione, *ita Cabrera citatus apud Dianam loco supra citato* §. *Respondet*, vbi fine, ipse ait maiorem voluntatem, & intentionem requiri in ministro ad Baptismum, quam in suscipiente, & ita est dispar ratio inter vtrumque casum. Nu. 7

Aduerte secundo fidem necessariam esse tantum ad recipiendi Baptismi gratiam, non autem ad valorem Sacramenti, Nu. 8

ti,& ad caratherem recipiendum, vnde si quis accederet,cum intentione recipiendi,& suscipiendi Baptismum, licet non credat vni articulo, vel pluribus fidei articulis, reciperet caratherē non tamen gratiam,donec deponat errorem,& se disponat.

Nu. 9 Aduerte tertio,quod dolor est etiam necessarius, hoc modo supra dicto ad gratiam,scilicet non autem ad caratherem,quare si aliquis,cum actuali voluntate peccandi accederet,sed cum debita intentione,acciperet caratherem,nō tamen gratiam, donec de tali peccato cōfiteretur. *Vnde* D.*Tho.in 3.par.quæst. 67.art. 6.* Quærens vtrum peccatores ad Baptismum accedentes, teneantur sua peccata confiteri,respondet in corp. articuli,quod confessio duplex est vna interna,quæ fit Deo,quæ nihil aliud est quam recognitio peccatorum, vt qui peccator baptizandus recognoscat sua peccata,& de eis doleat, & hæc confessio ante Baptismum necessaria est, alia confessio externa,quæ fit homini, & de hac negat.

Nu. 10 Verum an ad suscipiendum Baptismum sufficiat attritio cognita, nec ne, negatiue respondent multi sed breuitatis causa dicendum est attritionem veram esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum Baptismi,vnde si quis vi deat se non habere contritionem,licite potest accedere ad hoc sacramentum, vt iustificabitur in illo,si habeat dolorē supernaturalem de peccatis,qui sit vera attritio *ita Villa.Nugnus apud Dianā tract.4.de Sacr.resol.13.*

Nu. 11 Aduertas tamen,quod si quis infidelis animo Baptismum suscipiendi,e suis Regionibus discedens, animo perueniendi ad Christianorū Regiones,& propter tempestatem submergeretur, diceretur potius baptizatus baptismo flaminis,quam sanguinis,quia in tali morte non est virtus fortitudinis cum contrapugnantia. Vnde si iste talis,non haberet actum contritionis,non esset saluus, *Ita nouissime P. Gesualdus de Bononijs Capuc.par.1 theolog moral.tit.3. cap. 2.num.13.*

Nu. 12 Iterum quæri potest, an per Baptismum recedente fictione remittantur omnia peccata,non solum,quæ antecedunt Baptismum,sed etiam ipsum peccatum fictionis, & alia quoque peccata,quæ in ipsa reali Baptismi susceptione perpetrantur, & denique ea, quæ *Baptismum* subsequantur, an potius omnia ista peccata remittantur, per Pœnitentiam,per quam tollitur fictio, in ordine ad claues Ecclesiæ, ita vt ficte scilicet sine attritione baptizatus postea in confessione sacramentali,huiusmodi peccata confiteri teneatur.

Cui Quæsito breuiter respondeo, & primo fictionem non remitti per Baptismum, sed per confessionem Sacramentalem,atque adeo necessario est explicanda in confessione Sacramentali,item omnia peccata, ante Baptismū commissa,& omnia etiam,quæ in ipsa Baptismi susceptione perpetrantur, siue sint sacrilegia contra baptismum,siue non, delentur recedente fictione per Baptismum, etiam si ficte baptizatus nullam prorsus attritionem habuisset in ipso Baptismo, vnde omnia supradicta peccata,non sunt recedente fictione in confectione explicanda,tandem omnia peccata post Baptismum iam susceptum commissa,recedente fictione, remittuntur, per confessionem sacramentalem, vel per contritionem tolli tur fictio,& consequitur effectus *Baptismi ita Cabrera de Sacr.quæst 69.art 19. dist.2.§.2.3.4.& 5.Silutus Vill. Nugnus, & alij apud Dianam tract.4.de Sacr.resol. 14.* Nu. 13

Tandem quæri potest, an sola attritio,sine Sacramento Pœnitentiæ sit sufficiens,ad remouendam fictionem. Nu. 14

Ad quod quæsitum, respondendum puto, duobus modis,quis cum fictione ad *Baptismum*,potest accedere, primo videns,& sciens, se accedere in peccato mortali, vel cum ignorantia crassa, & vincibili, suscipit Baptismum, & iste proprie dicitur fictus,& nouum sacrilegij peccatum committit,& hoc modo fictio tolli non potest, per solam attritionem,sine sacramentali confessione, item secundo accedere potest,cum peccati mortalis complacentia, sed excusatur à nouo sacrilegij peccato, ratione ignorantiæ inuincibilis,quia putat,non esse necessariam aliam dispositionem præter fidem,& voluntatem *Baptismi*, Nu. 15

vel

vel quia putat se esse attritum, cum re-uera non sit, & in hoc secundo modo huiusmodi fictio tollitur, per attritionē, sine Sacramento Pœnitētiæ, quia in homine sic accedente ad Baptismum, non est necessarium Sacramentum Pœnitētiæ, suppono enim omnia illa peccata antecessisse Baptismum, ergo omnia tollenda sunt virtute solius Baptismi, atque adeo tollentur, cum dispositione sufficienti per se, cum solo Baptismo, sed dispositio sufficiens per se cum solo Baptismo, ad tollenda omnia peccata commissa, ante Baptismum, est attritio modo supradicto, maneat igitur dicendum attritionem solam sine Sacramento Pœnitentiæ esse sufficiētem ad remouendam hanc fictionem, hoc secundo modo explicatam ita *Cabrera citatus apud Dianam loco supra citato resol.* 14. §. *Respondeo*, & hæc de adultorum Baptismo.

Nu. 16 Quare, vt de paruulorum Baptismo, aliqua fiat mentio, & licet iure diuino, impositum sit, omnibus præceptum suscipiendi Baptismum aquæ, vti probat *Suar. in 3. par. disp.* 31 *sect.* 1 *conclus.* 1. *& præcipue ex* D. *Thom. in* 3. *par. quæst.* 68. *ar.* 1. *in corp.* vbi obstendens necessitatē Baptismi habet, Respondeo dicēdum, quod ad illud homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt, manifestum est autem, quod nullus potest salutem consequi, nisi per Christum, ad hoc autem datur Baptismus, vt aliquis per ipsum regeneratus, incorporetur Christo, factus membrum ipsius, vnde concludit *ipse* D. *Tho.* manifestum est, quod omnes ad Baptismum tenentur, & sine eo, non potest esse salus hominibus, et ex hoc deinde probat *Suar. loco supra citato concl.* 2. hoc præceptum Baptismi omnibus hominibus positum esse, vnde quantum est ex se ex quo latū est, omnes obligat, qui sunt capaces præcepti, tamen hoc præceptū per se, & directæ vti probat idemmet *Suar.* §. *Tertio sequitur*, non obligat paruulos, ante vsū rationis, quia pro ea ætate non sunt capaces præcepti, pertinet autem indirecte, hoc scilicet modo quia cum materia huius legis cōmunis sit infantibus, & adultis, ideo ad omnes extendi debet obligatio, eo modo, quo potest, infantes autem sicuti non habent, pro tunc aliā voluntatem, nisi paternam, ita per illā obligantur ad Baptismum, quatenus ipsi parentes obligantur, ad baptizandos illos; quare eorum parentes non solum instante necessitate, vel mortis periculo ipsorum infantium, obligantur ad hoc, ex lege charitatis, misericordię, & pietatis, qua tenetur parens subuenire filio indigenti, & recte illum instruere, seu disponere etiam in his, quæ ad salutem animæ spectant, sed etiam ex vi legis Baptismi vti optime existimat *Suar. loco supracitato* §. *Tertio sequitur*, ad hoc teneri parentes cum materia huius legis communis sit infantibus, & adultis modo dicto: vbi etiam habet, extra necessitatis casum, & stando in solo iure diuino, non videntur obligari parentes hoc præcepto Baptismi ad baptizandos suos filios, tempore infantiæ.

Id quod dicendum videtur, de tota Ecclesia respectu suorum membrorū, quia hoc non continetur, in substantia ipsius præcepti, non enim determinat tempus, vel ætatem, in qua dandus, vel suscipiendus est Baptismus; tamen ex Ecclesiæ consuetudine, & eius præcepto, recte possunt parentes ad baptizandos suos infantes, ante adultam ætatē obligari, quia res est iusta, & bono communi satis expediens, & ipsi sunt subditi Ecclesiæ iurisdictioni, & ita existimat *Suar. loco supra citato disp.* 31. *sect.* 1. §. *Tertio sequitur* saltem consuetudine ipsa, introductum esse hoc præceptum, quare concludit parentes non baptizatos, cum non sint Ecclesiæ subditi, non obligari hoc particulari præcepto. Nu. 17

Ac proinde licet huiusmodi præceptum per se, & directe, non obliget paruulos, ante vsum rationis modo dicto, tamen omnes homines, post natiuitatē ex vtero materno, statim esse capaces Baptismi, etiam si rationis vsum non habeant *ita Suar. loco supra citato disput.* 25. *sect.* 1. *concl.* 1. *vbi concl.* 2. habet, vt infantes sint capaces Baptismi, non esse eis necessariam intentionem suscipiendi Baptismum, nec propriam, nec parentum, nec alterius, sed illis sufficere Christi voluntatem. Nu. 18

Verum an parentes, post perfectam paruulorum natiuitatem, teneantur, quam

quam primum eos baptizare, communiter affirmatiue respondent omnes, sed quomodo intelligendum sit (illud quamprimum) arbitrio prudentis viri committit præcipue *Suar. loco supra citato §. sed quæres fine at vero Sotus in 4. dist. 5 quæst. vnica art. 3.* in particulari descendens ait cum Pater, statim, baptizari iubetur non intelligitur eadem natiuitatis die, aut tertia, aut quarta, sed quando commode potest in Ecclesia portari, & mergi, quod est octauo die, vt moris est, vel decimo, aut duodecimo die ita Sotus.

Nu. 20 Ex his collige, iure optimo *in nostra Synodo Panormitana anno 1615. celebrata ab Eminentissimo Cardinali ab Aurea Archiepiscopo Panormitano determinatum fuisse par. 2. cap. 1. num. 2.* Natum infantē, hi quorum est cura, ante nonum diem, ad suscipiendum in Ecclesia Baptismū deferant, quod si neglexerint, excōmunicationis pœnæ subiaceāt, ex his inferas in vnaquaq; diecęsi seruandam esse in hoc illarum consuetudinem.

Nu. 21 At quid dicendum, de filijs infideliū, animaduertendum esse puto, non esse sermonem de filijs infidelium, qui directe subditi sunt Ecclesiæ, ratione potestatis, & iurisdictionis spiritualis, sicuti sunt omnes apostatæ, qui post susceptū Baptismum defecerunt à fide, siue in hæresim inciderint, siue in Iudaismum, aut paganismum declinauerint, nam de his nulla est controuersia, quia Ecclesia habet ius baptizandi, eorum infantes, etiam si parentes renitantur *ita Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 25 sect. 3. litt. D.*

Nu. 22 Aduertas tamen secundo infideles, qui nunquam baptizati sunt, & qui non sunt directe subditi spirituali iurisdictioni Ecclesiæ, esse in duplici differētia, vel sunt subditi Ecclesiæ, seu Principibus Christianis, quo ad iurisdictionem, seu dominium temporale, vel sunt, qui nullo modo, nec spiritualiter, nec temporaliter subijciuntur Ecclesiæ.

Nu. 23 Verum vt breuiter, his omnibus mē bris satisfaciamus. Dicendum arbitror filios, eorum infidelium, qui licet subditi sint Christianis Principibus, tamen non sunt serui Christianorum, baptizari non posse, parentibus inuitis, neque auctoritate priuata, neque publica Christianorum Principum ita *Suar. in 3. par. tom 3. disp. 25 sect. 4. concl. 1.* vbi etiam habet, quod ad hoc, eandem esse rationem, de Summo Pontifice, quia etiam ipse non habet directam iurisdictionē temporalem, in huiusmodi infideles: at vero infideles, & eorum filij, si sint Christianorum serui, licite possunt auctoritate dominorum, filij à parentibus separari, & inuitis parentibus baptizari ita docent *Suar. concl. 2. Reg. tom. 2. lib. 27. cap. vltimo à nu. 68.* quamquam contrarium videatur asserere *D. Thom. in 3. par. quæst. 68. ar. 10. referente Diana part. 2. tract. 15. & misc 1. resol. 45.* vbi asserit ex mente D. Tho. non licere, etiam si fuerint Christianorum serui.

Tamen existimo, quo ad hanc partem, nostram assertionem nō esse repugnantem D. Thomæ, quia vt videre est in toto illo *art. 10.* & in responsionibus ad argumenta, nihil expresse dixit de hoc speciali casu, quia cum in secundo argumento, obijcisset, filios iudeorum, posse baptizari, quia iudei sunt serui Christianorum, in solutione deinde respondet, non esse proprie seruos, seruitute pœnali, contraria libertati, sed solū esse subiectos seruitute ciuili, ex qua responsione deduci potest hæc conclusio, ergo si iudei essent veri serui, de qua seruitute loquuti sumus supra, eorum filij baptizari possunt, ipsis inuitis *ita etiam Suar. loco supra citato.* Nu. 24

Infantes vero infidelium filios, quorū parentes nullo modo, sunt Ecclesiæ subditi, non posse iure baptizari, inuitis parentibus, neque priuata auctoritate, neque publica tenet inter alios *Suar. loco supra cit sect. 3. concl. 1. vbi §. ex his autem* infert duo corollaria. Primū, quod si paruulus sit, in extremo mortis periculo, tunc saltem posse baptizari, inuitis parentibus, præsertim secrete, & occulte, quia iam videtur parens moraliter amisisse ius suum in filium, & hanc sententiam audacter fatetur *Diana par. 5. tract. 3. resol. 10.* Nu. 25

Neque dicas baptizare filium, inuito parente, esse intrinsece malum, cum sit contra iustitiam, quia licet, hoc verum sit, extra casū necessitatis, tamē in casu necessitatis, cessare solent huiusmodi iura, præsertim, cum in illo articulo, tā sit Nu. 26

sit extintum paternum ius *ita Suarez lo co supra citato §. Quod si obijcias*, *ita etiā Diana par. 7. tract. 7. resol. 67. §. Excipe.*

Nu. 27 Aduertas quæso, quod licet hoc sit pium, & probabile, tamen Parochus vtendus est hac facultate, cum magna prudentia, & cautela, & primum est obseruandum, vt infans sit, in eo statu, in quo de illius vita corporali, moraliter desperetur, ne si forte viuat, aut patri sit filius eripiendus, aut post Baptismum relinquendus in euidenti periculo apostasiæ: secundo cauendum est, ne fiat per manifestam violentiam, cum scandalo parentum infidelium, quia hoc, non potest non cedere in iniuriam Christianæ religionis, & occasionem præbere, vt fiant sacrilegia *ita Suar. loco supra citato §. Ex his autem.*

Nu. 28 Secundum corollarium est, quod infans iure, vel iniuria de facto, iam sit extra patriam potestatem, ita vt nulla sit spes, neque obligatio restituendi filium parenti suo, vel quia ignoratur, cuius sit filius, vel quia tam longe distat, vt moraliter non possit restitui, in tali casu potest huiusmodi filius baptizari, sine consensu patris, etiam si constet ipsum fore inuitum, quia licet parens retineat, veluti ius radicale, tamē ammisit actualem vsum eius, oportet tamen vt ille paruulus, ita sit orbatus vtroque parente, vt nullum etiam tutorem habeat, ad quem ius educandi paruulum pertineat, quia tūc eadem esset ratio de tuto re, ac de parentibus.

Nu. 29 An vero, requiratur consensus vtriusque parentis, vel sufficiat, vnius, etiam si alter inuitus sit. Ad quod Quæsitū, nō me tedet respondere, quod si mater sit Christiana ante conceptionem, & partū filij, certum est posse, & deberi filium baptizari per se loquendo, etiam si pater contradicat, quia partus sequitur ventrem, & cum filius, ex matri fideli, & Christiana concipiatur, acquirit ius Ecclesia, ad baptizandum illū, id quod etiam dicendum est, si pater, sit Christianus, & mater infidelis, poterit baptizari paruulus, consentiente patre, & renuente matre, quia parens est caput, & habet præcipuum ius in filiū, & hoc etiam dicendum est, etiam si filius natus sit, ex vtroque parenti infideli, si postea alteruter parentum conuertatur ad fidem, illius consensus sufficiet, etiā si alter contradicat, siue ille sit pater, siue mater *ita Suar. in 3. par. tom. 3. disput. 25. sect. 3. §. Respondetur primum.*

Idem etiam dicendum est, etiam si neuter parens infidelis ad fidem conuertatur, si tamen permittat filium baptizari, id satis est, etiam si sola mater, huiusmodi consensum præbeat, quia cum talis consensus sit, in fauorem religionis, & bonum, & salutem filij præferendus est ita *Suarez loco supra citato §. Quin potius Reg. tom. 2. lib. 27. cap. vlt. nu. 68. §. Quarta propositio.* Nu. 30

Aduerte tamen, quod si per accidēs accidere posset vt non expediat baptizari filium, altero parente inuito, propter periculum apostasiæ, vel alicuius sacrilegij, in tali casu curandum esse, vt filius subtrahatur à cura, & consortio parentis infidelis, vt tuto baptizari possit, & hæc de infantibus ante vsum rationis *ita Suar. sect. 3. §. Hæc autem omnia.* Nu. 31

Verum an baptizari possint, inuitis parentibus, statim ac ratione vti possunt, vel in quanam ætate. Nu. 32

In hoc, ea regula obseruanda est, quā assignat *Suar. loco supra citato §. Secundum dubium*, vbi habet, quod cum primum homo peruenit, ad eum statum vsus rationis, in quo est capax peccati mortalis, iam tunc baptizari potest, per proprium consensum, parentibus etiam inuitis, antea vero non potest, id quod etiam habet *D. Tho. in 3. par. quæst. 68. ar. 10. corp.* vbi habet respondeo dicendū, quod pueri infidelium filij, aut habent vsum rationis, aut non, si autem habēt, iam quantum ad ea, quæ sunt iuris diuini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse, & ideo propria voluntate, inuitis parentibus possunt Baptismum suscipere hæc D. Tho. Nu. 33

Et tandem quæri potest, an Domini, qui possunt proles suorum mancipiorū illis inuitis baptizare, ad id obligentur, & loquimur præsertim quando Christiani, hos infantes à parentibus separatos in bello capiunt, ita vt tunc non possint, licite eos parentibus, seu tutoribus reddere, etiam accepto pretio, circa quod quidem Quæsitum videtur responderi posse, milites, qui hos infan- Nu. 34

tes

tes capiunt, teneri eos baptizare, nec posse licite, amplius eos vendere infidelibus, q̃ doctrina colligitur *ex Scoto, & alijs apud Suarium in 3. par disput. 25. sect. 6 § Quod ergo, & hanc sententiam docet etiam Vasq. disp. 155 cap. 7.* quam sententiam videri probabiliorem per se loquendo ait *Diana par. 7. tract. 7. resol. 69.* quia supposito iure domini, quod præbet facultatem procurandi Baptismum paruulo, charitas videtur obligare, vt res adeò necessaria illi procuretur, nec verum est hauc obligationem ad solos parentes spectare, nam potest spectare, etiam ad alios, quorum paruulus est, in graui necessitate, ergo etiam ad dominos, qui si reddant paruulum parentibus, vel vendant alijs Ethnicis, de æterna salute periclitabitur, de qua bene sperari poterit, si procuretur ei Baptismus, & inter Christianos educetur verum circa hoc vide *Franciscum Salernum* §. 4. *consil. 14. lib. 1.*

Nu. 35 Nihilominus tamen respōdet *Suar. §. Nihilominus*, simpliciter loquendo verius videri, sine vllo peccato posse hos infantes, vendi parentibus, & consequēter absolute, non esse obligationem eos baptizandi, cuius fundamentum est vt ait *Suar.* quia nullum est sufficiens principium, vnde hæc obligatio oriatur, & Primo supposito, quod nullum sit positiuum ius, in quo fundetur huiusmodi obligatio, vt per se clarum est, patet huiusmodi obligationem primo non oriri, ex vi dominij, nam licet dominus quādiu dominium retinet, teneatur habere curam serui, tamen non tenetur perpetuo conseruare, huiusmodi dominiū vti probat *Suar*, Secundo neque hæc obligatio oritur, ex charitate, nam licet hi paruuli, hac ratione constituantur. in aliquo periculo, non tamen obligat charitas ad subueniēdum illis, hoc modo, non solum ob temporale incommodum, sed etiam propter Baptismi reuerentiam verum de his, & alijs *apud Suarium, & apud D. meum* R. D. *Franciscum Salernum consil. 14. lib. 1.*

Nu. 36 Vt autē de Mōstruis aliquid breuiter dicatur. Animaduertas tādē, in mōstruis baptizandis, si casus eueniat, magnā esse cautionem adhibendam, de quo si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alij periti consulantur, nisi mortis periculum immineat *ita ex Rit. Rom. de Sacr. Bapt. vbi habetur monstrum, quod humanā speciem, non præseferat baptizari non debere, de quo si dubium fuerit; baptizetur sub hac conditione. Si tu es homo ego te baptizo, &c.*

Illud vero, de quo dubium est, vnane, aut plures sint personæ, non baptizetur donec id discernatur, discerni autem potest, si habeat vnum, vel plura capita, vnum vel plura pectora, tunc enim totidem erunt corda, & animæ, hominesque distincti, & eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, vnicuique dicendo *Ego te baptizo*, &c Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, vt singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare dicendo Ego vos baptizo, &c. Quam tamen formam in his solum, & in alijs similibus mortis periculis, ad plures simul baptizandos; & vbi tempus nō patitur, vt singuli separatim baptizentur, alias nunquam licet adhibere *ita ex Rit. Rom de Bap.* Nu. 37

Quando vero, non est certum, in mōstro esse duas personas, vt quia duo capita, & duo pectora non habet, bene distincta; tunc debet primum, vnus absolute baptizari, & postea alter sub conditione hoc modo Si non es baptizatus, &c. *ita Rit. Rom.* Nu. 38

Vnde aduertas, quod habet *P. Gesual. de Bononijs Capuc. par. 1. theol. moral. tit. 4. cap. 2. num. 2.* Satyrum genitum ex fœmina, & bruto non esse capacem Baptismi, quia talis non est verus homo, neç habet peccatum originale, cum peccatum originale traducatur, ex Adamo per virilem virtutem seminalem *vbi nu. 3.* habet monstrum genitum ex viro, & fœmina si habet caput hominis, debet baptizari, quia est homo constās ex anima rationali, & corpore imo si cōstaret habere duplicem animam, vt si haberet duo capita, & duo corpora distincta bis baptizandum esset modo supradicto *ex Rit. Rom.* vel si dubitetur an constaret duplici anima rationali baptizandum esset etiam modo supradicto *ex Rit. Rom. de Bap. cap. de baptizandis pueris*, & hæc de suscipientibus, vt autē ad effectus Baptismi deueniamus. Nu. 39

I Quæ.

QVAERES QVINTO.

Quid dicendum de Sacramenti Baptismi effectibus.

Nu. 1 DE his effectibus latius D. *Thom in 3 par. quaest. 69.* ac intei pei res ipsius, sed quoniam eorum consideratio remotior est, à nostro intentu, contenti erimus aliquos breuiter attingere, inter quos.

Nu. 2 Primus effectus est, animæ conferre gratiam iustificantem, cum comitantibus eam virtutibus theologicis, fide, spe, & charitate, ac septem Spiritus Sancti donis, sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Domini, item virtutibus moralibus infusis, quæ quidem gratia confertur tam paruulis, quam adultis, & hac gratia remittitur peccatum originale in paruulis & actuale in adultis *ita Tol. lib. 2. inst. cap 22. num. 1.*

Nu. 3 Secundus, remissio totius pœnæ pro peccatis debitæ.

Nu. 4 Tertius, carather, quo habet potestatem recipiendi alia omnia Sacramēta, quæ sine Baptismo præcedenti conferri non possunt.

Nu. 5 Quartus, irregularitatis omnis ablatio, præter bigamiam *ita Tol.* quamquā aliqui acriter contendant, non dici bigamum, qui ante Baptismum alteram, aut vtramque habuit vxorem, eo quod in Baptismo quidquid in veteri homine gestum est, solutum apparet, & non solum gratiam confert, qua deletur peccatum originale, & actuale, verum etiā, delet omnem pœnam peccatis debitā, sed verius esse ait *Barb. de off. & potest. Epis par. 2. alleg. 46. num. 2.* bigamum dici etiam, qui ante Baptismum alteram, aut vtramque habuit vxorem, sed de hoc vide *Barb. & Sanch. lib. 7. de matr. disp. 83 num 8. & sequentib.* & tandem præter eam, irregularitatem, quæ prouenit ex defectu corporis, & natalium.

Nu. 6 Quintus, ex iure Ecclesiastico est cognatio spiritualis, de qua in impedimētis matrimonij, & hæc breuiter de effectibus Baptismi quare multa de his effectibus legite *apud* P. *Gesualdum de Bononijs Capucc par. 1. theolog. moral. tit. 4. cap. 4 per totum.*

QVAERES SEXTO.

Quid dicendum de Patrinis.

ET licet, ex vetustissima Ecclesiæ consuetudine, adhibeantur Patrini ad Christianæ fidei instructionem, & attento iure antiquo quotquot baptizatum tangebant, dum hoc Sacramentum Baptismi ministrabatur contrahebant cognationem spiritualem, & dirimentem subsequens matrimonium circa quam vide *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 54. num 9 & sequentib.* tamen de patrinis loquimur, in ordine ad decretum *Trid sess. 24. de matr. cap. 2.* vbi statuit S. Synodus, vt vnus tantum, siue vir, siue mulier iuxta Sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de fonte suscipiant, vbi præcipit, vt Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab his, ad quos spectabit sciscitetur, quē, vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excusari valeant, quod si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Nu. 1

Ex quo obseruandum est, licet vnus tantum iuxta prisca Canonum statuta adhibeatur patrinus in Baptismo, vel ad summum duos, scilicet vnum virū, & vnam fœminam, vt voluit *Tridentinū loco supra citato, & tenet Poss. de eff curati cap. 6. num. 33. ita etiam Barb. in Trident. sess. 24 cap. 2. num. 3. & de off. & potest. Epis. par. 2. alleg. 30. num. 40. & de off & potest. Parochi cap. 18 par. 2. num. 22.* tamen minime permissum esse vt duo viri, vel duæ fœminæ munus patrini obeant, sed si duo adhibeātur, diuersi sexus esse debeant *ita Suar. in 3. par. tom. 3. quest. 67. art. 8. §. Sed quæres Tol. lib. 2. summæ cap. 23 num. 5. Sanch lib. 7 de matrim. disp. 57. num. 4.* & ratio est congruentissima, vt generatio spiritualis carnalem imitetur, in qua nec duo patres, nec duo matres reperiuntur, sed vnus pater, & vna mater. Nu. 2

Quin

Quin imo, nec Episcopus potest dispensare, vt duo viri, vel duæ fœminæ, simul suscipiant, cum sit contra *Tridentini* præceptum, in quo non potest Episcopus dispensare *ita Sanch. loco supra cit. num. 17 Barb. in Trid loco citato nu. 6. & de off. & potest. Episc. loco cit. num. 41. & de off. & potest. Parochi loco supra citato num 23.*

Nu. 4 Vnde aduertas, quod inter hos designatos patrinos nullum oritur impedimentum, primo quia neque iuxta antiqua iura contrahebatur, neque Concilium Trid. nouum aliquod impedimentum introducere voluit, & licet *Trident.* asserat ad summum vnus, & vna baptizatum de fonte suscipiant, inter quos, & baptizatum ipsum, & ipsius patrem, & matrem spiritualis cognatio contrahatur, tamen sensus illius particulæ (inter quos) non est, quod inter ipsos, inter se talis cognatio contrahatur, sed inter illos, & alias personas, quæ statim numerantur, quo fit vt si vir, & vxor alienum puerum de sacro fonte leuent, nullum inter se contrahunt impedimentum, ad reddendum, vel debitum petendum *ita Sanch. lib. 7. de matr. disp 54. num. 12. & 13. Barbos. de off. & potest. Episc. alleg. 30. num 55. & 57.*

Nu. 5 Verum hic, quæri potest an maritus, & vxor leuantes de fonte, alienum puerum, saltem peccent; ad quod quæsitū licet respondeat *Suar. in 3. par. tom. 3. quæst. 67. art. 8. col. 3 §. Secundo explicat, vers. quo fit*, asserens probabile esse virū, & vxorem alienum puerum de sacro fonte leuantes venialiter peccare, imo si contrarium, esset cōsuetudine receptum, facile posse ab omni culpa excusari, tamen nullam esse culpam existimat *Sanch de matr. lib. 7. disp. 57. num. 1.* & rationem reddit, quia cōsuetudine id obseruari videmus, item attento iure antiquo, posse vtrumque coniugem simul eo munere fungi, vti etiā docet *Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 30. nu. 57.*

Nu. 6 Insuper dubitari potest, an trāsgressio huius præcepti adhibendo plures patrinos, sit mortalis, nam sunt nonnulli, qui asserunt Parochum plures patrinos admittentem, peccare mortaliter, atque idem subinde diceret, si duos viros, aut duas fœminas admitteret ita inter alios *Barb. alleg. 30 num. 44. tamen Sanch lib. 7. disp. 57. num. 6.* asserit non esse mortale, cuius rationem reddens ait præcipuam huius prohibitionis rationem fuisse, ne cognatio spiritualis multiplicetur, sed valde probabile est, omnes alios vltra duos tangentes, eam non cōtrahere, ergo huiusmodi prohibitio, non est tanti momenti, vt obliget ad mortalem culpam.

Iterum vt *Tridentini decretum sess. 24. de refor. ca. 2. explicetur* multa quæri possunt, & primo, an si nulli patrini designētur, omnes tangentes contrahant cognationem spiritualem, & licet valde probabile sit, vt aliqui censent, tangentes baptizatum cōtrahere hanc cognationem *ita præcipue Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 30. num 48.* tamen probabilius est neminem tunc contrahere hanc cognationem, cuius ratio est, quia *Tridentinum* ad hoc vt sint patrini, requirit, tanquam conditionē, vt designētur, ergo deficiente designationis conditione, non erunt veri patrini, & per cōsequens non contrahunt hanc cognationem: ita inter alios *Sanch. lib. 7. disp. 57. num. 12. Suar. in 3. par. tom. 3. quæst. 67. art. 8. fine* licet appellet contrariam sententiam falsam, nos vero cum Sāch. valde probabilem putamus. Nu. 7

Iterum, quæri potest, quid, si plures duobus designentur, aut duo viri, vel duæ fœminæ, ad quod Quæsitum licet *Suar. loco supra citato col. 2. § Sed quæres* respondeat dicendo, si non simul omnes suscipiant illum puerum, ille solus, hāc cognationem contraher, qui primum baptizatum susceperit, vel ad summum duo, si fuerint vir, & fœmina, nam reuera illi, tantum, sunt susceptores, & quādo accedit tertius, ministerium illud, iam exhibitum est, *iuxta Tridentini formam*, & ideo reliqui, non contrahunt hanc cognationem, & hæc sententia nō displicet aliquibus Doctoribus, illud vero multum displicet aliquibus, quod habet *Suar.* nempe quod si ex ignorantia, vel malitia plures fuerint designati, simul suscipiant, neminem eorum contrahere cognationem hanc, *vnde Sanch. lib. 7. de matrim disp. 57. num. 14.* multo verius esse reputat omnes illos, hanc cōtrahere cognationem, & hanc sententiā, Nu. 8

tenet etiam *Barb. loco ſupra citato num.* 45 quia in hoc *Tridentinum* non inualidat Baptiſmum, ſed ponit pœnam Parocho, plures duobus admittenti, qui iuxta ſuperius dicta in hoc caſu venialiter peccat.

Nu. 9 An ad contrahendam hanc ſpiritualem cognationem, requiratur patrinorum contactus, ad quam quidem difficultatem communiter omnes reſpondent, non ſatis eſſe ad hanc cognationẽ, vt patrini reſpondeant in Catechiſmo pro baptizando, ſed requiri patrinorũ intentionem dum puer baptizatur, vel ſtatim de ſacro fonte ſuſceptionem, nã iu his locis, vbi Baptiſmus celebratur, per aquæ infuſionem, requiritur patrinorum ſubſtentatio, in alijs vero vbi tenet puerum baptizans, & ſtatim tradit Patrinis, qui primum ſuſcipit puerum, de baptizantis manibus, hanc contrahit cognationem ita inter alios *Sanch. lib. 7. diſp 56. num. 1. vbi num. 2.* habet nõ ſatis eſſe cathecumenum tenere, ſuper fontem ante baptiſmum, quia hæc cognatio nõ contrahitur, niſi ex ipſo Baptiſmi ſacramento.

Nu. 10 Quare ex hoc iam vides, requiri contactum, nam textus hanc cognationem ſtatuentes, vtuntur his verbis Suſcipit, Accipit, Tenet, Leuat, Tangit, quare deficiente contactu compaternitas non contrahitur *ita Barb. de off. & poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 30 num. 47. & in Tridẽt. ſeſſ. 23. de reform. cap. 2. num. 35.* vbi habet, qui tantummodo aſſiſtit baptizato, & ipſum non tangit, vel tangit tantũ, extremitate digiti, non contrahere hãc cognationem, eo quod vere non dicatur tenere, vel ſuſcipere vnde *Sanch. loco ſupra citato num. 4.* ait exigi Patrinos ſic infantem tangere, vt vere teneant, vel leuent, ex ſacro fonte, hoc enim ſolũ eſt vere eſſe ſuſceptorem, & ideo non ſatis eſt quicunque tactus momentaneus digito, vel manu.

Nu. 11 Idque etiam dicendum eſt de adulto dum baptizatur, non requiri aſſiſtentiam patrini, ſed requiri contactum modo ſupradicto, *ita Sanch. loco citato num. 5. vbi num. 10.* habet per ſolam ſuſceptionem contrahi hanc ſpiritualem cognationem, & nullatenus ad hanc contrahendam, requiri patrinorum reſpõſionem, pro puero dum Cathechiſmus fit.

Dubitari etiam poteſt, an ad contra- Nu. 11
hendam cognationem ſpiritualem, exigatur aliqua intentio in patrinis, vltra externam baptizati ſuſceptionem, & cum duplex poſſit eſſe in patrinis intentio, altera contrahendæ paternitatis ſpiritualis, altera ſuſcipiendi infantem, ſcilicet efficiendi, quod ex Eccleſiæ efficiunt patrini, de vtraque intentione dubitari poteſt.

Ad quod quidem Quæſitum, licet a- Nu. 13
liqui reſpondeant, vltra ſuſceptionem exigi intentionem contrahendæ ſpiritualis paternitatis, alij vero nulla in patrinis intentionem poſtulare, ſed dicunt in illis oriri, hanc intentionem, ſi infantem ſuſcipiant, velint, nolint, his igitur opinionibus relatis.

Dicendum cenſeo non deſiderari, vt Nu. 14
ſuſceptor intendat cognationem aliquã paternitatis, aut compaternitatis contrahere, ſed exigi, & ſatis eſſe, vt intendat efficere, quod patrini efficiunt, ſcilicet exercere actum illum ſuſcipiendi ab Eccleſia inſtitutum *ita Sanch. lib. 7. de matr. diſp. 58. num. 4. vbi num. 5.* ait nõ contrahi hanc cognationem ab eo, qui materialiter tantum teneret puerum, non tanquam patrinus, neque id intendens, ſed ſolum gratia maioris, commoditatis, vt eſſet ſi patrinus eſſet ſenex vbi etiã *nu. 7.* determinat illam Quæſtionem an, qui per errorem leuat filium Petri, putans ſe Pauli filium leuare, cõtrahat hanc cognationem, & primo ſtãquam certum tenet, eam minime contrahi cum filio Pauli, nec cum eius parentibus, quia reuera ille, non leuauit filium Pauli, an vero, cum filio Petri, & cum eius parentibus, quidquid dicant alij, & nouiſſime *Baſilius Põtius de matr. lib. 7. cap. 39. num 9. apud Dianam tract. 4. de Sacr. reſol. 16.* reſpondet Sãch. verius eſſe eam cognationem non contrahi, quia reuera hic non intendebat, exercere actionem illam, veri patrini, erga hunc, quem leuauit, ergo deficit intentio à nobis ſupra aſſignata, & hãc etiam ſententiam docent *Vill. in ſumma tom. 1. tract. 14. diff. 19. num. 17. & alij.*

Maius vero dubium eſt, an ſi Patri- Nu. 15
nus, per procuratorem, de ſacro fonte leuet

lener filium Francisci, v. g. contrahat patrinus spiritualem cognationem, nec ne, cui Quæsito breuiter satisfacio dicendum, non posse contrahi cognationem hanc spiritualem per actionẽ procuratoris, sed desiderari susceptionem corporalem ipsius met patrini, patet quia, canones inducentes, hanc cognationem spiritualem, explicantes actum patrini, per quem contrahitur, vtuntur his verbis, suscipit, accipit, tenet, leuat, quæ omnia propriam ipsius patrini actionem denotant, quare ad contrahendã hanc cognationem spiritualem, desideratur actus personalis, veræ personæ, cohærens *ita Reg. in praxi tom. 2. lib. 31. cap. 20. sect. 3. num. 166. Sanch de matrim. lib.*
Nu. 17 *7. disp. 59. num. 4.*

Quamquam *Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 30. num. 50.* asserat de consuetudine vniuersali, verum esse dicere, cognationem cõtrahi a mittente, non vero à Procuratore, quia mittens fuit designatus.

Nu. 18 An vero procurator, saltem contrahat respondet *Sanch. loco supra citato nu. 12.* multo probabilius esse hunc procuratorem, minime contrahere hanc cognationem spiritualem, nam ad hanc contrahendam, desideratur animus ob eundi munus patrini, sed procurator, cum non intendat nomine proprio tenere, nec esse eius verum patrinum, nõ contrahit hanc cognationem ita etiam *Sil. verb. matr. 8. quæst. 7. dicto 15. Emanuel Sa de imped. matr. num. 5. verb. cum quis per procuratorem apud Dianã tract. 4. de Sacr. resol. 2. Barb. loco supra citato num. 50.*

Nu. 19 Sed sciscitaris, an infidelis, vel hæreticus, aut non confirmatus, sit capax huius cognationis spiritualis actiue, vel passiue, statim per has sequentes conclusiones respondebimus quare sit

Nu. 20 Prima conclusio hæreticus baptizãs, & hoc est actiue, vel suscipiens in Baptismo contrahit hanc cognationem spiritualem, quia charactere Baptismi insignitus est, ac proinde ex hac parte, est capax cognationis spiritualis ac legibus Ecclesiæ subditur, licet peccet munere patrini fungens *ita Sanch de matr. lib. 7. disp. 60. num. 2 Reg. tom. 2. lib. 31. nu. 157. Poss de off. curati cap. 6. num. 27. Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 30. nu. 35.*

Secunda conclusio infidelis baptizãs, vel suscipiens in baptismo, & hoc est actiue, filium fidelis quidquid dicant alij, non contrahit hanc cognationem spiritualem cuius ratio est quia, hæc cognatio, cum sit ex mere Ecclesiæ instituto, nequit ab infidelibus contrahi, vt pote qui Ecclesiæ legibus minime subdantur ita quomplures Doctores apud *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 60. num. 7. vbi num. 8. id ipsum comprobat.* Nu. 21

Ita Cathacumenus vt habet *Sanch. loco proximo citato num 9.* cum non sit regeneratus per baptismum, est etiam incapax huius cognationis *ita etiam Barb. de offic & potest. Parochi par. 2. cap. 18. num. 27. Sanctius in selectis disp. 40 nu. 15.* Nu. 22

Aduertas, quod infert *Sanch. loco sup. citato num. 11.* licet infidelis baptizans, vel suscipiens, non contrahat cognationem modo supradicto, & quamuis postea baptizetur; posse infidelem post susceptum Baptismum, copulari matrimonio, cum persona à se baptizata, vel suscepta, & cum eius matre, quia cum neutra contraxit, cognationem spiritualem, & quod à principio nullum fuit coualescere nequit, quamquam hoc videatur contra *Tol. lib. 2. summæ cap. 23 fine* asserentem cum non baptizatus est susceptor, non contrahere hanc cognationem, licet contrahat quando baptizatur.

Tertia conclusio, quoties fidelis, vel tenet in baptismo filium infidelis, tunc infidelis, est incapax cognationis spiritualis passiue, ac proinde, nec fidelem dicendum est contrahere hanc cognationem, cum parentibus infidelibus, cuius ratio est, quia cum cognatio spiritualis sit quædam relatio, non potest ab altero contrahi, quin ab vtroque cõtrahatur, nam relatio duo extrema necessario petit, cum igitur infidelis, sit incapax cuiuscumque cognationis spiritualis, nequibit fidelis cum infideli, eam contrahere *ita Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 30. num. 35. Reg. tom. 2. lib. 31. num. 157. Bonac. Poss. & alij apud ipsum item Sanch. de matr lib. 7. disput. 60. num. 14. Sanctius in selectis disp. 40. nu. 16.* Nu. 23

Quin imo *num. 15. infert Sanch.* nec eam cognationem spiritualem conuale- Nu. 24

lesce-

lescere, nec oriri cum parentibus illis infidelibus, licet postea, illi baptizētur, ac proinde si postea baptizentur, posse consistere matrimonium inter fidelē, sic baptizantem, vel suscipientem, & parentes illos infideles postea baptizatos, quia nulla inter illos cognatio spiritualis, suborta est.

Nu. 25 At vero aduerte, non posse fidelem, ipsum matrimonium inire, cum persona à se baptizata, vel suscepta, quia cū hac vere contrahit cognationem spiritualem, quamuis contrarium dixerim, in casu supra allato concl. 2. quia in illo casu baptizans, vel suscipiens, erat infidelis, & ita cognationis incapax, at vero in hoc casu est fidelis, ac proinde cognationis capax *ita etiam Sanch. loco supra citato num.* 16.

Nu. 26 Quarta conclusio, si non confirmatus suscipiat in baptismo, manifestum est, ipsum contrahere, quia vt ait *Sanch. lib. 7. de matrim. disp.* 60. *num.* 18. nullibi ea susceptio interdicta est, non confirmato, sed solum non est admittendus vt ait *Rit. Rom. de Patrinis* vbi ait hos autē patrinos, saltem in ea ætate pubertatis, ac sacramento confirmationis, consignatos esse maxime conuenire, *ita etiā Ioan. Sancius in selectis disp.* 40. *num.* 18. vbi afferens sententiam *Sanch. lib.* 7. *de matrim. disp.* 60 *num.* 20. habet licet non confirmatus suscipiens in baptismo, cōtrahat spiritualem cognationem modo dicto, tamen si non confirmatus, in cōfirmatione suscipiat, non contrahit, & reddit rationem, quia licet non confirmatus, habeat vitam spiritualem per baptismum, at non habet conditiones petitas ab Ecclesia, vt verus susceptor sit in confirmatione, vt constat ex *cap. In baptismate de consecr. dist.* 4. vbi habetur in baptismate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, ipse, qui non est baptizatus, vel cōfirmatus, quod verbum (Potest) præposita negatione tollit potentiam, & reddit actum nullum, sed de hoc *vide Sanch. num.* 20.

Nu. 27 Vnum velim aduertas licet *Trid sess.* 24. *cap.* 2. hanc cognationem ponat ad impediendum matrimonium, & inter virum, & virum, & fœminam, & fœminam adsit naturalis incapacitas ad matrimonium, ac proinde nulla videtur esse, spiritualis cognatio, inter patrinum, & patrem baptizati, aut matrinam, & baptizati matrem, & inter patrinum, & filium masculum, cuius est patrinus, aut inter matrinam, & filiam, quam de sacro fonte leuauit, nam ponere viro impedimentum ad contrahendum cum alio viro, aut fœminæ, cum fœmina est euidēs, & manifesta insania, ergo videtur asserere, nullam esse spiritualem cognationem inter hos, & has enumeratas, personas, tamen cum *Trid. sess.* 24. *cap.* 2. absolute decernat spiritualem cognationem, contrahi inter baptizatum, & baptizantem, baptizatique patrem, & matrem, & inter suscipientes baptizatum, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec concilium distinguat, an ad contrahendam huiusmodi spiritualem cognationem, debeant personæ esse diuersi, vel similis sexus, quare iam vides, inter virum baptizātem, & masculum baptizatum, & inter fœminam baptizantem, & fœmellam baptizatam, & denique inter personas eiusdem sexus, contrahi hanc spiritualē cognationem, vt egregie tenet *Sancius in select. disp* 40. *num.* 26.

Item prohibentur esse Patrini, muti homines, & mutæ mulieres, *vt ex cap. Paruuli de consec. dist.* 4. *ita etiam Barb. in Trident sess.* 24 *de refor. cap.* 2. *num.* 11. *& de off. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 18. *nu.* 30. cum patrini debeant paruulos erudire. Nu. 28

Quid vero dicendum, de religiosis suscipientibus in Baptismo, sit. Nu. 29

Quinta conclusio, religiosi quamuis peccent in Baptismo suscipientes, tamē cum sint vere susceptores, contrahunt cognationem spirituale, ita docet *Sāch. lib.* 7. *de matr. disp.* 60. *num.* 21. quamquā non sint admittendi *ex Rit. Rom.* quare Abbates, monachos, aut religiosos, saltē claustrales, patrinos adhiberi in baptismo prohibet ita etiam *ex cap. Non licet Abbati de consecr. dist.* 4. *Barb. in Trid sess.* 24. *de refor. cap.* 2. *num.* 12. *& de off. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 18. *nu.* 31. vbi habet, nisi huiusmodi religiosi, ad episcopalem dignitatem promoueantur, quia tunc patrini possunt esse *item de off. & potest. Episc. par.* 2. *alleg.* 30. *num.* 36. procerto refert Abbates, Monachos, & religio- Nu. 30

gio;

giosos, quamuis sint exclusi modo dicto tamen si suscipiunt, esse veros susceptores, & contrahere spiritualem cognationem, quamuis peccent mortaliter, suscipiendo contra prohibitionem sibi impositam *vide Sanch. in præcepta decalogi tom. 2. lib. 6. cap. 6 num. 24.*

Nu. 31 Sed quæres, in qua nam ætate possit, quis legitimus esse patrinus, & hanc cōtrahere spiritualem cognationē, quidquid dicant alij, ętas in patrino sufficit, quod habeat vsum rationis, necessariū ad culpam lethalem contrahendam, ac proinde suscipiendo contraheret verā cognationem spiritualem *ita Barbos. in Trid. sess. 24. de refor. cap. 2. nu. 13. & 14. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. nu. 28. & de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 30. num. 38. vbi num. 39.* ait nec refert, an patrinus sit minor baptizato, quia non requiritur vt sit maior vnde *Sanch. de matr. lib 7 disp. 61. num* 4. confirmat hāc sententiam, *& num.* 5. habet, quod si in minori septennio, acceleretur vsus rationis, sufficiens ad mortale peccatum, ille esset susceptor legitimus, ac veram spiritualem cognationem contraheret.

Nu. 32 Aduerte tamen, id quod supra diximus *ex Rit. Rom.* de Patrinis nempe hos patrinos saltem in ætate pubertatis, ac sacramento confirmationis consignatos esse, maxime conuenit.

Nu. 33 Sciant, præterea Parochi ad hoc munus, non esse admittendos infideles, aut hæreticus, non publice excommunicatos, aut interdictos, non publice criminosos, aut infames, nec prætera, qui sana mente non sunt, nec qui ignorant fidei rudimenta, nec monachi, aut sanctimoniales, neque alij cuiusuis ordinis regulares, à sęculo segregati, vt *ex Rit. Rom.* nec, qui eodem anno in Paschate confessi, non fuerint, & Sanctissimam Eucharistiam non susceperint *ita Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 18. num. 30.* vbi affert Paulum Layman asserentem, hæc genera personarum valide patrini munus obire posse, sed non licite, *& Basilium Pontium* affirmantem pœnitentes publicos, donec peracta pœnitentia reconcilientur, repulsos esse a susceptione.

Nu. 34 Dubitari potest, in hac materia, an contrahatur cognatio spiritualis, quando Baptismus est irritus, quandoque priuatim ministratur. Verum ante omnia, tamquam certum præmittendum est, quando Baptismus domi confertur, scilicet quando in necessitate, puer subito ab Obstetrice baptizatur, & postea in Ecclesia adhibentur sollemnitates, Baptismo minime iterato, non cōtrahi cognationem spiritualem, in his cathechismis sollemnitatibus, quę matrimonium subsequens dirimat, sed solum, quæ illud contrahendum impediat *ita Sanch. lib. 7. de matr. disp 62. num. 1. vbi disp 10. num. 12.* habet huiusmodi impedimentum cathechismi, esse omnino sublatum *per Tridentini decretum sess. 24 cap. 2. vbi Trid.* numerās personas inter quas contrahitur cognatio spiritualis per Babptismum, & confirmationem, & iure antiquo, circa hoc, correcto sic cōcludit omnibus inter alias personas, huius spiritualis cognationis, impedimētis omnino sublatis, ita etiam *Barbos. in Trid. sess. 24. de refor. cap. 2. num. 41.*

Et ideo optime infert *Sanch. disp. 10. supra citata num.* 13. expedire vt Parochus describat, in libro hunc susceptorem, non fuisse Patrinum, nisi solius cathechismi, cum puer sit, iam domi baptizatus, & reddit rationem, quare Parochus ad hoc teneatur, quia Tridentinū describi iubet, quo sciatur, qui cognationem spiritualem contrahant, ne matrimonia inique contrahantur, & latissima est differentia, num in *Baptismo* tenuerit, an in illo cathechismo, nam in priori casu, est impedimentum dirimēs, in posteriori ad summum impediens, vti aliqui putant. Nu. 35

Vnde non fideliter, id scriberet Parochus, nisi adnotaret solius cathechismi eos fuisse patrinos, verum *Guttierez de matr cap. 84. num. 7.* præcise, & in rigore non videtur hoc onus sub peccato mortali Parochis imponere, sed de his inscriptionibus infra, quare vt Quæsito satisfaciamus, has ponimus conclusione, quarum sit. Nu. 36

Prima conclusio, quoties infans domi ob necessitatem est baptizatus, dum postea in Ecclesia sacramentales ceremoniæ adhibentur, nulla contrahitur cognatio, neque in supplente ceremonia, neque in Patrinis, ita *Sotus in 4. dist.* Nu. 37

42.

42.*quæſt* 1.*art.*2 *concl.penul. verſ. atque adeo Armilla verb matr.num.* 13.*&* 14. *Baſilius Pontius de matr.lib.*6.*cap.*11.*nu.* 3.*Diana tract.*4 *de Sacr.reſolut.* 160.qui putat hoc impedimentum eſſe ſublatũ per Tridentinum modo ſupradicto, ita etiam *Sanch.lib.*7. *de matr.diſp.*60.*nu.* 5.

Nu. 38 Inde eſt, quod *num.* 6. deinde habet *Sanch.* quod ex Baptiſmo iterato ſub conditione, eo quod, de prioris Baptiſmi varietate, dubitatur, poſtquam conſtiterit, priorem fuiſſe validum, nõ oriri cognationem, at dum id non conſtat, præſumet Eccleſia cognationem, intellige Tu quando eſt verum dubium, nã ſi ſint variæ opiniones probabiles, tunc ſi dubium ſit, inter viros doctos, an Baptiſmus collatus v.g in aliqua corporis parte, in manu v.g. vel pede ſit validus, tunc ſi probabilis eſt opinio, quod ſit validus, certum eſt oriri cognationem, & ſi alia opinio contraria ſit probabilis, quod ſcilicet nõ ſit validus certum eſt, non oriri cognationem.

Nu. 39 Secunda concluſio, laicus in neceſſitate baptizans contrahit cognationem ſpiritualem, ſubſequens matrimonium dirimentem, cum baptizato, eiuſque parentibus ita inter alios *Barb. in Trid. ſeſſ.*24.*de refor.cap.*2.*num.* 16.*Sanch.lib.* 7.*de matr.diſp.*62.*nu.* 10. vnde patrem, qui in neceſſitate filium ſuæ concubinæ baptizat, contrahit cum ea cognationem, & non poteſt deinde eam ducere ita quomplures Doctores apud *Sãch. num.*11.

Nu. 40 Tertia concluſio, licet probabile ſit, tenentem puerum in Baptiſmo non ſollemniter miniſtrato, contrahere cognationem ſpiritualem, tamen probabilius eſt, nullam contrahere ſpiritualem cognationem cuius ratio eſt, quia cũ adhibere ſuſceptorem, ſit cerimonia ab Eccleſia inſtituta, pro Baptiſmo ſollemni, vbi hic non eſt, non dicitur proprie, & vere ſuſceptor, qui tenet *ita Sanch. loco ſupra citato num.*14.*Suar. in* 3. *par. qu.* 67.*ar.*8.*dub. vlt. Sotus in* 4. *diſt.* 42. *qu.* 1.*ar.*1 *col.penul.verſ.profecto rationes.*

Nu. 41 Aduertas tamen, quod licet *Suar.loco ſupra citato* aſſerat quamquam in Baptiſmo ſollemni, neceſſarium ſit adhibere ſuſceptorem, ex præcepto Eccleſiæ, eo modo, quo neceſſarium eſt, ſeruare alias graues Eccleſiæ ceremonias, tamen in Baptiſmo priuato, ceremonia ſuſceptoris, licet non ſit neceſſaria, at ſi vere, & proprie adhibeatur, & tenens ſi velit munus ſuſceptoris obire, probabile eſſe ſecundum *Suarij* ſententiam eum cõtrahere hanc ſpiritualem cognationẽ, ſed tamen verius exiſtimat *Sanch. loco ſupra citato num.*15. etiam tunc minime contrahere, quia non eſt in poteſtate tenentis hanc contrahere cognationẽ, niſi petita ab Eccleſia ſeruentur, at munus ſuſceptoris non obitur proprie, niſi quando Baptiſmus eſt ſollemnis, ergo ita *etiam Diana par.*5. *tract.* 3. *reſol* 7. *§. Non deſinam.*

Nec obſtat baptizantem, in ea neceſſitate, contrahere, quia baptizans conſert verum ſacramentum, at qui ſic tenet, vel ſuſcipit, non dicitur proprie tenere, vel ſuſcipere, eo modo, quo ab Eccleſia ſtatutum eſt, ad Baptiſmum ſollemnem, ſuſceptio enim ceremonia ab Eccleſia inſtituta eſt, ad Baptiſmum ſollemnem, ac proinde ſollemnitate deficiente deficit quoque vera ſuſceptoris ratio *ita Diana.* Nu. 42

Vnde bene infert *Diana par.* 2. *tract.* 4.*de Sacr.reſol.*28.*§.Sed ego, & par.* 5 *loco ſupra citato initio.* in priuato Baptiſmo, tempore neceſſitatis collato, nullum eſſe Eccleſiæ præceptum, vt in tali Baptiſmo, patrinus adhibeatur, & reddit optimam rationem, quia cum in iſto caſu neceſſitatis, parentes ferme non poſſint idoneos eligere, ad munus patrini, credibile non eſt, talem eis obligationem imponere, voluiſſe Eccleſiam, & ideo licet aliquis, in hoc caſu materialiter teneat infantem, non ideo eius efficitur patrinus, quare bene etiam infert *Barb.de off & poteſt.Epiſc.par.*2.*alleg.*30. *num.*33. ſuſceptores non eſſe de eſſentia Sacramenti, peccaret, tamen ſi quis eos in ſollemni Baptiſmo omitteret, & cũ ſit contra Eccleſiæ præceptum, in re graui, erit mortale, & ita etiam aſſerit de confirmatione. Nu. 43

Verum incidenter aduerte, Parochos inter alios libros, quos apud ſe retinere debent, quattuor debere habere, quorum Primus eſt, in quo deſcribãtur omnes, qui in Eccleſia ſua baptizãtur, cum nominibus parentum, ſi de legi- Nu. 44

gitimo matrimonio nati sint, &c. iuxta formam describendi baptizatos *in Rit. Rom.* sed de hoc vide *Barb. de off. & pot. Parochi par. 1. cap. 7. num. 2. & sequētibus.* Secundus est illorum, qui contrahunt matrimonium in Parochia sua, formula autem obseruanda, à Parochis in describendis matrimonijs, in libris ad id deputatis, desumenda est *ex Rit. Rom.* Tertius est mortuorum habitantium in Parochia sua, vel qui sepulti fuerint, in sua Parochia, cuius formula describendi *ex Rit. Rom.* Quartus est confirmatorū, in hoc autem libro, describi debent nomina, & cognomina confirmatorum, patrumque, & matrum Parochiæ, in qua habitant, similiter patrinorum, seu matrinarum, nec non ipsius Episcopi administrantis, tum dies mensis, & annus, & nomen ipsius Ecclesiæ, in qua Chrisma fuit administ atum, formam vero legite *apud Barb. loco supra citato n. 16.*

Nu. 45 Iterum aduerte, quod habet *idē Barb. loco sup. citato de off. & potest. Parochi par. 1. cap. 7. num. 20. Sacram Congr. negotijs Epis. & regularium Episcopo Cauen, sub die 3. Iunij* 1604. Rescripsisse huiusmodi libros, non esse per Episcopum, de Parochorum potestate extrahendos, sed penes illos debere conseruari, his igitur adnotatis vt ad rem nostram deueniamus.

Nu. 46 Hadue vulgare illud dubium oritur, an si parens in casu necessitatis, quando nullus adest, qui patrinus sit, illud munus obeat erga communem filium, cōtrahat aliquod impedimentum cum sua vxore, vt saltem debitum petere nō possit, non quærimus, quid dicendum, quando post partum vxoris, statim ob periculum mortis baptizauit infantē, etiam adstantibus multis, qui hoc facere poterant, contrahat impedimentū non enim quærimus si nullus adest, qui id munus obeat, atque ita periculum esset, vt proles absque baptismo obiret, quia in hoc casu minime interdicitur debiti petitio, vt asserit *Sanch. de matr. lib. 9. disp. 26. num. 3.* verum quid dicendum multis adstantibus, & licet multi asserant, virum in tali casu, priuari iure petendi debitum, tamen contraria sētentia mihi non displicet, quam docent *Fernandez, Suar. & alij apud Dianam tract. de Sacr. resol. 3.*

An idem dicendum sit in dubio allato, breuiter respondeo dicendum, quoties pater filium suum, ex legitima vxore natum, necessitate vrgente in Baptismo suscipit, nullum contrahit impedimentū, ita inter alios *Suar. 3. par. quæst. 67. ar. 8. S. Sed hinc oritur Sanch. de matr. lib. 9. disp. 26. num 3.* Nu. 47

At vero diligenter aduerte, quod habet *Suar. loco supra citato §. Maius vero dubium* vbi ad dubium supra allatum respondet primo, quod si ex ignorantia facti, aut iuris, seu ex errore personæ id fecit non solum reddere, sed neque etiam petere prohiberi, quia existimatur ex necessitate quadam, atque inuoluntarie fecisse. Nu. 48

Item secundo habet, quod si sciens, & uidens ex malitia id faciat, certum est nihilominus teneri ad reddendum debitum alteri coniugi petenti, an vero in hoc casu sit prohibitum huiusmodi cōiugi, qui proprium filium scienter de Baptismo suscepit, petere debitum, merito dubitari potest, & inde §. Quocirca libenter fatetur nullum in iure inuenisse sufficiens fundamentum, quare in fine huius §. concludit, Itaque in hac re solum est certum, peccare grauiter parentem, qui filium suum de propria cōiuge natum, in Baptismo suscipit sine necessitate, hoc enim aperte prohibetur, & asseritur in dictis iuribus, quod vero postea teneatur hac de causa, non petere debitum, non video, quo suffic enti fundamento asseratur, quamuis in re morali, communem sententiam deserere difficile sit. Nu. 49

Et tandem dubitari potest, quid sit Baptismus flaminis, & sanguinis, de quo agit *P. Gesualdus de Bononys Capucc. par. 1. theolog moral. titu 4 cap 1. num 6.* Nu. 50

Et primo Baptismus flaminis, est cōuersio ad Deum per actum contritionis, & Pœnitentiæ, scilicet doloris cum desiderio, seu proposito explicito, vel implicito suscipiendi Baptismum aquę tunc cum recte possit *ita Reg lib. 27. cap. 1. num. 2.* Nu. 51

At vero baptismus sanguinis, seu martirium est, testimonium veritatis, per mortis tollerantiam, vnde cum hac tol- Nu. 52

K leran-

lerantia mortis, in paruulis fiat, sine voluntationis actu, dicitur materiale martirium, Deus enim acceptat illam mortem, instar formalis martirij, quia volũtas, & meritũ Christi, qui est caput supplet defectum propriæ voluntatis, & ipsis infantibus veluti membris tribuitur, verum legite *Suar. in 3. par. tom. 3. disp. 29. sect. 1.* vnde in adultis dicitur Baptismus sanguinis, seu martiriũ perfectum, & formale, quia fit cum aliquo ipsorum actu, quo mors ipsa propter illum finem acceptatur.

Effectus martirij, seu Baptismi sanguinis, est remissio peccati originalis, & Nu. 53 actualis, totius pœnæ debitæ peccati, verum de hoc legite *Suarium loco supra citato sect. 2.* & hæc de Sacramento Baptismi vt autem Pœnitentiæ Sacramentum explicemus sit,

DISPVTATIO QVARTA

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

AB illis me abstineam theologicis speculationibus, quando non est mihi animus, neque hic locus opportunus sese offert, illas hic controuertere, sed solum præcipua, quædam à Parocho adnotanda, aduertere, quare breuiter de materia, forma, ministro, Pœnitente, & huius Sacramenti effectu, breuiori modo, quo possumus agemus quare sit.

VNICA DIFFICVLTAS

QVID SIT POENITENTIA.

DE *nomine Pœnitentiæ multi multa dixerunt, & præcipue* Nau. in Enchir. prælud. 10. & in prælud. ad distinct. de Pœnitentia nu. 3. & 4. Bellar. Suar. apud Reg. in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 8. nu. 36. *quare apud hos. Verum antequam de Pœnitentiæ Sacramenti materia, forma, ministro, Pœnitente, & alijs ad ipsum Pœnitentiæ Sacramentum pertinentibus agamus.*

Nu. 1 ANte omnia animaduertas, Pœnitentiæ sacramentum esse vnum, ex septem nouæ legis sacramentis, à Christo Domino institutum, ad delenda, post Baptismum, peccata commissa, vti definitum est *ex Trid. sess. 14. cap. 1. & Ioa. 20. quorum remiseritis peccata, &c.* quæ quidem Pœnitentia cum sit displacentia, de quolibet facto malo, quod prius placebat, duplex esse potest interior, & exterior. Pœnitentia autem interior complectitur tum habitum, qui habitus inclinat hominem ad dolendũ de peccato, & hic habitus virtus Pœnitentiæ vocatur, tum actum eiusdem habitus, quando nullis signis externis exprimitur.

Nu. 2 At vero Pœnitentia exterior consistit in signo sensibili, & est Sacramentũ, cuius partes sacramenti tres sunt, Cordis contritio, Oris confessio, & Operis satisfactio. Contritio, & Oris confessio, sunt partes essentiales, Operis vero satisfactio licet non sit pars essentialis, est tamen pars integralis, nam quamquam omittatur satisfactio, Sacramentum tamen est validum, de quibus partibus loquitur *Trid. sess. 14. de sacr. Pœnit. cap. 3.* hoc igitur adnotato, hæc difficultas aliqua continebit Quæsita, ac proinde.

QVAERES PRIMO.

Quænam sit huius Sacramenti Materia.

ET primo nulli dubium est, huius Nu. 1 Sacramenti Pœnitentiæ materiã dupli-

duplicem esse Proximam vnam, Remotam alteram, Remotam item duplicem esse necessariam, & sufficientem, materiam remotam necessariam voco peccata mortalia, non alias confessa, & eorum circumstantias speciem mutantes, quare peccatum originale, & actuale, ante baptismum commissum non est materia huius Sacramenti Pœnitentiæ, quia ad hæc delenda Baptismus ordinatur, vti supra dictum est, maueat igitur dicendum remotam, & propriam materiam huius Sacramenti Pœnitentiæ esse peccata mortalia, post baptismum commissa, & nunquam confessa, quæ necessaria etiam materia vocatur, vti colligitur *ex Trid. sess. 14. cap. 2. ita etiā ex Barb. in Trid sess. 14. cap. 2. num. 5. & cap. 3. num 3.*

Nu. 2 Vbi aduertas dici propriam materiā, eo quia sunt propria voluntate commissa, ab homine subiecto clauibus Ecclesiæ, & ad illa delenda directe institutum est hoc Sacramentum, quando per illud ad Deum conuertimur.

Nu. 3 Aduerte iterum, dici necessariam materiam, non ex eo, quod si ipsa non essent, tradi hoc Sacramentum non posset, quia ad hoc vt valide tradatur hoc Sacramentum, venialia peccata sufficiunt, sed dicuntur materia necessaria, quia non datur aliud medium, per quod remittantur, nisi per hoc Sacramentū, vel in re, vel in voto ita *Fagūdez in quin que Eccl. præcepta præcep. 2. lib. 2. cap. 1. n. 2.* at vero materia sufficiens, sunt peccata venialia, seu mortalia aliàs confessa, & legitime absoluta *ita Suarez tom 4. de Pœnitentia disp. 18. sect. 1. num. 6. Fagundez loco supra citato num. 14. & alij apud bos.*

Nu. 4 Neque dicas, quoties quis prudēter putat, se legitime fuisse absolutum, de peccatis mortalibus, non posse iterum ea confiteri, quia in tali casu videtur forma illa, Ego te absoluo, non habere veritatem, cum iam ille homo supponatur absolutus, non inquam hoc dicas, quia illa verba, habent veritatem in sē su formali, quatenus per Sacramentū producitur gratia sanctificans, quæ habet ex se, vt hominem ab omni mortali peccato emundet, licet actu, & materialiter non expellat, aliquod peccatum, quia nullum inuenit expellendum, & hoc pacto potest pluries homo absolui, verum vide *Fagundez loco supra citato, ita etiam P. Gesualdus de Bononijs Capuc. par. 1. theolog. moral. tract. 18. cap. 4. n. 12.* & hæc de remota materia.

Taudem proxima materia, sunt actus tres pœnitentis, peccatum scilicet confessum, contrictum, & satisfactioni expositum ita *Fagundez loco supra citato præcep. 2. lib. 2. cap. 3. num. 1.* Nu. 5

Verum vt de his tribus actibus agamus, incipiendum est, à contrictione, quæ primum inter dictos pœnitentis actus habet locum, & deffinitur *à Trid. sess. 14. cap. 4.* est autem contrictio animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero, quæ quidem deffinitio secundum aliquorum sententiam, conuenit contrictioni, tum imperfectę, tum perfectę, vnde contrictio perfecta, est dolor, & detestatio voluntaria, de peccatis propter amorem Dei, at vero contritio imperfecta, quæ attrictio dici solet, est dolor de peccatis, propter timorem inferni, vel propter turpitudinem, & considerationem peccati, quæ simul cum cōfessione consequuntur veniam peccatorum, & gratiam, vt habetur *ex Trident, sess. 14 cap. 4. vbi habetur. Illam vero contrictionem imperfectam, quæ attrictio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gennæ, & pęnarum metu communiter concipitur & c.* deinde subsequitur idem Concilium, *& quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Nu. 6

Quare ex hoc, iam manifeste patet, quæ nam sit differentia, inter attrictionem, & contrictionem, hæc enim est dolor, propter Deum summe dilectum, & ipsa sola cum confitendi proposito ad veniam peccatorum, & gratiam conseruandam sufficit. At vero attrictio, est dolor propter ignem, vel turpitudinem peccati, ita inter alios *Fagundez loco sup. citato præcep. 2. lib. 2. cap 4. num. 3. & 4.* Nu. 7

Verum ad maiorem huius rei elucidationem, aduertas, quod habet *Valer. Reg. in praxi tom. 1. lib. 5. cap. 1. de natura contrictionis num. 1.* scilicet sicuti in per- Nu. 8

petratione peccati, pœnitēs ita affectus fuit, vt primum tentaretur, hoc est moueretur ad peccandum à dæmone, vel à mundo, vel à carne, motu quodam in deliberato, quem primo primum vocant, deinde vt ad illud mentem aduertens, haberet quoddam illius desideriū, seu amorem quo placuit voluntati, dein de gaudium in eadem voluntate, ac demum voluptatem in appetitu sēsitiuo, sic contrario modo affectus idem Pœnitens in repudiatione peccati, Primū à Deo mouetur, præueniente motu liberi arbitrij, ad modum illius, qui primo primus dicitur: deinde vero, ad peccatum à se perpetratum aduertens, sibi displicet peccasse, oditue peccatum, quę displicentia, seu odium dicitur detestatio, horror, abominatio, & execratio peccati, nihilque est aliud, quam motus in hominis voluntate, ex peccati commissi consideratione, prorumpētis iu hunc actum. Velim non peccasse. Tertio concipit de eodem peccato dolorem in voluntate, qui dicitur dolor cordis; Quarto ex tristitia voluntaris, mouetur quoque in homine appetitus sentiens, & ingeneratur in eo tristitia, adeò vt homo ipse aliquando prorumpat in gemitus. Quinto habet propositum cauendi de cetero: Sexto gaudium de peccato iam destructo compensato hoc igitur adnotato.

Nu. 9 Dubium celebre est, num contritio inuoluat omnes prædictos actus, an tantum aliquos, & quinam principaliter, & formaliter, seu in recto importetur à contritione, cui Quæsito breuitatis causa per has sequentes conclusiones satisfacimus, ac proinde sit.

Nu. 10 Prima conclusio, dolor, siue voluntatis, siue appetitus sensitiui, de peccato commisso, non est de essentiali conceptu contritionis, sed est illius effectus consequens, ad ipsam detestationem: vnde non obstat *Trid.* declarans contritionem per dolorem, neque obstant Patres, qui per dolorem videntur illam declarare, dicentes, *tibi soli peccaui, laboraui in gemitu meo*, non inquam obstant, quia à posteriori illam explicant, per effectum videlicet, sicuti si quis explicaret hominis essentiam, per risibilitatē, quæ est effectus emanās à rationabilitate ita *Reg. in praxi tom. 1. lib. 5 cap. 1. n. 2.*

Secunda conclusio, contritio in recto, tanquam principalem, & primarium actum importat detestationem peccati commissi, cum intentione illud compēsandi, patet quia si detestatio præscindat, à voluntate compensandi, potius pertinebit ad virtutem charitatis, quā Pœnitentiæ, quia ad eandem virtutem pertinet, gaudere de bono, & tristare de malo opposito, maneat igitur id, quod pertinet ad Pœnitentiam, tamquam primarius actus debere esse ex intentione compensandi peccatum. Nu. 11

Verum si quæras, an propositum formale vitandi peccata mortalia, sit necessarium ad iustificationem impij, in omni casu. Nu. 12

Et licet *Reg. in praxi tom. 1. lib. 5. cap. 1. num. 9. & 10.* videatur asserere huiusmodi propositum formale, vitandi peccata mortalia, esse necessarium ad iustificationem impij, in omni casu, asserit enim *ex Trid. sess. 14. cap. 4.* contritionem esse animi dolorem, ac detestationem de peccato, cum proposito non peccandi de cętero, quæ quidem posteriora verba, si de proposito virtuali, intelligerentur, frustra, superflueque adderentur, quandoquidē hoc ipso, quod contritio dicitur detestatio, de peccato commisso, satis intelligitur, esse cum proposito virtuali, non peccandi de cętero, si cognoscatur, quid significet nomen istiusmodi propositi hæc Reg. Nu. 13

Tamen pro certo fatemur, propositū formale, cauendi mortalia peccata, non requiri ad essentiam contritionis, in omni casu, sed sufficere virtuale inclusū, in illo actu detestationis, patet quia potest accidere casus, vt quis dum recordatur peccati commissi, ita attendat ad ipsius detestationem, vt nihil cogitet de tempore futuro, & eliceat actum detestationis, ex amore Dei, in tali casu, in quo non elicit actum propositi, vitandi peccata, est auersus à creatura, & conuersus ad Deum, ergo iustificabitur, vide *Suar. tom. 4. disp. 4. sect. 3. nu. 2. & assertione 2. num 6.* vbi supra nostram assertionem confirmat ex facto *Dauid 2. Reg. 12.* vbi proposito sibi peccato per Prophetam Nathan solum protulit illa verba, *Peccaui Domine*, & statim iusti- Nu. 14

ſtificatus eſt, vbi nulla factã eſt, mentio futuræ vitæ.

Nu. 15 Aduertenter nos diximus (in omni casu) nam ſi quis elicere poteſt, propoſitum de non peccando, & aduertat ſe debere illud elicere, & non elicit, non iuſtificabitur, vnde *Suar. loco ſupra citato aſſertione prima initio* recte admonuit debere communiter, populo prædicari propoſitum formale, neceſſarium eſſe, ad impij iuſtificationem, cum hæc opinio ſit ſecurior.

Nu. 16 Quid vero dicendum, de propoſito ſatisfaciendi, reſpondet *Suar. loco ſupra citato aſſer. 2. num.* 8. huiuſmodi propoſitum non debere eſſe formale, ſed ſatis eſſe, ſi ſit virtuale incluſum, in actu deteſtationis, & implicite contentum, *in* illo generali propoſito.

Nu. 17 At vero, ſi quæras de quibusnam peccatis, debeat eſſe contritio, communiſſima omnium ſententia eſt, contritionem non debere eſſe de originali, neque de omni actuali, ſed tantum de actuali peccato mortali, nunquam remiſſo.

Nu. 18 An debeat eſſe, de omnibus peccatis diſtincte recogitatis, ita ut de quolibet peccato, ſit ſua peculiaris deteſtatio, nõ eſt ita inter Doctores communiſſima ſententia, tamen reſpondendum exiſtimo, non videri neceſſarium requiri, vt contritio cadat ſuper omnia peccata diſtincte, & ſingillatim, vel prius recogitata, quam ipſa ſit, vel ſimul, quando eſt ipſa contritio, ſed ſatis eſſe, ſi cadat ſuper omnia confuſe recogitata, patet ex diſcurſu *D. Tho. quæſt* 28. *de verit. ar.* 5. *ad* 3 *&* 4. vb. S. Doctor habet omnia mortalia peccata, conuenire in ratione auerſionis à Deo, cuius gratiam impediunt, vnde ad hoc vt peccator iuſtificetur, ſatis eſt ſi cogitet ſe, per culpam auerſum eſſe à Deo, & conteratur de omnibus peccatis confuſe, & confirmari poteſt exemplo Madalenæ, Publicani, & Latronis pendentis in cruce, qui iuſtificati ſunt, & tamen probabile eſt nullam feciſſe recogitationem ſingulorum peccatorum, ita etiam *Fagundez in præcep. Eccl præcep* 2. *lib* 2. *cap*. 6. *nu*. 8. *vbi ſine* concludit ſufficit ergo generalis deteſtatio, & contritio omnium peccatorum, & per conſequens non eſt neceſſaria cõtritio ſingulorum peccatorum, quo ad numerum, vel ſpecies, ita etiam *Suarez 3 par. tom. 4. diſp. 4. ſect. 6. num. 3.* vbi habet certum eſſe ex parte voluntatis, non requiri ſingulas contritiones, ſingulorum peccatorum, vt ſingatur, perfecta contritio veluti coaleſcere, ex pluribus actibus, & eſſe quædam collectio eorum; ſed ſolum eſt contritio, ſimplex motus voluntatis, reſpiciens omnia peccata, & deteſtans illa, nam hic motus ſimplex ſufficit, & aliud, eſſet intolerabile onus, & ſine fundamento, nã ſcriptura non requirit pœnitentias peccatorum, ſed pœnitentiam: illa autem vniuerſalis contritio, quamuis ſimplici motu perficiatur, eſt perfecta pœnitentia omnium peccatorum. Imo ſæpe eſſet impoſſibile, ſimul habere integrã contritionem, per illam collectionem, quia non poſſet homo, ſimul tot actus elicere. Quod ſi neceſſaria eſſet ſucceſſio, non poſſet homo, aliquando breui tempore iuſtificari: immo aliquando eſſe poſſet, propter hanc cauſam, extra ſtatum ſalutis, vt ſi tempus vitæ eius breuius eſſet, quam vt poſſet ſufficere, ad illam actuum ſucceſſionem, hæc optime Suar.

Qui deinde §. *Tertio* ait requiri ad Nu. 19
cõtritionem ex parte intellectus conſiderationem, & memoriam aliquam de peccatis commiſſis. Itaque non ſatis eſt conſiderare peccatum, & malitiam eius, ſed oportet recognoſcere illud, vt à me commiſſum, hoc enim neceſſariũ eſt, ad propriam, & rigoroſam penitentiam, & conſequenter ad veram contritionem, vnde in illo loco *Ezech.* 18. expreſſe dicitur conſiderans enim peccata ſua.

Neque valet dicere, in ordine ad cõ Nu. 20
feſſionem, requiri ſingulorum peccatorum recognitionem, ergo, & in ordine ad contritionem, non inquam hoc dicas, quia ideo requiritur, in ordine ad confeſſionem, ſingulorum peccatorum recognitio, & ratio eſt, quia confeſſio, eſt quoddam iudicium externum, vnde ſi iuſte, illud exercere, ſacerdos deſidarat, neceſſe eſt, vt præcedat peccatorum ſingulorum notitia, quod non requiritur, de contritione, in ordine ad iuſtificationem, cum ſit quodam iudicium internum, ad quod recte exercendum,

dum,non indiget persona, vlla distincta recogitatione vide *Suar.in 3.par.tom. 4. disp.4 sect.6. num. 8.* vbi habet distinctã recognitionem omnium peccatorum, intelligendam esse,in ordine ad confessionem sacramentalem.

Nu. 21 Quare pro certo fatemur, dari debere singulorum peccatorum, particularem discussionem, quæ necessario est, ante confessionem præmittendam,iuxta illud *Esaia 28.recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* tamen postquam de singulis, fuit recogitatum, de illis omnibus, vnica contritione satis est,si doleamus,quæ cadat super omnia formaliter, & super singula illorum virtualiter vti animaduertit *Fagundez loco supra citato lib.21. cap. 6. num.9.*

Nu. 22 Sed si sciscitetis,an statim post peccatum,homo teneatur,conteri, cui quæsito vt satisfaciamus,& certa ab incertis seiungamus,certum est primo, de peccato semel remisso,nunquam est simpliciter necessaria contritio,nisi tamen periculum adsit consentiendi, vel aliter vitari non posset,vt sunt sæpe sæpius prauæ cogitationes morosæ, quæ possunt obesse,vnde si homo non potest, vitare huiusmodi patrata peccata, nisi conterat,tenetur tunc conteri *ita Fagundez loco supra citato num 6.Suar.in 3.par.tom. 4 disp.15 sect 6.num.7.*

Nu. 23 Illud autem, maxime aduertendum est,quod habet *Suar.loco supra citato nu. 8.* hanc scilicet necessitatem eliciendi contritionem, in supradicto casu esse extrinsecam,& oriri v. g. ex præcepto Castitatis,si tentatio sit illi contraria, & sic de alijs,& ideo tunc, omissionem contritionis non esse speciale peccatũ, contra præceptum Pœnitentiæ,sed esse solum circumstantiam peccati, contra castitatem,quod commissum fuit, vel consentiendo tentationi, vel exponẽdo se periculo morali,eius omittendo medium,quod ad eum finem, existimabatur necessarium,hæc vera sunt.

Nu. 24 Difficultas est, num post peccatum mortale commissum,nõ dum remissũ, statim teneatur homo, conteri, fuit enim grauium doctorum opinio,hanc obligationem,statim oriri,ac homo peccauit, ita quomplures præcipue apud *Suar.tom 4.disp.15 sect.5. initio* vbi habet.Quod autem dicimus statim, non est metaphysice,seu speculatiue sumendum,sed practice, ac moraliter, idest quam primum,post finitum peccatum occurrit,& cogitatio ipsius peccati, aut aliquid,quod sufficienter excitet ad illam,practice habendam, & aliunde sit etiam opportunitas,ad exercendam cõtritionem,quia videlicet nullum necessarium impedimentum interuenit,hac igitur posita opinione.

Nihilhominus dicendum puto, peccatorem nõ illico,post peccatum mortale commissum,obligari ad contritionem, etiam si opportunitas occurrat, seu licet facile fieri possit,cuius rationẽ reddit à priori *Suar. loco supra citato nu. 4* quia hoc præceptum contritionis, affirmatiuum est, præceptum autem affirmatiuum per se,nec pro semper obligat,nec statim,ergo neque hoc obligat, nulla enim specialis ratio efficax, hic afferri potest,& patet ex vsu Ecclesiæ, nam nemo reprehenditur à Sacerdote, vsum clauium habente, tanquam nouũ aliquod patratum,si statim post peccatum,non est de illo contritus ita etiam *Fagundez in praep.Eccl. pracep. 2.lib. 2. cap.6.num.2.* Nu. 25

Quare non tenetur homo conteri de peccato,statim postquam memoriæ occurrit,siue illud fuerit per aliam contritionem remissum, vt asserit *Tol. lib. 3. summ.cap.5. num. 1.* siue non sit per aliã contritionem remissum *vti Fagundez in 2.Eccl.pracep.lib.2:cap.6.num. 3.* quãquam aliqui contrarium doceant *apud Suar.in 3.par tom.4.disp.15.sect.5.nu. 1.* Nu. 26

Verum ad maiorem huius rei euidẽtiam,animaduertendum est dupliciter posse memoriæ occurrere peccatum; vno quidem modo speculatiue,quando scilicet de illo cogitat,vel ad tractandũ de illo,vel dum audit confessarius, pœnitentium confessiones, & hoc modo nemo tenetur de illo conteri,quia tunc non occurrit, tanquam Dei offensiuũ: alio vero modo practice, quando scilicet vt quid opere exercendum proponitur,vel tanquam delectatione,in eius cogitatione sistendo, & si vt sic proponitur, neque vt sic tenetur, patet quia si teneretur,vel teneretur ratione singu- Nu. 27

laris

latis præcepti, per quod cogitur, tunc conteri, & hoc non, quia cum contritionis præceptum sit affirmatiuum, & habeat sua tempora præfixa, & præfinita huiusmodi peccatorum memoria, minime ad obligandum sufficit, vel secundo ratione dilectionis, quam tunc homo erga Deum tenetur exercere, & hoc non, quia dilectionis præceptum, non obligat, quoties bonitas Dei, & eius innos immensa beneficia memoriæ occurrunt; vel demum ratione euitandi periculum, & hoc non, quia potest cogitationem ab illo dimouere, & alio mentem diuertere, maneat igitur concludẽdum, non teneri statim, de tali conteri peccato, solum vtique teneri in illo non complacere, quia tunc nouum patraretur peccatũ *ita Sotus in 4. dist. 17. quæst. 2. ar. 6. concl. 6. Reg. in praxi tom. 1. lib. 5. cap. 2. sect. 3. Fagundez in præcep. Eccl præcep. 2. lib. 2. cap. 6. num 3.*

Nu. 28 Quid autem dicendum, circa quæstionem illam, an quicunque dolor peccatorum, quantumuis paruus sufficiat, ad remittendum peccatum.

Nu. 29 Ad maiorem huius quæstionis explicationem, animaduertẽdum est primo, duplicem esse dolorem, vnum in voluntate positum, qui detestatio peccati est, in quo essentia contritionis consistit: alterum vero, in appetitu sensitiuo collocatum, qui effectus prioris est.

Nu. 30 Item aduertas secundo, quantitatem actus, dupliciter attendi posse, vel ex intensione graduali, sicuti est calidum v. g. vt sex, dicitur magis calidum, quam calidum, vt quattuor, cum sit magis intensum, & habeat plures qualitatis gradus: vel appretiatiue, ex parte obiecti, ex eo quod pluris, vel minoris existimatur obiectum, his igitur adnotatis, licet variæ sint, circa hoc quæsitum, opiniones, nos breuitatis causa selectiores ponemus.

Nu. 31 Quapropter dicẽdum est, primo, dolorem in voluntate existentem, qui essentialis contritio est, scilicet peccatorũ detestatio, summum debere esse appretiatiue, non autem intensiue, quo velimus potius, quodcunque malum subisse, quam Deum offendisse *ita Fagundez in præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 3. nu. 9.* vbi habet, & ideo non esse opus, vt hic amoris actus, & detestatio peccati, vt est Dei offensio, sit aliquo certo gradu intensus, vna enim contritio, quantũuis remissa, si tamẽ est appretiatiua, potest delere, quodcunque peccatum, etiam grauissimum, neque enim homo tenetur, magis conteri de vno peccato, quã de alio, quamuis sit valde vtile, magis conteri de grauioribus, quam de minus grauibus, quia maior contritio, ad maiorem remissionem pœnæ temporalis, & assecurationem gratiæ inseruit *vide Reg. in praxi tom. 1. lib. 5. cap. 3. sect. 2. 3. & 4.*

Illud tamen non negamus, dolorem, qui in parte sensitiua est, vehementiorem esse posse, quam sit ille, qui ex peccatorum detestatione nascitur, & in voluntate reperitur, patet exemplo Sanctissimæ Paulæ Romanæ, quæ sine dubio malebat, potius filios omnes perire, quam Deum offendere, & tamẽ in morte filiorum, ad eo intenso dolore afficiebatur, vt vita periclitabatur, & eum tamen dolorem ob crimina, in Deum cõmissa, nunquam sensisse legimus. Nu. 32

An vero huiusmodi dolor, in voluntate existens, debeat esse propter Deũ, & licet actus pœnitentiæ, sit distinctus ab actu dilectionis Dei, vt probat *Suar. in 3. par. tom. 4. disp. 4. sect. 1. num. 3.* tamẽ contritio in sui ratione inuoluit dilectionem, & amorem Dei, super omnia, vt ostendit *Suar. asser. 2. num. 9.* vnde non potest esse dolor, qui non sit propter Deum, quæ quidem dilectio Dei, solum virtualiter includitur, in ipsa contritione vt probat *Sua. sect. 2. num. 6.* vbi ostendit, non semper requiri, ad veram contritionem, formalem actum amoris, sed posse perfici, simplici actu, detestationis, & patet quia si homo habeat huiusmodi detestationem perfectam, peccati, ante formalem amorem, iustificabitur, ergo illa erit vera contritio, quia secluso formali amore, nemo potest iustificari, extra Sacramentum, vt loquimur, nisi per contritionem, sed potest homo habere hanc detestationem, ante formalem amorem ergo & contritionem, ergo formalis amor non est de necessitate contritionis *ita Suar. qui nu. 7.* concludit in detestatione sufficere amoris actũ, in ipsa virtualiter inclusũ. Nu. 33

Vnde

Nu. 34 Vnde *Fagundez in precep. Eccl. precep. 2 lib. 2 cap. 3.* tradens regulam fiendi actum contritionis, & attritionis, ait actũ contritionis, sic breuius, & facilius elici posse. *Pœnitet* me intime de meis peccatis, propter Deum, quem summe diligere debeo, & de cætero emendationem propono in futurum: actum verò attritionis, in hunc modum eligi posse, v.g. cum quis considerans fœditatem peccati, & malum temporale ægritudinis, aut molestiæ, quã sibi afferri potest, dicit ex corde. Pœnitet de meis peccatis, quia propter illa Deus auctor gratiæ, me beatitudine priuare potest, & multis malis temporalibus affligere, atque punire, & propono emendationem in futurum.

Nu. 35 Quid vero, an saltem in articulo mortis, si mortaliter quis peccauerit, teneatur ad habendam contritionem, etiam si cum attritione cognita confessus sit, vel confiteri possit respondet *Suar. in 3. par. tom. 4. disp. 15. sect. 4. num. 17.* esse valde verisimile, saltem ex lege charitatis, teneri, & reddit rationẽ, quia licet probabilis sit opinio, quæ docet attritionẽ cognitam cum Sacramento sufficere, tamen non est certa, & potest esse falsa, *& nu. 18.* asserit hãc opinionem, semper ipsi valde probabilem visam esse, tamẽ *nu. 19.* ait fidelem hunc constitutum, in articulo mortis, qui bene nouit solam attritionem de peccatis suis, habuisse, & cum ea tantum confessum, & absolutum esse, ex vi iustitiæ ad Deũ, seu pœnitentiæ, non teneri ad perfectiorem pœnitentiam agendam, quia iuxta probabilem opinionem, & practice certã, satisfacit quãtum debuit, neque ex hac præcisa ratione, exponit se alicui morali periculo, si omnem aliam obligationem impleat, nihilominus verò existimat *Suar.* tam ex charitate Dei, quam propria, teneri huiusmodi hominem, maiorem dispositionem procurare, ad æternam salutem consequendam, grauiterq; peccare si voluntarie ita se mori finat *hæc Suar.* & hanc sententiam sequuti sunt, non solum *Nugnus, & Zambranus apud Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. resol 98. initio, sed etiam Iacobus Granado Tannerus Præpositus apud eundem Dianam par. 5. tract. 3. de casib. occurr. tẽp. mor resol 76. initio.*

Nihilominus dura semper visa fuit, hæc opinio *Fagundez de precep. 2. lib. 2. cap. 4. num. 13.* & merito propter validas rationes ab ipso allatas, & præcipue, quia nemo tenetur, neque ex propria charitate, neque ex alio præcepto, amplius facere, quam id, quod Ecclesia docet, ad salutem esse necessarium, sed Ecclesia *per Trid* docet ad salutem, & gratiam impetrandam Deo, sufficere attritionẽ cognitam, simul cum Pœnitentiæ Sacramento, ergo non tenetur, quis ad amplius: alias rationes videbis apud Fagundez hanc opinionem sequuti sunt *Becanus Coninch faber apud Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 98 §. Sed contrariã vbi hanc etiam tenet sententiam.* Nu. 36

An vero, teneatur elicere actũ amoris, erga Deum, antequam moriatur respondet *Suar. loco supra citato num. 19. vers. nam in primis* teneri hominem diligere Deũ super omnia, priusquam moriatur, quia hic actus, per se necessarius est, vnde deinde habet, nec satis esse, quod talis homo prius, aliquando in vita Deum super omnia dilexerit, tum quia hoc præceptum, non tãtum semel obligat, sed etiam sæpius, & tempus maxime necessarium, est mortis articulus, tum etiam quia, postquam homo priorem dilectionem, per subsequens peccatum mortale virtualiter retractauit, tenetur de nouo illum diligere & se, & omnia in eum referre, non secus, ac si de nouo procreatus esset. Hæc ergo obligatio cum sit per se, & intrinseca charitatis, etiam nunc manet, si ergo ille homo, in tali statu, & articulo constitutus, Deum sic diligere conetur, non credo ait *Suar* obligari ad aliam contritionem seu formalem Pœnitentiam, quia obligationi Pœnitentiæ iã satisfactum fuit, & si quid erat dubij, aut periculi, de effectu Pœnitentiæ, securo, per illum actũ amoris sufficienter tollitur, satis enim certum est, neminem damnari, qui Deũ super omnia diligit, & maxime post receptum Sacramentum Pœnitentiæ cũ attritione, at vero si quis voluntarie, talem actum omitteret, ex hac parte contra charitatem Dei ageret, & omittendo etiam contritionem contra propriã charitatem, seu misericordiam, quam Nu. 37

circa

circa se ipsum exercere tenetur, etiam specialiter peccaret concludit *Suar.*

Nu. 38 Et tandem *nu.* 20. habet, quod si tandem contingeret hominem, in eo casu, mori sine actu amoris, vel contritionis, & sine nouo peccato, vel quia raptus est priusquam hoc aduertere posset, vel quia illos omisit, ex probabili ignorantia obligationis, seu iuris, aut etiam facti, quia scilicet conatus est ad talem actum habendum, & putauit se habere, re tamen vera, non habuit in his inquam casibus, ille homo saluabitur, sed de his apud Suarium, & an vera sint alij iudicent.

Nu. 39 Et licet probabilem iudicet hanc Suarij opinionem *Fagundez præcep.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *nu.* 12. *fine* tamen in hoc sequar Fagundez sententiam contrariã, quam docet *nu.* 13. *vbi nu.* 14. *fine* concludit hoc profectò esse, laqueos inijcere conscientijs, in re graui, & ad salutẽ necessaria, & homines in dubium de propria salute adducere, vnde cum solus Suarius hanc opinionem indocat, & omnes auctores contrarium aperte teneant, potius Fagundez, & ego cum illis, quam cum illo consentire volumus, & hæc de contritione, vt autem confessionem explicemus.

QVAERES SECVNDO.

Quaenam sit confessio, secunda pars Sacramenti Pænitentiæ.

Nu. 1 Est autem hæc confessio, vt describi solet præcipue à *Tol. lib.* 3. *summ. cap.* 6. accusatio exterior propriorum peccatorum facta in foro secreto, ac sacramentali, coram Sacerdote, legitimã iurisdictionem habente, explicationẽ huius deffinitionis legite *apud Toletum Fagundez de præcep. Eccl præcep.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. cui quidem confessioni licet cõmuniter, doctores decem, & septem assignare soleant cõditiones, quas his versibus comprehendunt vt videre est *Suarium in* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 21. *sect.* 1. *nu.* 2.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libẽs, verecunda
Integra secreta, lacrymabilis, accelerata
Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.

Nu. 2 Vt igitur ad meliorem ordinem, & pauciorem numerum redigantur. Dicendum existimo huiusmodi confessionem debere esse, Integram, Diligentẽ, Fidelem, & Obediẽtem, ad quas quidẽ quattuor conditiones reduci possunt aliæ, ac proinde ad integram v. g. reduci possunt, quod sit simplex, idest nõ ita artificiose composita, vt ea ratione aliquid occultetur, item pura scilicet non mista rebus, ad confessionem non pertinentibus, item ad fidelem reducitur, quod sit Nuda, scilicet aperta, clara, & non palliata, & sic de alijs vt considerãti patet, & videre est *Suar. loco supra citato.*

Nu. 3 Integra igitur debet esse, scilicet omnium peccatorum mortalium non confessorum, cum suis circumstãtijs mutãtibus speciem, de qua *Suar. tom.* 4. *disp.* 22. verum de circumstantijs non mutãtibus speciem, & notabiliter aggrauantibus actum, infra eamdem speciem, quamquam probabilis sit eorum opinio, qui asserunt, teneri hominem eas confiteri, tamen contraria sententia tuta, & in praxi tenenda est, vt videre est seriem multorum doctorum *apud Dianam par.* 2. *de circumst. aggrauantibus resol.* 1.

Nu. 4 Diligens scilicet cui præcedat debitum, & sufficiens examen, iuxta rationem vitæ, memoriæ, de qua *Fagundez loco supra citato lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. vbi habet teneri pœnitentes sub mortali conscientiam discutere ante confessionem, & præmittere conuenientem diligentiam, arbitrio prudentis, vt omnia peccata mortalia ab vltima confessione commissa, in memoriam adducant, & qui imparati accedunt, & non præmissa debita diligentia, lethaliter peccant, & tenentur eamdem confessionem repetere, si aliquod mortale omiserunt, fuit enim confessio nulla, & sacrilega ex defectu culpabili, debitæ, ac necessariæ diligentiæ, huiusmodi autem diligentia, non debet esse in omnibus pœnitentibus æqualis, sed maior, vel minor, pro ratione vitæ, status, & conditionis cu-

 ius-

iuscunque, debet esse huiusmodi diligentia prudens, discreta vt ait *Fagundez.*

Nu. 5 Fidelis scilicet vera, ne scilicet quidquam celetur, nec dicatur pro veniali, quod est mortale, nec è contra, de qua *Fagundez num.* 6. vbi habet confessionē debere esse fidelem, ita vt nullum mendacium in ea confessario dicatur.

Nu. 6 Obediens scilicet, quod pœnitens sit paratus obedire confessario, & acceptare pœnitentiam debitam, & iniunctam implere de qua *Fagundez num.* 16. quas quidem confessionis conditiones legite *apud Suar. Fagundez locis citatis, & præcipue apud Tol. loco supra citato cap.* 7.

Nu. 7 Sed ex his cōditionibus, aliqua breuiter deduci possunt, & primo confessionem debere fieri proprio ore, si fieri potest, qui quidem modus accidentalis erit, vt secrete fiat confessio, vt ait *Suar. tom.* 4. *disp.* 21. *sect.* 1. *num.* 3. *fine* vbi assignat duplicem modum confessionis, vnum essentialem, & est vt fiat ex animi dolore, nam hoc pertinet ad rationē accusationis: alterum accidentalem, vt secrete scilicet fiat confessio, qui quidē modus secretæ confessionis honestus, & sanctus est, & ad Sacramentum conficiendum sufficiens, *ita Suar. nu.* 2. *sect.* 2 *vbi num.* 9. ait hunc modum secretæ confessionis, non esse de necessitate huius Sacramenti, neque dari præceptum ex parte pœnitentis, vt teneatur ex aliquo præcepto, secrete confiteri ita *Suar. nu* 12. *vbi nu.* 11. ait ex parte Sacerdotis esse hoc in præcepto diuino, & teneri ad sigillum modo infra.

Nu. 8 Quare mortaliter peccaret ille, qui cum bene possit proprio ore confiteri, per signa, & nutus, & interpretem confiteretur, confessio tamen esset valida, cuius Ratio est, quia licet nullum sit præceptum diuinum, vel humanum ad hoc obligans, vt ait *Suar. locis citatis, & præcipue disp.* 21. *sect.* 3. *nu.* 5. & 6. tamen consuetudine Ecclesiæ vniuersalis antiquissima introducta à principio nascentis Ecclesiæ vt obstendit *Suar. sect.* 2. *nu.* 2. voluntaria transgressio illius, per se satis indicat, esse peccatum mortale, ita *Fagundez loco supra citato præcep.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 8. *vbi num.* 9. asserit eum, qui possit absolute loquendo, voce propria confiteri, sed in eo ob nimiam verecundiam, ac pudorem grauem admodum difficultatem sentit, non peccare mortaliter, si per nutus, aut signa externa, aut interpretem confiteretur, quia dicta consuetudo non videtur, in eo casu, tā grauiter obligare.

Quare si confessio non potest fieri, Nu. 9
nec proprio ore, nec nutibus, aut signis, nemo tenetur ad illam, ita communiter doctores *apud Hurtadum de Pœnitentia disp.* 8. *diff.* 4. vnde mutus tenetur cōfiteri per nutus, aut signa *ita Diana par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 2 *vbi* §. *Notandum est ex Fernandez* notat confessarium tempore, quo obligat præceptum confessionis, posse absoluere mutum, qui præbet signa doloris, etiam si nullum possit, ex eius signis intelligere peccatum, & alius non adsit confessarius, qui melius intelligat, ac proinde mutus secundum aliquorum sententiam, etiam si sciat scribere, non tenetur ad scribenda peccata, sed sufficit, vt nutibus, & signis confiteatur *ita Henriq. & alij apud* Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *de Sacr. resol.* 128. § *At his, & alij par.* 5. *tract.* 6. *resol.* 4. § *Sed non*, & hanc opinionem probabilem vocat *Fagūdez præcep.* 2. *lib* 1. *cap.* 6. *num.* 9. quam etiam, & ego, & hanc sequor sententiam, quādoquidem scriptura de se publica est, & nemo tenetur publice confiteri.

Similiter etiam si quis sciat, & certo Nu. 10
cognoscat, se carere penitus memoria, & statim obliuisci peccata, non tenetur scribere illa ad confitenda, quia fieret publica confessio, ad quam nemo tenetur, sicuti neque tenetur quis confiteri per interpretem, vti asserit *Diana par.* 3. *tract.* 4. *de Sacr. resol.* 129. *initio*; & *par.* 5. *tract.* 6. *resol.* 4. §. *Sed non minus* sed sufficit illi si confiteatur per nutus, aut signa *vide Dianam par.* 3. *tract.* 4. *de sacr. resol.* 128.

Vnde optime *Suar. in* 3 *par. tom.* 4. *di-* Nu. 11
sput. 21 *sect.* 2. *num.* 7. asserit non posse confessarium obligare pœnitentem, ad confessionem publice faciendam, nec alio modo magis publico, quam per cōfessionem secretam, & auricularem, vt consueto modo fit, ita etiam *Fagundez de præcep. Eccl præcep.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 11. Nec de hoc ait dari posse, etiam à Summo Pontifice iustam legem, aut præcep tum

tum obligans Pœnitentem ad confiten da peccata sua,alio modo magis publi co,quam sit modus ordinatius confes sionis secretæ,& auricularis.

Nu. 12 Insurgit dubium non vulgare,an sci licet in articulo mortis teneatur, quis confiteri per interpretem, si alio modo non possit respondet *Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resol.* 129. primo quod præcep to Ecclesiastico nemo tenetur ad confi tendum per interpretem, quia hæc ali quo modo publica confessio est, quam Ecclesia præcipere non solet, vti supra dictum est: secūdo quia in articulo mor tis, si pęnitens existens in peccato mor tali, habet probabilem existimationē, de sua contritione non tenetur confite ri per interpretem, quia confessio tunc non videtur moraliter necessaria ad sa lutem: at vero si probabiliter dubius est, de sua contritione, tunc ex charita te tenetur confiteri, per interpretem, ne se exponat periculo damnationis, quia cum tenetur absolute Deo satisfa cere, merito in casu dubio obligatur *hac Diana quamquam Suar. in 3. par. tom. 4. disp. 36. sect. 6. num 3.* afferens senten tiam aliquorum, & asserens esse com munem, docet posse hominem confite ri si velit, excusari tamen simpliciter ab obligatione cuiuscumque præcepti cō fessionis, etiam in mortis articulo, *vbi num.* 5. habet sententiam eorū, qui asserunt quando aliquis non potest, nisi per interpretem confiteri, tunc excu sari, etiam si nullum alind damnum ti meat ab obligatione præcepti Ecclesia stici, non autem diuini esse valde pro babilem, & speculatiue veriorem, qui autem voluerit sententiam *num. 3. su pra allatam* sequi; posse id facere tuto, quia est practice probabilis, verum vi de Suarium.

Nu. 13 Quare ex his collige, quod si quis in casu *à Diana* supra allato confessus sit omnia peccata, & postea nullum comi sisset mortale, licet meminerit postea alicuius, quod prætermisit propter obli gationem, non tenetur in articulo mor tis confiteri per interpretem, quamuis tenebatur confiteri, si posset secreto soli confessori, quia de tali peccato per con fessionem factam, fuerat indirectè abso lutus *ita Diana cum Vasqu. apud ipsum par. 3. tract. 4. de sacr. resol. 129. §. Dico se cundo,*

Quid autem dicendum, quando quis in mortis articulo dubitat de sua contri tione, an teneatur confiteri per interpre tem omnia peccata mortalia respondet *Suar. in 3 par. tom 4. disp. 36. sect. 6. nu. 5.* posse tunc pęnitentem confiteri per in terpretem ea peccata, quæ cum minori infamia explicare potest, tacitis his, ex quibus notabilis infamia, vel sibi, vel al teri sequi potest, non enim in hoc casu tenetur facere confessionem materiali ter integram, est enim hæc causa suffi ciens, ad excusandum illum, & ita hoc satis esset ad recipiendum hoc Sacra mentum, & consequenter ad subueniē dum saluti suæ, posset enim tunc ex at trito fieri contritus ita etiam *Fagundez præcep. 2. lib. 2. cap 6. num. 8. Diana par. 3. tract. 4 de Sac. resol. 129. § Sed difficultas.* Nu. 14

Quin immo Coninch *de Sacr disp. 5. dub. 10. num.* 77. in rigore putat, posse in tali casu confiteri aliqua peccata venialia, & generatim omnia mortalia, dicendo se confiteri alia omnia peccata, quibus Deum offenderit *ita etiam Molfesius in summ. tom 1. tract. 7. cap. 11. nu. 12.* licet consulendum sit, vt tali casu moribun dus, omnia peccata confiteatur, cum in terpres teneatur seruare sigillum, vti as serit *Diana loco supra citato § At plus* vbi hanc opinionem *Coninch. & Molfesij* probabilem existimat, quare cōcludit, quod si quis vellet confiteri aliqua veni alia, & mortalia in genere, confessio es set valida. Nu. 15

An excusetur pœnitens ab obligatio ne confessionis quatragesimæ, quando non potest confiteri, nisi per scriptum, præsente tamen Sacerdote confessario, quia v. g. vel pœnitens est mutus, vel Confessor Surdus, & non potest se alijs nutibus ipse pœnitens explicare, & cer ta hac de re, opinio est pro vtraque par te, & licet *Fagundez præcep. 2. lib 1. cap. 6. num. 10. & Suar. tom. 4. disp. 36. sect. 6. num. 7. & alij* asserant in tali casu non ex cusari, & consequenter docent teneri quemlibet pœnitentem ex vi præcepti Ecclesiastici confessionis annualis confi teri per scriptum, quando aliter non po test, præsente tamen Sacerdote, non au tem absenti. Nu. 16

L 2 Ta-

Nu. 17 Tamen opinio excusans, mihi magis placet, quia modus confessionis ab aduersarijs assignatus, est de se publicus, est enim scriptura de se publica, vnde exponit se pœnitens probali periculo amittendi scriptum, & quamuis non se exponat, vt aliqui asserunt, quia statim potest rumpi, tamen ille modus confitẽdi, est de se, & natura sua publicus, nemo tenetur sic publice confiteri, ne periculo infamiæ se exponat, non enim præcepta Ecclesiæ cum tanto rigore obligant *ita Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. ar. 6. Fill. & alij apud Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 128. S. At his non obstantibus.*

Nu. 18 Hactenus de confessionis conditionibus, nunc ergo dicendum superest, qui nam post baptismum sub præcepto teneantur, ad confitenda sua peccata mortalia alias non confessa, quod præceptum, duplex est, aliud diuinũ, aliud ecclesiasticum, vt autem à diuino incipiamus de fide tenendum est, teneri omnes fideles, post baptismum præcepto diuino, ad confitenda peccata sua mortalia aliàs non confessa, statim ac perueniunt ad vsum rationis, *ita Suar. tom. 4. disp. 35 sect. 1. asser. 1. num. 4. & sect 2. num. 5. qui colligit hanc sententiam ex Trid. sess. 14. cap 5. & can. 7. Fagundez pracep. 2. lib. 1. cap. 1. num. 1. & cap. 2. nu. 3.* qui quidem vsus rationis, vt plurimũ est completo septennio, vt asserit *Turllench. apud Barb. in Trid sess. 14. cap. 5. num. 21.* in quo quidem septennio, licet incurratur peccatum mortale, tamen non incurritur in censuras, quia in has, & in irregularitatẽ decẽnio cõpleto incurritur, vt communiter asserunt Doctores.

Is autem, vsum rationis habet, quando peruẽtus est ad eam ætatem, in qua inter bonum, & malum discernere potest, & præcipue tunc dicitur, quis habere vsum rationis, quando ex cognitione mali, quod commisit discernit esse Dei offensam, & mereri pœnas inferni *vide Fagundez loco supra citato num. 3.*

Nu. 20 Ex dictis iam manifeste patet, solum fideles baptizatos, teneri ex præcepto, non solum diuino, sed etiam Ecclesiastico, non autem infideles, ad confessionem *ita Fagundez num 4. Barb de offic. & potest. Parochi par. 2. cap. 19. nu. 18. Suar. tom. 4. disp. 35. sect. 2. num. 2.* cuius ratio est quia cum Infideles sint, extra Ecclesiam non tenentur ad confessionem ex Ecclesiastico præcepto, *iuxta illud Pauli de his, qui foris sunt nihil ad nos*: item Ecclesia non potest obligare, suis præceptis, non subditos, hi autem, qui non dũ per ianuam Baptismi, Ecclesiam ingressi sunt, non sunt subditi ipsius Ecclesiæ, ac proinde ipsius præceptis ecclesiasticis obligari non possunt.

Item neque ex diuino, infideles ad cõfessionem obligantur, quia obligatio, ad præcepta singularia sacramentorũ, consurgit ex professione fidei, quæ per Sacramentum Baptismi fit, ita etiam vltra supradictos citatos auctores *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. concl. 1.* & probari potest ex defectu materiæ, quia, & si infideles grauissima habeãt ante Baptismum peccata mortalia, tamen huiusmodi peccata mortalia commissa, ante Baptismum, non sunt materia huius sacramenti confessionis, sed sunt propria materia ipsius *Baptismi*, cum per illud deleantur, ac remittantur, ita etiam quamplures. Nu. 21

Quare iterum manifeste, patet hominem in venialibus tantum existentem, ad annos discretionis peruenientem, nõ teneri ad confessionem, neque ex iure diuino, neque Ecclesiastico, patet primo quia iam præsupponitur esse in gratia, vnde nullo indiget Sacramento, ad liberandum à mortali, secundo quia, venialia peccata, ex iure diuino, nõ sũt necessaria materia, neque ex iure ecclesiastico, quia Ecclesia mutare non potest, sacramẽtorum materiam, ita inter alios *Fagundez pracep. 2. lib. 1. cap. 2. nu. 8. vbi num. 9.* aduertit ratione scandali, teneri huiusmodi hominem adire, ad suum Parochum, & Pastorem, & obsẽdere se, esse absque conscientia peccati mortalis, & deinde sumat in Paschare Eucharistiam, ita etiam *Barb. de off. & potest. Parochi cap. 19. num. 19.* vbi habet Imperatorem, & Reges, de iure suis Presbiteris Parochialibus, teneri confiteri; de Summo vero Pontifice, communis omnium fere sententiam est, illum ad huiusmodi præceptum obligari, quoad vim directiuam, non vero quo ad pœnas, Nu. 22

nas,

nas, & vim coactiuam.

Nu. 23 Quo tempore obliget hoc præceptum, præcise vt diuinum est, Respódeo dicendum, confessionem directe proprie, & per se, & ex vi intrinseca ipsius diuini præcepti, solum obligare in articulo mortis, si ante impletum non sit, vt ait *Suar. tom. 4. disp. 25. sect. 3. num. 3.* & quando datur conscientia peccati mortalis, & etiam aliàs quando datur copia confessarij, & est morale periculũ, nunquam amplius, posse in tota vita cõfiteri, ex defectu confessarij, si modo occasionem omittat, vt ait *Fagundez præcep. 2. lib. 1. cap. 1. num. 6.* cuius ratio est, quia hoc præceptum affirmatiuum obligare debet, saltẽ in extremo periculo, seu potius articulo necessitatis, qualis maxime est articulus mortis, tum etiã, quia hoc præceptum impleri debet, in hac vita, ergo ante mortem, ergo vt minimum, in articulo mortis.

Nu. 24 Intelligitur autem per articulũ mortis, non solum ille articulus, in quo quis moritur, sed etiam in quo mors probabiliter timetur *ita Fagundez num. 7. vbi num. 8.* ait aliunde tamen non per se, sed per accidens obligare hoc præceptum, extra articulum mortis, in aliquibus casibus, quatenus diuinum est. Primus quoties sumenda est Eucharistia, tunc enim si conscientiam peccati mortalis habemus, tenemur ex diuino precepto, præmittere confessionem, modo adsit copia confessarij. Secundus casus, quoties credit se aliter, non posse euitare certum aliquod peccatum in particulari, nisi præmittat confessionem, verum de his, & alijs casibus *apud Fagundez, & Suar. tom. 4. disp. 35. sect. 3. vbi sect. 4.* ait huiusmodi diuinum præceptum, per confessionem nullam, non impleri; impleri autem per confessionem validam. An hoc præceptum impleatur, per confessionem validam, & informem in sententia eorum, qui asserunt non dari cõfessionem validam, & informem, cessat dubium; in opinione vero eorum, qui concedunt dari, resolutio tamen sit, impleri, quia per huiusmodi confessionem validam, & informem, impletur actus præceptus, quo ad substantiã eius, quod autem finis præcepti, scilicet hominis iustificatio, non obtineatur, non obstat, quia finis præcepti non cadit, sub præceptum, sed apud Suar. & Fag.

At vero de iure Ecclesiastico, est necessaria confessio semel in anno, qui quidem annus incipit, à die commissi peccati mortalis, vti asseruit *Magister meus P. Ioseph Augustinus in suis manu scriptis:* verum secundum vsum Ecclesiæ, incipit à tempore Paschalis, & hoc propter communionis præceptum *vide Fagundez præcep. 2. lib. 1. cap. 3. nu 2. & 5. Suar. tom 4. dist. 36 sect. 3. nu. 3. Barb. in Trid. sess. 14. cap. 5. & de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 19. num. 18.* vbi aduertit Parochianos teneri, proprio Sacerdoti, scilicet suo Parocho, aut saltem cum eius licentia, alieno confiteri semel in anno, nempe in quatragesima, aut Paschali tẽpore *vnde Berl. lib. 3. de pœn. cap. 4.* ait confessiones Parochianorum extra quatragesimam esse liberas, in quatragesima vero esse præcepto iussas, ad quod quidem præceptum Ecclesiasticum, tenentur omnes vtriusque sexus fideles vti ait *Fagundez num. 2. Suar. sect. 2. nu. 1.* & tenentur statim põst perfectum vsũ rationis ita *Fagundez num. 12.* Nu. 25

Quare si quis confitetur in Paschate, & omittat aliqua peccata mortalia necessaria ad confitendum, si malitiose illa omittat, tenetur iterum confiteri, aliàs incurrit in peccatum mortale, contra præceptum Ecclesiæ de annua confessione *vnde Fagundez præcep. 2. lib. 1. cap. 4. num. 5.* habet non impleri præceptum de annua confessione per confessionem inualidam, & sacrilegam, ex parte pœnitentis, & culpa illius factam, & sic non euadere pœnitentem excommunicationem ipso facto impositam, in constitutionibus synodalibus, nec ceteras iuris synodalis pœnas impositas his, qui hoc præceptum non implent, at vero si non malitiose, quia scilicet oblitus est illorũ, tunc non tenetur statim illa confiteri, antequam fineatur tempus annuæ cõfessionis, sed potest expectare annum sequentẽ *ita Sotus in 4. dist. 17. quæst. 1. ar. 4. Fag. præcep 2. lib. 1. cap. 4. num. 17. Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resolut. 124.* quia Ecclesia obligat tantum ad confitenda omnia peccata commissa, eo anno, quantum memoriæ occurrunt, adhibita sufficienti diligentia, sed qui taliter Nu. 26

nam opus aliàs debitū potest in Sacramentalem Pœnitentiam iniungi. Tertius si forte credit Confessarius, Pœnitētem ob vehementissimam contritionē, integre Deo satisfecisse *ita Fagundez loco supra citato num 9.* vbi fine reddit rationem quia non est de integritate huius iudicij,& Sacramenti,vt imponatur Pęnitentia,sed solum quando intelligitur durare reatus pœnæ,& Pœnitēs dignus pœna iudicatur.

Nu. 7 Vnde *Suar. tom. 4. disp. 38 sect. 3. num. 4* assignans hunc casum quando scilicet Confessor ex signis intelligit Pœnitentem integre satis fecisse,pro peccatis suis,fatetur tamen,inquit,raro posse constare Sacerdoti de sufficienti satisfactione iam facta,& ideo consultius esse aliquam,vel leuem satisfactionem imponere,quod etiam in primo casu fere sēper seruare potest,si Pœnitens percipit, nam saltem potest vel semel proferre nomen Iesu,vel aliquem bonum motū elicere hæc optime *Suar.*

Nu. 8 Aduertas tamen regulariter, teneri Confessarium, hanc Pœnitentiam imponere vti asserunt *Suar. & Fagundez locis supra citatis*,non tamen semper nam aliquādo expediet aliquam, vel aliquas per modum consilij iniungere, non autem per modum præcepti obligantis, ad mortale,vt si hoc feceris,tibi seruiet, in satisfactionem, & hæc satisfactio est vere sacramentalis,licet fortasse minoris sit efficaciæ,quam, quæ imponitur sub præcepto *ita Fagundez num. 11.* vbi fine concludit,quod licet aliqui asserant debere Confessarium saltem aliquod imponere, de præcepto, tamen fatetur *cum Suario,& Henriq.* posse prædictum Confessarium imponere de consilio, non de præcepto,vel totam,vel partem Pœnitentiæ arbitrariæ, quare iam vides in secundo casu de scrupuloso, melius esse imponere aliquam Pœnitētiā, licet aliàs sit imposita.

Nu. 9 Et licet huiusmodi Pœnitentia imponi possit,tam ante,quam post sacramētalem absolutionem,vti tenent *Nau. & Bon apud Barb. in Trid. sess. 14. cap. 8. nu. 2.* vbi refert sententiam Fernandez, qui rectius credit, ante imponendam esse, sed quoquomodo imponatur,illud certum est, huiusmodi satisfactionem Sacramentalem, habere aliquem effectū, ex opere operato *ita Suar. tom 4. disp. 38. sect. 2. num. 1.* vbi *num. 2.* habet propriū, & maximum indubitatum effectū, ex opere operato,huius satisfactionis, esse remissionem,alicuius pœnæ tēporalis, præter illam,quæ respondere posset, ex opere,seu merito operantis,*ita etiam Fagundez præcep. 2. lib. 9. cap 3. num. 4. vbi n. 5.* §. *Secunda sententiam* habet hunc effectum non produci,nec conferri,nisi impleta tota satisfatione imposita, à Confessario,& hanc sententiam videtur docere *Suar. loco supra citato num. 4.*

Hic vero,etiam quæri potest, an si quis pœnitentiam à confessario impositam impleat ante,quā absoluatur, quod olim fieri solebat, & nūc interdum fieri potest,ad maiorem experientiam pœnitentis emendationis;an inquam statim habeat,suum effectum,ex opere operato,supposito,quod pœnitens per contritionem,& gratiam sit dispositus: ad hoc quidem Quæsitum,respondet *Suar. loco supra citato num. 5.* non habere hunc effectum,ante datam absolutionē, & reddit rationem,quia Sacramentum, non habet, suum effectum ex opere operato,antequam perficiatur,perficitur autē per formam,vt patet in alijs Sacramentis:patet etiam secundo, quia hic effectus secundarius remissionis pœnæ tēporalis, coniunctus est alteri principali, qui est remissio culpæ, sicut ergo non remittitur culpa,ante absolutionem,ita nec remittetur pœna temporalis, ex opere operato,ante illam. Nu. 10

Tamen animaduertendum esse puto, posse satisfactionem aliquam, ita proportionatam esse peccatis confessis, vt illa imposita,& expleta,totus reatus pęnæ temporalis remittatur,& patet quia cum hic reatus, sit finitus potest adequari,per finitam satisfactionem: vnde fit, vt interdum possit satisfactio excede re reatum pœnæ,interdum vero potest esse, tam remissa, vt pœnam adequari non possit,& tunc non carebit effectu remissionis sibi proportionato *ita Suar. loco supra citato num. 7. Fagundez loco etiā supra citato num. 7.* Nu. 11

QVAE-

QVAERES QVARTO.

Quod vero dicendum de Pœnitente: an teneatur satisfactionem impositam acceptare, & acceptatam implere.

Nu. 1 ET licet de Pœnitente, iterum alibi suo in loco sermo erit, tamen hic occasione desumpta, ex acceptatione pœnitentiæ, quæ ex parte pœnitentis se tenet, de pœnitente loquentes, Dicendum existimamus, Pœnitentem teneri satisfactionem impositam acceptare, & acceptatam implere, cuius ratio est, quia pœnitens reus est, & tenetur acceptare satisfactionem impositam à Confessario, qui tanquam iudex potest obligare subditum, vt satisfactionem impositam acceptet, & illam impleat, & ille tenetur obedire, & hæc obligatio, est de se grauis, & mortalis, nisi ex leuitate materiæ, constet esse venialem, vt infra dicemus, vnde *Victoria apud Fagundez præcep 2 lib 9. cap. 3. num. 12.* existimauit hanc opinionem esse de fide cum aperte eam doceat *Trid. sess. 14. ca. 8. his verbis* Debent ergo Sacerdotes Domi*ni, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentiũ salute, & facultate, salutares satisfationes iniungere, ne si forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant leuissima quadam opera, pro grauissimis delictis iniungendo, aliorum peccatorum participes fiant ita etiam Suar. tom. 4. disp. 38. sect. 7. num. 4.* qui etiam affirmat teneri pœnitentem pœnitentiam acceptatã, si grauis est sub mortali implere vnde *Diana par. 3. tract. 4. de Sacramentis*, sequens etiam hanc opinionem, ait non esse absoluendum pœnitentem, qui nõ vult acceptare pœnitentiam, vbi pro se citat *Comitolum, & alios quin imo Nugnus in 3 par. tom. 2. quæst. 15. artic. 1. & quæst. 13. ar. 2. diff. 2. concl. 1.* improbabilem negautem sententiam iudicat *vnde Vasq. in 3. par. tom. 4. quæst. 94. artic. 2. dub. 1. num. 5.* de fide hanc sententiam definitam esse existimat *sicuti, & Victoria loco supra citato apud* Fagundez.

Nu. 2 Vnde *Suar. tom. 4. disp. 38. sect. 7. nu* 4. habet hanc opinionem, non tantũ procedere, in annua confessione, sed etiam in quacumque alia, quæ voluntarie fit, præsertim si sit de materia necessaria, quia eadem est ratio, de integritate iudicij, & Sacramenti.

Quamquam Reg *in praxi tom. 1. lib. 7. cap. 2. num. 15.* asserat Pœnitentem nõ respuentem omnem pœnitentiam, sed aliqualem, licet paruam, vt vnum Pater noster, &c. acceptantem, non esse à Confessario, sine absolutionis beneficio dimittendum, & hoc etiam confirmãt *Homobonus, Molfesius, & alij apud Dianã par. 2. tract. 15. resol. 51. §. Notandum est.* Nu. 3

His tamen non obstantibus, non defuerunt Doctores, qui post Concilium Tridentinum contrariam docuere sententiam, vt videre est *apud eundem Dianam loco supra citato §. His tamen, vbi Sotus in 4. dist. 20. quæst. 2. artic. 1. Zerola in praxi pœnitentiæ cap. 25 quæst. 9. Villal. & alij etiam post Concilium Trid.* probabilem vocant hanc opinionem, cuius rationem reddunt, quia peccator in hac vita non tenetur satisfacere pro pęna temporali, & ideo potest eam remittere in Purgatorium, ac proinde non tenetur, quo ad hoc obedire Iudici, ac Confessori, id præcipienti vnde *Faber apud Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. resolut. 51.* etiam probabilem existimat hanc opinionem, & cum Pharaoneo etiam hic citato, probat, quod si Pęnitentia sit satisfactoria, & non medicinalis, seu præseruatiua, posse Pęnitentem illam non acceptare, modo habuerit animum satisfaciendi, vel in hoc sæculo, per indulgentiam, & bona opera, vel pęnas Purgatorij, quia non adest pręceptum de acceptanda tali Pęnitentia, addit tamen Faber, quod licet hæc opinio sit vera; tamen in praxi non est de facili ponenda in vsu, cum difficile sit, inuenire aliquem vere pœnitentem, qui bona fide confiteatur, adeò saxeum, vt nolit, vel tantillum Pœnitentiæ acceptare, Proinde si quis accederet, qui nollet, vel exiguam pœnitentiam acceptare, esset multum considerandum, an haberet verum dolorem, & esset bene dispositus, ac proinde ex hoc capite, esset reiiciendus, nõ autem quia teneretur ad acceptandam pœnitentiam. Quod si constaret probabiliter, vere pœnitentem, & saltem attritum, neque enim ex hoc ca- Nu. 4

Nu. 34 Vnde *Fagundez in præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 3.* tradens regulam fiendi actum contritionis, & attritionis, ait actũ contritionis, ſic breuius, & facilius elici poſſe. *Pœnitet me intime de meis peccatis, propter Deum, quem ſumme diligere debeo, & de cætero emendationem propono in futurum:* actum verò attritionis, in hunc modum eligi poſſe, v.g. cum quis conſiderans fœditatem peccati, & malum temporale ægritudinis, aut moleſtiæ, quã ſibi afferri poteſt, dicit ex corde. Pœnitet de meis peccatis, quia propter illa Deus auctor gratię, me beatitudine priuare poteſt, & multis malis temporalibus affligere, atque punire, & propono emendationem in futurum.

Nu. 35 Quid vero, an ſaltem in articulo mortis, ſi mortaliter quis peccauerit, teneatur ad habendam contritionem, etiam ſi cum attritione cognita confeſſus ſit, vel confiteri poſſit reſpondet *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 15. ſect. 4. num. 17.* eſſe val de veriſimile, ſaltem ex lege charitatis, teneri, & reddit rationẽ, quia licet probabilis ſit opinio, quæ docet attritionẽ cognitam cum Sacramento ſufficere, tamen non eſt certa, & poteſt eſſe falſa, *& nu. 18.* aſſerit hãc opinionem, ſemper ipſi valde probabilem viſam eſſe, tamẽ *nu. 19.* ait fidelem hunc conſtitutum, in articulo mortis, qui bene nouit ſolam attritionem de peccatis ſuis, habuiſſe, & cum ea tantum confeſſum, & abſolutum eſſe, ex vi iuſtitiæ ad Deũ, ſeu pęnitentiæ, non teneri ad perfectiorem pœnitentiam agendam, quia iuxta probabilem opinionem, & practice certã, ſatisfacit quãtum debuit, neque ex hac præciſa ratione, exponit ſe alicui morali periculo, ſi omnem aliam obligationem impleat, nihilominus vero exiſtimat *Suar.* tam ex charitate Dei, quam propria, teneri huiuſmodi hominem, maiorem diſpoſitionem procurare, ad æternam ſalutem conſequendam, grauiterq; peccare ſi voluntarie ita ſe mori ſinat *hæc Suar.* & hanc ſententiam ſequuti ſunt, non ſolum *Nugnus, & Zambranus apud Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. reſol. 98. initio, ſed etiam Iacobus Granado Tannerus Præpoſitus apud eundem Dianam par. 5. tract. 3. de caſib. occurr. tẽmor reſol 76. initio.*

Nihilominus dura ſemper viſa fuit, hæc opinio *Fagundez de præcep. 2. lib. 2. cap. 4. num. 13.* & merito propter validas rationes ab ipſo allatas, & pręcipue, quia nemo tenetur, neque ex propria charitate, neque ex alio præcepto, amplius facere, quam id, quod Eccleſia docet, ad ſalutem eſſe neceſſarium, ſed Eccleſia *per Trid* docet ad ſalutem, & gratiam impetrandam Deo, ſufficere attritionẽ cognitam, ſimul cum Pœnitentiæ Sacramento, ergo non tenetur, quis ad amplius: alias rationes videbis apud Fagundez hanc opinionem ſequuti ſunt *Becanus Coninch faber apud Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. reſol. 98 §. Sed contrariã vbi hanc etiam tenet ſententiam.* Nu. 36

An vero, teneatur elicere actũ amoris, erga Deum, antequam moriatur reſpondet *Suar. loco ſupra citato num. 19. verſ. nam in primis* teneri hominem diligere Deũ ſuper omnia, priuſquam moriatur, quia hic actus, per ſe neceſſarius eſt, vnde deinde habet, nec ſatis eſſe, quod talis homo prius, aliquando in vita Deum ſuper omnia dilexerit, tum quia hoc præceptum, non tãtum ſemel obligat, ſed etiam ſæpius, & tempus maxime neceſſarium, eſt mortis articulus, tum etiam quia, poſtquam homo priorem dilectionem, per ſubſequens peccatum mortale virtualiter retractauit, tenetur de nouo illum diligere & ſe, & omnia in eum referre, non ſecus, ac ſi de nouo procreatus eſſet. Hæc ergo obligatio cum ſit per ſe, & intrinſeca charitatis, etiam nunc manet, ſi ergo ille homo, in tali ſtatu, & articulo conſtitutus, Deum ſic diligere conetur, non credo ait *Suar.* obligari ad aliam contritionem ſeu formalem Pœnitentiam, quia obligationi Pœnitentiæ iã ſatisfactum fuit, & ſi quid erat dubij, aut periculi, de eſſectu Pœnitentiæ, ſecuro, per illum actũ amoris ſufficienter tollitur, ſatis enim certum eſt, neminem damnari, qui Deũ ſuper omnia diligit, & maxime poſt receptum Sacramentum Pœnitentiæ cũ attritione, at vero ſi quis voluntarie, talem actum omitteret, ex hac parte contra charitatem Dei ageret, & omittendo etiam contritionem contra propriã charitatem, ſeu miſericordiam, quam Nu. 37

circa

circa se ipsum exercere tenetur, etiam specialiter peccaret concludit *Suar.*

Nu. 38 Et tandem *nu.* 30. habet, quod si tandem contingeret hominem, in eo casu, mori sine actu amoris, vel contritionis, & sine nouo peccato, vel quia raptus est priusquam hoc aduertere posset, vel quia illos omisit, ex probabili ignorantia obligationis, seu iuris, aut etiam facti, quia scilicet conatus est ad talem actum habendum, & putauit se habere, re tamen vera, non habuit in his inquam casibus, ille homo saluabitur, sed de his apud Suarium, & an vera sint alij iudicent.

Nu. 39 Et licet probabilem iudicet hanc Suarij opinionem *Fagundez præcep. 2. lib. 2. cap. 4. nu. 12. fine* tamen in hoc sequar Fagundez sententiam contrariā, quam docet *nu.* 13. *vbi nu.* 14. *fine* concludit hoc profecto esse, laqueos iniicere conscientijs, in re graui, & ad salutē necessaria, & homines in dubium de propria salute adducere, vnde cum solus Suarius hanc opinionem inducat, & omnes auctores contrarium aperte teneant, potius Fagundez, & ego cum illis, quam cum illo consentire volumus, & hæc de contritione, vt autem confessionem explicemus.

QVAERES SECVNDO.

Quænam sit confessio, secunda pars Sacramenti Pænitentia.

Nu. 1 Est autem hæc confessio, vt describi solet præcipue à *Tol. lib. 3. summ. cap. 6.* accusatio exterior propriorum peccatorum facta in foro secreto, ac sacramentali, coram Sacerdote, legitimā iurisdictionem habente, explicationē huius deffinitionis legite *apud Toletum Fagundez de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 1. num. 1.* cui quidem confessioni licet cōmuniter, doctores decem, & septem assignare soleant cōditiones, quas his versibus comprehendunt vt videre est *Suarium in 3. par. tom. 4. disp. 21. sect. 1. nu. 2.*

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libēs, verecunda
Integra secreta, lacrymabilis, accelerata
Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.

Vt igitur ad meliorem ordinem, & pauciorem numerum redigantur. Dicendum existimo huiusmodi confessionem debere esse, Integram, Diligentē, Fidelem, & Obediētem, ad quas quidē quattuor conditiones reduci possunt aliæ, ac proinde ad integram v. g. reduci possunt, quod sit simplex, idest nō ita artificiose composita, vt ea ratione aliquid occultetur, item pura scilicet non mista rebus, ad confessionem non pertinentibus, item ad fidelem reducitur, quod sit Nuda, scilicet aperta, clara, & non palliata, & sic de alijs vt considerāti patet, & videre est *Suar. loco supra citato.* Nu. 2

Integra igitur debet esse, scilicet omnium peccatorum mortalium non confessorum, cum suis circumstātijs mutātibus speciem, de qua *Suar. tom. 4. disp. 22.* verum de circumstantijs non mutātibus speciem, & notabiliter aggrauantibus actum, infra eamdem speciem, quamquam probabilis sit eorum opinio, qui asserunt, teneri hominem eas confiteri, tamen contraria sententia tuta, & in praxi tenenda est, vt videre est seriem multorum doctorum *apud Dianam par. 2. de circumst. aggrauantibus resol. 1.* Nu. 3

Diligens scilicet cui præcedat debitum, & sufficiens examen, iuxta rationem vitæ, memoriæ, de qua *Fagundez loco supra citato lib. 3. cap. 2. num. 1.* vbi habet teneri pœnitentes sub mortali conscientiam discutere ante confessionem, & præmittere conuenientem diligentiam, arbitrio prudentis, vt omnia peccata mortalia ab vltima confessione commissa, in memoriam adducant, & qui imparati accedunt, & non præmissa debita diligentia, lethaliter peccant, & tenentur eamdem confessionem repetere, si aliquod mortale omiserunt, fuit enim confessio nulla, & sacrilega ex defectu culpabili, debitæ, ac necessariæ diligentiæ, huiusmodi autem diligentia non debet esse in omnibus pœnitentibus æqualis, sed maior, vel minor, pro ratione vitæ, status, & conditionis cu- Nu. 4

iuscunque, debet esse huiusmodi diligentia prudens, discreta vt ait *Fagundez.*

Nu. 5 Fidelis scilicet vera, ne scilicet quidquam celetur, nec dicatur pro veniali, quod est mortale, nec è contra, de qua *Fagundez num.6.* vbi habet confessionē debere esse fidelem, ita vt nullum mendacium in eà confessario dicatur.

Nu. 6 Obediens scilicet, quod pœnitens sit paratus obedire confessario, & acceptare pœnitentiam debitam, & iniunctam implere de qua *Fagundez num.16.* quas quidem confessionis conditiones legite *apud Suar. Fagundez locis citatis, & præcipue apud Tol. loco supra citato cap. 7.*

Nu. 7 Sed ex his cōditionibus, aliqua breuiter deduci possunt, & primo confessionem debere fieri proprio ore, si fieri potest, qui quidem modus accidentalis erit, vt secrete fiat confessio, vt ait *Suar. tom.4.disp.21.sect.1.num.3.fine* vbi assignat duplicem modum confessionis, vnum essentialem, & est vt fiat ex animi dolore, nam hoc pertinet ad rationē accusationis: alterum accidentalem, vt secrete scilicet fiat confessio, qui quidē modus secretæ confessionis honestus, & sanctus est, & ad Sacramentum conficiendum sufficiens, *ita Suar. nu.2. sect. 2. vbi num.9.* ait hunc modum secretæ confessionis, non esse de necessitate huius Sacramenti, neque dari præceptum ex parte pœnitentis, vt teneatur ex aliquo præcepto, secrete confiteri ita *Suar. nu 12. vbi nu. 11.* ait ex parte Sacerdotis esse hoc in præcepto diuino, & teneri ad sigillum modo infra.

Nu. 8 Quare mortaliter peccaret ille, qui cum bene possit proprio ore confiteri, per signa, & nutus, & interpretem confiteretur, confessio tamen esset valida, cuius Ratio est, quia licet nullum sit præceptum diuinum, vel humanum ad hoc obligans, vt ait *Suar. locis citatis, & præcipue disp.21. sect.3. nu.5. & 6.* tamen consuetudine Ecclesiæ vniuersalis antiquissima introducta à principio nascentis Ecclesiæ vt obstendit *Suar. sect.2. nu. 1.* voluntaria transgressio illius, per se, satis indicat, esse peccatum mortale, ita *Fagundez loco supra citato pracep.2. lib. 3. cap.1. num.8. vbi num.9.* asserit eum, qui possit absolute loquendo, voce propria confiteri, sed in eo ob nimiam verecundiam, ac pudorem grauem admodum difficultatem sentit, non peccare mortaliter, si per nutus, aut signa externa, aut interpretem confiteretur, quia dicta consuetudo non videtur, in eo casu, tā grauiter obligare.

Quare si confessio non potest fieri, nec proprio ore, nec nutibus, aut signis, nemo tenetur ad illam, ita communiter doctores *apud Hurtadum de Pœnitentia disp.8. diff.4.* vnde mutus tenetur cōfiteri per notus, aut signa *ita Diana par. 5. tract.4. resol.2. vbi §. Notandum est ex Fernandez* notat confessarium tempore, quo obligat præceptum confessionis, posse absoluere mutum, qui præbet signa doloris, etiam si nullum possit, ex eius signis intelligere peccatum, & alius non adsit confessarius, qui melius intelligat, ac proinde mutus secundum aliquorum sententiam, etiam si sciat scribere, non tenetur ad scribenda peccata, sed sufficit, vt nutibus, & signis confiteatur *ita Henriq. & alij apud Dianam par. 3. tract.4. de Sacr. resol 128. § At his, & alij par.5. tract.6 resol.4. § Sed non,* & hāc opinionem probabilem vocat *Fagūdez præcep.2. lib 1. cap.6. num.9.* quam etiam, & ego, & hanc sequor sententiam, quādoquidem scriptura de se publica est, & nemo tenetur publice confiteri. Nu. 9

Similiter etiam si quis sciat, & certo cognoscat, se carere penitus memoria, & statim obliuisci peccata, non tenetur scribere illa ad confitenda, quia fieret publica confessio, ad quam nemo tenetur, sicuti neque tenetur quis confiteri per interpretem, vti asserit *Diana par.3. tract.4. de Sacr. resol.129. initio; & par. 5. tract 6. resol.4. §. Sed non minus* sed sufficit illi si confiteatur per nutus, aut signa *vide Dianam par.3 tract. 4. de sacr. resol. 128.* Nu. 10

Vnde optime *Suar. in 3 par. tom.4. disput.21 sect.2. num.7.* asserit non posse confessarium obligare pœnitentem, ad confessionem publice faciendam, nec alio modo magis publico, quam per cōfessionem secretam, & auricularem, vt consueto modo fit, ita etiam *Fagundez de præcep. Eccl præcep.2. lib.3. cap.1. n.11.* Nec de hoc ait dari posse, etiam à Summo Pontifice iustam legem, aut præcep Nu. 11

tum

tum obligans Pœnitentem ad confitenda peccata sua,alio modo magis publico,quam sit modus ordinarius confessionis secretæ,& auricularis.

Nu. 12 Insurgit dubium non vulgare,an scilicet in articulo mortis teneatur, quis confiteri per interpretem, si alio modo non possit respondet *Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resol.* 129. primo quod præcepto Ecclesiastico nemo tenetur ad confitendum per interpretem, quia hæc aliquo modo publica confessio est, quam Ecclesia præcipere non solet, vti supra dictum est: secūdo quia in articulo mortis, si pœnitens existens in peccato mortali, habet probabilem existimationē, de sua contritione non tenetur confiteri per interpretem, quia confessio tunc non videtur moraliter necessaria ad salutem: at vero si probabiliter dubius est, de sua contritione, tunc ex charitate tenetur confiteri, per interpretem, ne se exponat periculo damnationis, quia cum tenetur absolute Deo satisfacere, merito in casu dubio obligatur *hac Diana quamquam Suar. in 3. par. tom. 4. disp. 36. sect. 6. num* 3. afferens sententiam aliquorum, & afferens esse communem, docet posse hominem confiteri si velit, excusari tamen simpliciter ab obligatione cuiuscumque præcepti cōfessionis, etiam in mortis articulo, *vbi num.* 5. habet sententiam eorum, qui asserunt quando aliquis non potest, nisi per interpretem confiteri, tunc excusari, etiam si nullum aliud damnum timeat ab obligatione præcepti Ecclesiastici, non autem diuini esse valde probabilem, & speculatiue veriorem, qui autem voluerit sententiam *num. 3. supra allatam* sequi; posse id facere tuto, quia est practice probabilis, verum vide Suarium.

Nu. 13 Quare ex his collige, quod si quis in casu à *Diana* supra allato confessus sit omnia peccata, & postea nullum comisisset mortale, licet meminerit postea alicuius, quod prætermisit propter obligationem, non tenetur in articulo mortis confiteri per interpretem, quamuis tenebatur confiteri, si posset secreto soli confessori, quia de tali peccato per confessionem factam, fuerat indirecte absolutus *ita Diana cum Vasqu. apud ipsum par. 3. tract. 4. de sacr. resol.* 129. §. *Dico secundo,*

Quid autem dicendum, quando quis in mortis articulo dubitat de sua contritione, an teneatur confiteri per interpretem omnia peccata mortalia respondet *Suar. in 3 par. tom 4. disp. 36. sect. 6. nu.* 5. posse tunc pœnitentem confiteri per interpretem ea peccata, quæ cum minori infamia explicare potest, tacitis his, ex quibus notabilis infamia, vel sibi, vel alteri sequi potest, non enim in hoc casu tenetur facere confessionem materialiter integram, est enim hæc causa sufficiens, ad excusandum illum, & ita hoc satis esset ad recipiendum hoc Sacramentum, & consequenter ad subueniēdum saluti suæ, posset enim tunc ex attrito fieri contritus ita etiam *Fagundez præcep. 2. lib. 2. cap 6. num.* 8. *Diana par. 3. tract. 4 de Sac. resol.* 129. § *Sed difficultas.* Nu. 14

Quin immo *Coninch de Sacr disp. 5. dub. 10. num.* 77. in rigore putat, posse in tali casu confiteri aliqua peccata venialia, & generatim omnia mortalia, dicendo se confiteri alia omnia peccata, quibus Deum offenderit *ita etiam Molsesius in summ. tom 1. tract. 7. cap. 11. nu.* 12. licet consulendum sit, vt tali casu moribundus, omnia peccata confiteatur, cum interpres teneatur seruare sigillum, vti asserit *Diana loco supra citato* § *At plus* vbi hanc opinionem *Coninch. & Molsesij* probabilem existimat, quare cōcludit, quod si quis vellet confiteri aliqua venialia, & mortalia in genere, confessio esset valida. Nu. 15

An excusetur pœnitens ab obligatione confessionis quatragesimæ, quando non potest confiteri, nisi per scriptum, præsente tamen Sacerdote confessario, quia v.g. vel pœnitens est mutus, vel Confessor Surdus, & non potest se alijs nutibus ipse pœnitens explicare, & certa hac de re, opinio est pro vtraque parte, & licet *Fagundez præcep. 2. lib 1. cap. 6. num.* 10. *& Suar. tom. 4. disp. 36. sect. 6. num. 7. & alij* asserant in tali casu non excusari, & consequenter docent teneri quemlibet pœnitentem ex vi præcepti Ecclesiastici confessionis annualis confiteri per scriptum, quando aliter non potest, præsente tamen Sacerdote, non autem absenti. Nu. 16

L 2 Ta-

Nu. 17 Tamen opinio excusans,mihi magis placet,quia modus confessionis ab aduersarijs assignatus,est de se publicus, est enim scriptura de se publica, vnde exponit se pœnitens probali periculo amittendi scriptum,& quamuis non se exponat,vt aliqui asserunt, quia statim potest rumpi,tamen ille modus confitē di,est de se,& natura sua publicus, nemo tenetur sic publice confiteri,ne periculo infamiæ se exponat, non enim præcepta Ecclesiæ cum tanto rigore obligant *ita Sotus in 4.dist.18.quæst.2.ar. 6.Fill.& alij apud* Dianam *par.3.tract.4. de Sacr.resol.128.S. At his non obstantibus.*

Nu. 18 Hactenus de confessionis conditionibus,nunc ergo dicendum superest, qui nam post baptismum sub præcepto teneantur, ad confitenda sua peccata mortalia alias non confessa, quod præceptum,duplex est,aliud diuinū, aliud ecclesiasticum, vt autem à diuino incipiamus de fide tenendum est, teneri omnes fideles,post baptismum præcepto diuino,ad confitenda peccata sua mortalia aliàs non confessa, statim ac perueniunt ad vsum rationis, *ita Suar. tom.4.disp.35 sect. 1. asser. 1. num. 4. & sect 2.num.5.qui colligit hanc sententiam ex Trid.sess.14.cap 5.& can.7.* Fagundez *precep.2.lib.1.cap.1.num.1.& cap 2. nu. 3.*qui quidem vsus rationis, vt plurimū est completo septennio, vt asserit *Turllench. apud Barb.in Trid sess. 14. cap. 5. num.21.*in quo quidem septennio,licet incurratur peccatum mortale, tamen non incurritur in censuras,quia in has, & in irregularitatē decēnto cōpleto incurritur, vt communiter asserunt Doctores.

Is autem,vsum rationis habet, quando peruētus est ad eam ætatem, in qua inter bonum,& malum discernere potest,& præcipue tunc dicitur,quis habere vsum rationis,quando ex cognitione mali,quod committit discernit esse Dei offensam, & mereri pœnas inferni *vide Fagundez loco supra citato num. 3.*

Nu. 20 Ex dictis iam manifeste patet, solum fideles baptizatos,teneri ex præcepto, non solum diuino, sed etiam Ecclesiastico,non autem infideles,ad confessionem *ita Fagundez num 4.Barb de offic.& potest.Parochi par.2.cap.19.nu.* 18.*Suar. tom.4. disp. 35.sect.2.num.2.*cuius ratio est quia cum Infideles sint,extra Ecclesiam non tenentur ad confessionem ex Ecclesiastico præcepto,*iuxta illud Pauli de his,qui foris sunt nihil ad nos*:item Ecclesia non potest obligare, suis præceptis,non subditos,hi autem, qui non dū per ianuam Baptismi,Ecclesiam ingressi sunt,non sunt subditi ipsius Ecclesiæ, ac proinde ipsius præceptis ecclesiasticis obligari non possunt.

Item neque ex diuino,infideles ad cō fessionem obligantur, quia obligatio, ad præcepta singularia sacramentorū, consurgit ex professione fidei, quæ per Sacramentum Baptismi fit, ita etiam vltra supradictos citatos auctores *Sotus in 4.dist.18.quæst.1.art.3.concl.1.*& probari potest ex defectu materiæ,quia, & si infideles grauissima habeāt ante Baptismum peccata mortalia,tamen huiusmodi peccata mortalia commissa, ante Baptismum,non sunt materia huius sacramenti confessionis, sed sunt propria materia ipsius Baptismi, cum per illud deleantur, ac remittantur, ita etiam quomplures. Nu. 21

Quare iterum manifeste, patet hominem in venialibus tantum existentem, ad annos discretionis peruenientem,nō teneri ad confessionem, neque ex iure diuino, neque Ecclesiastico, patet primo quia iam præsupponitur esse in gratia,vnde nullo indiget Sacramento, ad liberandum à mortali, secundo quia venialia peccata,ex iure diuino, nō sūt necessaria materia,neque ex iure ecclesiastico, quia Ecclesia mutare non potest,sacramētorum materiam, ita inter alios *Fagundez præcep.2.lib.1. cap. 2. nu. 8.vbi num.9.*aduertit ratione scandali, teneri huiusmodi hominem adire, ad suum Parochum,& Pastorem, & obsēdere se,esse absque conscientia peccati mortalis, & deinde sumat in Paschate Eucharistiam,ita etiam *Barb. de off. & potest.Parochi cap.19.num.19.*vbi habet Imperatorem,& Reges,de iure suis Presbiteris Parochialibus, teneri confiteri; de Summo vero Pontifice, communis omnium fere sententiam est, illum ad huiusmodi præceptum obligari,quo ad vim directiuam,non vero quo ad pœnas, Nu. 22

nas, & vim coactiuam.

Nu. 23 Quo tempore obliget hoc præceptum, præcise vt diuinum est, Respōdeo dicendum, confessionem directe proprie, & per se, & ex vi intrinseca ipsius diuini præcepti, solum obligare in articulo mortis, si ante impletum non sit, vt ait *Suar. tom. 4. disp. 25. sect. 3. num. 3.* & quando datur conscientia peccati mortalis, & etiam aliàs quando datur copia confessarij, & est morale periculū, nunquam amplius, posse in tota vita cōfiteri, ex defectu confessarij, si modo occasionem omittat, vt ait Fagundez *præcep. 2. lib. 1. cap. 1. num. 6.* cuius ratio est, quia hoc præceptum affirmatiuum obligare debet, saltē in extremo periculo, seu potius articulo necessitatis, qualis maxime est articulus mortis, tum etiā, quia hoc præceptum impleri debet, in hac vita, ergo ante mortem, ergo vt minimum, in articulo mortis.

Nu. 24 Intelligitur autem per articulū mortis, non solum ille articulus, in quo quis moritur, sed etiam in quo mors probabiliter timetur *ita Fagundez num. 7. vbi num.* 8. ait aliunde tamen non per se, sed per accidens obligare hoc præceptum, extra articulum mortis, in aliquibus casibus, quatenus diuinum est. Primus quoties sumenda est Eucharistia, tunc enim si conscientiam peccati mortalis habemus, tenemur ex diuino pręcepto, præmittere confessionem, modo adsit copia confessarij. Secundus casus, quoties credit se aliter, non posse euitare certum aliquod peccatum in particulari, nisi præmittat confessionem, verum de his, & alijs casibus *apud* Fagundez, *& Suar. tom. 4. disp. 35. sect. 3. vbi sect. 4.* ait huiusmodi diuinum præceptum, per confessionem nullam, non impleri; impleri autem per confessionem validam. An hoc præceptum impleatur, per confessionem validam, & informem in sententia eorum, qui asserunt non dari cōfessionem validam, & informem, cessat dubium; in opinione vero eorum, qui concedunt dari, resolutio tamen sit, impleri, quia per huiusmodi confessionem validam, & informem, impletur actus præceptus, quo ad substantiā eius, quod autem finis præcepti, scilicet hominis iustificatio, non obtineatur, non obstat, quia finis præcepti non cadit, sub præceptum, sed apud Suar. & Fag.

Nu. 25 At vero de iure Ecclesiastico, est necessaria confessio semel in anno, qui quidem annus incipit, à die commissi peccati mortalis, vti asserit *Magister meus P. Ioseph Augustinus in suis manu scriptis:* verum secundum vsum Ecclesiæ, incipit à tempore Paschatis, & hoc propter communionis præceptum *vide Fagundez præcep. 2. lib. 1. cap. 3. nu 2. & 5. Suar. tom 4. dist. 36. sect. 3. nu. 3.* Barb. *in Trid. sess. 14. cap. 5. & de off. & potest.* Parochi *par. 2. cap. 19. num.* 18. vbi aduertit Parochianos teneri, proprio Sacerdoti, scilicet suo Parocho, aut saltem cum eius licentia, alieno confiteri semel in anno, nempe in quatragesima, aut Paschali tēpore *vnde Berl. lib. 3. de pęn. cap. 4.* ait confessiones Parochianorum extra quatragesimam esse liberas, in quatragesima vero esse præcepto iussas, ad quod quidem præceptum Ecclesiasticum, tenentur omnes vtriusque sexus fideles vti ait Fagundez *num.* 2. *Suar. sect. 2. nu.* 1. & tenentur statim post perfectum vsū rationis ita Fagundez *num.* 12.

Nu. 26 Quare si quis confitetur in Paschate, & omittat aliqua peccata mortalia necessaria ad confitendum, si malitiose illa omittat, tenetur iterum confiteri, aliàs incurrit in peccatum mortale, contra præceptum Ecclesiæ de annua confessione *vnde* Fagundez *præcep. 2. lib. 1. cap. 4. num.* 5. habet non impleri præceptum de annua confessione per confessionem inualidam, & sacrilegam, ex parte pœnitentis, & culpa illius factam, & sic non euadere pœnitentem excommunicationem ipso facto impositam, in constitutionibus synodalibus, nec cęteras iuris synodalis pœnas impositas his, qui hoc præceptum non implent, at vero si non malitiose, quia scilicet oblitus est illorū, tunc non tenetur statim illa confiteri, antequam fineatur tempus annuæ cōfessionis, sed potest expectare annum sequentē *ita Sotus in 4. dist. 17. quæst. 1. ar. 4. Fag. præcep 2. lib. 1. cap. 4. num.* 17. *Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resolut.* 124. quia Ecclesia obligat tantum ad confitenda omnia peccata commissa, eo anno, quantum memoriæ occurrunt, adhibita sufficienti diligentia, sed qui taliter

ter

ter confessus est, satisfacit præcepto, ergo non tenetur iterum confiteri, vnde non manet obligatus nisi vsque ad sequẽtem annum quare *Suar. tom. 4. disp. 36. sect. 4. num. 6. fine* ait hanc sententiam videri in praxi satis securam, & vsitatam, & oppositam esse nimis rigorosam.

Nu. 27 Vnũ quæso velim notetis, quoties cõfessio fit de venialibus tãtũ, debere pœnitentem habere dolorem, saltem de vno tantum, secus committeret sacrilegiũ, quia facit iniuriam Sacramento: nam non affert materiam proximam Sacramenti, quæ est peccatum cum dolore, & proposito firmo, non amplius committendi illud *ita Fag. præc. 2. lib. 2. cap. 1. num. 13.* & idem dic cum quis confitetur peccata mortalia aliàs confessa, quæ semper pœnitens potest confiteri, sed semper debet habere nouum dolorem de illis, quia quoties facit nouam materiam de illis, toties tenetur ex præcepto diuino positiuo, facere nouam materiam proximam, quæ est dolor, cũ proposito non amplius committendi illa *ita Fagundez nu. 14.* vbi etiam habet in nullo Sacramento posse formam sæpius cadere super eãdem materiam proximam, quamuis possit super eamdem remotam, sicuti sunt peccata mortalia aliàs confessa, id quod confirmat exemplo aquæ, nam ex eodem numero aqua, possunt multa confici baptismata, quia licet aqua, quæ est materia remota sit eadẽ numero, ablutio tñ, quæ est proxima materia potest esse diuersa, sic in confessione licet peccata, quæ sunt materia remota confessionis, sint eadem, tamen, confessio, accusatio, & dolor, quæ est materia proxima, est diuersus, & sic non cadit simpliciter absolutio super eamdem materiam proximam, cadit tamen super eamdem materiam remotam, quod nullum est inconueniẽs, quare iam vides, semper requiri nouum dolorem, & hæc de confessione, vt autem tertiam Sacramenti pœnitentiæ partẽ explicemus.

QVAERES TERITO.

Quid dicendum de tertia Sacramenti Pœnitentiæ parte, quæ satisfactio vocatur.

Explicatis hactenus duabus partibus confessionis, pertinentibus ad materiam proximam, & remotã illius, superest, vt de tertia, quæ est satisfactio agamus. Satisfactionem igitur à Sacerdote impositam, in ipsa confessione, virtute clauium, atque adeo satisfactionẽ Sacramentalem, de qua non est dubiũ, esse partem materialem Sacramenti Pœnitentiæ vt docet *Suar. tom. 4. disput. 38. sect. 1. num. 2. & patet ex Trid. sess. 14. can. 4. vbi si quis negauerit ad integram, perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitentem, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, scilicet contritionẽ, confessionem, & satisfactionem, quæ tres partes dicuntur, &c. anathema sit* hanc igitur satisfactionem, dico esse recompensationem præteritæ culpæ, quoad pœnã de qua loquitur *Fagundez præcep. 2. lib 9 cap. 1. num. 2.* quæ quidem satisfactio est pro pœna temporali, non autem æterna, quæ consistit in priuatione visionis beatificæ, & remittitur per Sacramentũ Baptismi, & Pœnitentiæ: at vero pœna temporalis, quæ consistit in pœna sensus, non semper totaliter remittitur, per Sacramentum Pœnitentiæ, sed iuxta proportionem contritionis, & maioris, vel minoris doloris, quem habemus. Maneat igitur satisfactionem, esse recompẽsationem offensæ præteritæ, quo ad pœnam sensus, vt *patet ex Trid. sess. 14. cap. 8. vbi can. 13. habet satisfactionẽ, quæ pro peccatis debetur fieri posse per ieiunia, orationes, elemosinas, & alia pia spiritualis vitæ exercitia*, & hanc satisfactionem ait Fagundez dupliciter posse fieri, vel extra Sacramentum ex opere operantis, vt per elemosinas, ieiunium, orationes, &c. vel per sacramentum Pœnitentiæ ex opere operato.

Nu. 2 De hac igitur satisfatione, quæ fit per Sacramentum Pœnitentiæ ex opere operato, quærimus an sit pars essentialis, an integralis huius Sacramenti Pœnitẽtiæ, & relictis aliorum opinionibus. Dicendum puto hãc partem, esse integralem, nõ autẽ essentialem, patet primo, quia hæc pars non ordinatur ad primarium effectum huius sacramenti, qui est remissio culpæ, sed ad secundarium, qui est remissio pœnæ temporalis, vnde cum satisfactio Sacramentalis, ad hunc

secun-

secundarium effectum ordinetur, non est difficile intelligere, minime esse de necessitate simpliciter,& essentia huius Sacramenti: Item hoc Sacramentum vere perficitur,& absoluitur, & gratiā confert ante satisfactionem expletam, sed nulla res perficitur absolute, quo ad suam perfectionem essentialē, sine suis partibus essentialibus, maneat igitur satisfactionem non esse de essentia huius Sacramenti *ita Suar. tom. 4. disp. 38. sect. 1. num. 3. Fag. præcep. 2. lib. 9. cap. 3. nu. 1.*

Nu. 3 Neque dicas id quod aliqui asserunt *apud Suarium, & Fagundez locis citatis* nempe ante expletam satisfactionem,& cum pœnitens accedit ad confessionē, habere hanc satisfactionem, pœnitentē in voto,& hoc modo esse essentialem, non inquam hoc dicas, quia in primis sub dubio est, an hoc propositum,& votum necessarium sit, secūdo quia interdum potest perfici hoc Sacramentum, nulla satisfactione imposita, vt esset si quis statim emoriatur, vel tantum habeat culparum dolorem, vt prudenter iudicet Confessarius, illum sufficere ad totam pœnam temporalem remittendam *hec Fag loco supra citato num. 1.* qui communem, totam hanc doctrinam vocat.

Nu. 4 An vero sit de necessitate præcepti, tam ex parte Confessarij, quam pœnitentis eam satisfactionem pœnitenti imponere,& licet varij varia dicant, circa hanc difficultatem, tam sunt nonnulli, qui asserant, etiam post Tridentinum pœnitentem non teneri acceptare iniūctam à Confessario pœnitentiam, cuius rationem reddunt, quia peccator in hac vita non tenetur satisfacere, pro pœna temporali,& ideo potest eam remittere, in Purgatorium, ac proinde non tenetur, quo ad hoc obedire Iudici, & Cōfessori, id præcipienti. Alij vero docent pœnitentem, non respuētem omnem pœnitentiam, sed aliqualem, licet paruam, vt vnum Pater noster, v. g acceptantem, non esse a Confessario, sine absolutionis beneficio, dimittendum, quos citatos inuenies apud *Dianā par. 2. tract. 15. & mis. 1. resol. 52. & par. 3. tract. 4. de Sacr resol. 51.*

Nu. 5 His tamen non obstantibus, dicendum censeo, Confessarium, teneri hanc pœnitentiam, & satisfactionem imponere per se loquendo, exceptis non nullis casibus de quibus infra; cuius ratio est, quia satisfactio, est pars huius Sacramenti,& confessarius tenetur integrū facere Sacramentum,& quia gerit vicē Iudicis,& Medici, & vt medicus tenetur curare vulnera pœnitentis,& vt Iudex tenetur seruare equalitatem, arbitrio suo, necessariam imponendo maiorem, vel minorem pœnitentiam, & satisfactionem pro qualitate criminum dispositione,& pœnitentis contritione, *vt ex Trid. sess. 14. cap. 8. habetur his verbis. Debent ergo Sacerdotes domini, quantū spiritus & prudentia suggerit pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones, iniungere, ita etiam Suar. in 3. par. tom. 4. disput 38 sect. 3. num. 1.* vbi concludit. Vnde colligitur, hanc obligationem ex genere suo, esse grauem, cum ad integritatem Sacramenti, & religionem Deo debitam pertineat, & hanc sententiam docuit etiam *Fagundez præcep. 2. lib. 9. cap. 3. num. 8. vbi fine* etiam concludit, hanc obligationem ex parte Confessarij, esse mortalem, ob rationem supra tactam, cum impositio pœnitentiæ,& satisfactionis pertineat, ad integritatem Sacramenti, ita etiam tenet *Barbos. in Trid sess. 14. cap 7. num. 2.*

Sunt tamen aliqui casus, in quibus licitum est Pœnitenti abstinere, absque iniuncta pœnitentia, & satisfactione, Nu. 6
quorum Primus est in mortis articulo, satis enim est tunc contritio, & dolor morbi loco Pœnitentiæ, conueniens, tamen est, vt in eo articulo breuis saltem oratio, aut percussio pectoris a Confessario penitenti imponatur, vel saltem, vt si conualuerit impleat hanc, vel illā Pœnitentiam *ita Fagundez præcep. 2. lib. 9. cap. 3. num 9.* Secundus casus quando scrupulosus homo sæpius intra horam aduenit cum nouis culpis, vt sæpe absol uatur *ita Fagundez loco supra citato quam quam Bauny apud Dianam par. 6. tract. 7. resol. 6.* asserat imponendam esse Pœnitentiam, cum satisfactio sit vna ex partibus Sacramenti Pœnitentiæ, & *Bonac. apud eumdem Dianam loco citato* tenet posse,& melius Confessarium iniungere Pœnitentiam iam alias iniunctam, nam

nam opus aliàs debitũ potest in Sacramentalem Pœnitentiam iniungi. Tertius si forte credit Confessarius, Pœnitẽtem ob vehementissimam contritionẽ, integre Deo satisfecisse *ita Fagundez loco supra citato num 9.* vbi fine reddit rationem quia non est de integritate huius iudicij,& Sacramenti,vt imponatur Pœnitentia,sed solum quando intelligitur durare reatus pœnæ,& Pœnitẽs dignus pœna iudicatur.

Nu. 7 Vnde *Suar. tom. 4. disp. 38. sect. 3. num. 4* assignans hunc casum quando scilicet Confessor ex signis intelligit Pœnitentem integre satisfecisse,pro peccatis suis,fatetur tamen,inquit,raro posse constare Sacerdoti de sufficienti satisfactione iam facta,& ideo consultius esse aliquam,vel leuem satisfactionem imponere,quod etiam in primo casu fere sẽper seruare potest,si Pœnitens percipit, nam saltem potest vel semel proferre nomen Iesu,vel aliquem bonum motũ elicere hæc optime *Suar.*

Nu. 8 Aduertas tamen regulariter, teneri Confessarium, hunc Pœnitentiam imponere vti asserunt *Suar. & Fagundez locis supra citatis*,non tamen semper nam aliquãdo expediet aliquam, vel aliquas per modum consilij iniungere, non autem per modum præcepti obligantis, ad mortale,vt si hoc feceris,tibi seruiet, in satisfactionem, & hæc satisfactio est vere sacramentalis,licet fortasse minoris sit efficaciæ,quam, quæ imponitur sub præcepto *ita Fagundez num. 11.* vbi fine concludit,quod licet aliqui asserant debere Confessarium saltem aliquod imponere, de præcepto, tamen fatetur *cum Suario, & Henriq.* posse prædictum Confessarium imponere de consilio, non de præcepto,vel totam,vel partem Pœnitentiæ arbitrariæ, quare iam vides in secundo casu de scrupuloso, melius esse imponere aliquam Pœnitẽtiã, licet aliàs sit imposita.

Nu. 9 Et licet huiusmodi Pœnitentia imponi possit,tam ante,quam post sacramẽtalem absolutionem,vti tenent *Nau. & Bon apud Barb. in Trid. sess. 14. cap. 8. nu. 2.* vbi refert sententiam Fernandez, qui rectius credit, ante imponendam esse, sed quoquomodo imponatur,illud certum est, huiusmodi satisfactionem Sacramentalem, habere aliquem effectũ, ex opere operato *ita Suar. tom 4. disp. 38. sect. 2. num. 1.* vbi *num. 2.* habet propriũ, & maximum indubitatum effectũ, ex opere operato,huius satisfactionis, esse remissionem,alicuius pœnæ tẽporalis, præter illam,quæ respondere posset, ex opere,seu merito operantis, *ita etiam Fagundez præcep. 2. lib. 9. cap 3. num. 4.* vbi *n. 5. §. Secunda sententiam* habet hunc effectum non produci,nec conferri,nisi impleta tota satisfatione imposita, à Confessario,& hanc sententiam videtur docere *Suar. loco supra citato num. 4.*

Hic vero,etiam quæri potest, an si quis pœnitentiam à confessario impositam impleat ante,quã absoluatur, quod olim fieri solebat, & nũc interdum fieri potest,ad maiorem expetientiam pœnitentis emendationis;an inquam statim habeat,suum effectum,ex opere operato,supposito,quod pœnitens per contritionem,& gratiam sit dispositus: ad hoc quidem Quæsitum,respondet *Suar. loco supra citato num. 5.* non habere hunc effectum,ante datam absolutionẽ, & reddit rationem,quia Sacramentum, non habet, suum effectum ex opere operato,antequam perficiatur,perficitur autẽ per formam,vt patet in alijs Sacramentis:patet etiam secundo, quia hic effectus secundarius remissionis pœnæ tẽporalis, coniunctus est alteri principali, qui est remissio culpæ, sicut ergo non remittitur culpa,ante absolutionem,ita nec remittetur pœna temporalis, ex opere operato,ante illam. Nu. 10

Tamen animaduertendum esse puto, posse satisfactionem aliquam, ita pro portionatam esse peccatis confessis, vt illa imposita,& expleta,totus reatus pœnæ temporalis remittatur,& patet quia cum hic reatus, sit finitus potest adequari,per finitam satisfactionem: vnde fit, vt interdum possit satisfactio excedere reatum pœnæ,interdum vero potest esse, tam remissa, vt pœnam adequari non possit,& tunc non carebit effectu remissionis sibi proportionato *ita Suar. loco supra citato num. 7. Fagundez loco etiã supra citato num. 7.* Nu. 11

QVAE-

QVAERES QVARTO.

Quod vero dicendum de Pœnitente: an teneatur satisfactionem impositam acceptare, & acceptatam implere.

Nu. 1 ET licet de Pœnitente, iterum alibi suo in loco sermo erit, tamen hic occasione desumpta, ex acceptatione pœnitentiæ, quæ ex parte pœnitentis se tenet, de pœnitente loquentes, Dicendum existimamus, Pœnitentem teneri satisfactionem impositam acceptare, & acceptatam implere, cuius ratio est, quia pœnitens reus est, & tenetur acceptare satisfactionem impositam à Confessario, qui tãquam iudex potest obligare subditum, vt satisfactionem impositam acceptet, & illam impleat, & ille tenetur obedire, & hæc obligatio, est de se grauis, & mortalis, nisi ex leuitate materiæ, constet esse venialem, vt infra dicemus, vnde *Victoria apud Fagundez præcep 2 lib 9.cap.3.num.* 12. existimauit hanc opinionem esse de fide cum aperte eam doceat *Trid. sess.* 14. *ca.* 8. *his verbis Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pænitentiũ salute, & facultate, salutares satisfationes iniungere, ne si forte peccatis conniuerant, & indulgentius cum pænitentibus agant leuissima quadam opera, pro grauissimis delictis iniungendo, aliorum peccatorum participes fiant ita etiam Suar. tom.* 4. *disp.* 38. *sect.*7.*num.*4. qui etiam affirmat teneri pœnitentem pœnitentiam acceptatã, si grauis est sub mortali implere vnde *Diana par.*3.*tract.*4. *de Sacramentis*, sequens etiam hanc opinionem, ait non esse absoluendum pœnitentem, qui nõ vult acceptare pœnitentiam, vbi pro se citat *Comitolum, & alios quin imo Nugnus in* 3 *par. tom.*2.*quæst.*15.*artic.* 1. *& quæst.*13.*ar.*2.*diff.*2.*concl.*1. improbabilem negantem sententiam iudicat *vnde Vasq. in* 3.*par. tom.*4.*quæst.*94.*artic.* 2. *dub.*1.*num.*5. de fide hanc sententiam definitam esse existimat *sicuti, & Victoria loco supra citato apud* Fagundez.

Nu. 2 Vnde *Suar. tom.*4.*disp.*38 *sect.*7.*nu* 4. habet hanc opinionem, non tantũ procedere, in annua confessione, sed etiam in quacumque alia, quæ voluntarie fit, præsertim si sit de materia necessaria, quia eadem est ratio, de integritate iudicij, & Sacramenti.

Quamquam *Reg in praxi tom.* 1. *lib.* 7.*cap.*2.*num.* 15. asserat Pœnitentem nõ respuentem omnem pœnitentiam, sed aliqualem, licet paruam, vt vnum Pater noster, &c. acceptantem, non esse à Confessario, sine absolutionis beneficio dimittendum, & hoc etiam confirmãt *Homobonus, Molfesius, & alij apud Dianã par.*2.*tract.*15.*resol.*51.§. *Notandum est.* Nu. 3

His tamen non obstantibus, non defuerunt Doctores, qui post Concilium Tridentinum contrariam docuere sententiam, vt videre est *apud eundem Dianam loco supra citato* §. *His tamen, vbi Sotus in* 4.*dist.*20.*quæst.*2.*artic.*1. *Zerola in praxi pænitentiæ cap.*25 *quæst.*9. *Villal. & alij etiam post Concilium Trid.* probabilem vocant hanc opinionem, cuius rationem reddunt, quia peccator in hac vita non tenetur satisfacere pro pœna temporali, & ideo potest eam remittere in Purgatorium, ac proinde non tenetur, quo ad hoc obedire Iudici, ac Confessori, id præcipienti vnde *Faber apud Dianam par.*3.*tract.*4.*de Sacr. resolut.* 51. etiam probabilem existimat hanc opinionem, & cum Pharaoneo etiam hic citato, probat, quod si Pœnitentia sit satisfactoria, & non medicinalis, seu præseruatiua, posse Pœnitentem illam non acceptare, modo habuerit animum satisfaciendi, vel in hoc sæculo, per indulgentiam, & bona opera, vel pœnas Purgatorij, quia non adest præceptum de acceptanda tali Pœnitentia, addit tamen Faber, quod licet hæc opinio sit vera; tamen in praxi non est de facili ponenda in vsu, cum difficile sit, inuenire aliquem vere pœnitentem, qui bona fide confiteatur, adeò saxeum, vt nolit, vel tantillum Pœnitentiæ acceptare, Proinde si quis accederet, qui nollet, vel exiguam pœnitentiam acceptare, esset multum considerandum, an haberet verum dolorem, & esset bene dispositus, ac proinde ex hoc capite, esset reiciendus, nõ autem quia teneretur ad acceptandam pœnitentiam. Quod si constaret probabiliter, vere pœnitentem, & saltem attritum, neque enim ex hoc ca Nu. 4

M pite

pite præcise, quod non vult acceptare pœnitentiam, est in peccato mortali, quia conteritur de peccato, & vult puniri ab eo cuius est pœnam iuste infligere, certe non esset dimittendus, sine absolutione *ita Faber*, & hanc opinionem probabilem putant etiam quomplures apud Dianam hac igitur relata tanquã probabili opinione.

Nu. 5 Adhuc retenta prima opinione, si ob mortalia peccata, leuis imponatur à cõfessario pęnitentia, vt fit quoties Pœnitens est infirmus, aut tempore iubilei, in quo alia opera, & actiones satisfactoriæ præcedere solent, aut si ab eis peccatis fuerat pœnitens iam indirecte absolutus, & illorum oblitus fuit, & inde in quocunque casu, in quo leuis pœnitentia pro grauioribus culpis imponitur existimat *Henriq apud Fagundez præcep.2 lib.9 cap.3.num.14.* non obligare sub mortali, quia in his casibus potest Confessarius, habere sufficientes, & rationabiles causas iudicandi eam pęnitentiam ad modum leuem, tunc sufficere, & causæ esse possunt, vel nimia patientia, & tollerantia pœnitentis, vel magnus dolor illius, aut conscientię timor, semper enim præsumendum est pro Iudice.

Nu. 6 Quid vero dicendum, si Confessarius pro mortali imponat leuem pęnitẽtiã, & in ea intendat sub mortali obligare, aut voluntarie omittat imponere pœnitentiam in confessione peccatorum tantum venialium, an peccet mortaliter.

Nu. 7 Ad primum respondet *Fagundez præcep.2 lib.9.cap.3 num* 15. quod si confessarius explicet, & intimet, & licet leuis sit pœnitentia, tamẽ si intendit sub mortali obligare, tunc pœnitens sub mortali obligatur, secus autem si non intẽdit sub mortali obligare: vnde sunt nõ nulli, qui dicunt, sic limitãdos esse eos, qui asserunt pęnitentiam impositam pro venialibus, non obligare sub mortali, quasi velint communiter, confessarios, id non intendere, secus vero si id intẽdãt, aut si ob eadem venialia magnam pęnitentiam iniungant.

Nu. 8 Ad secundum *quamquam Suar. tom. 4 disp.38.sect. 3. num.* 1. affirmatiue videatur respondere, ait enim per se loquẽdo teneri Confessarium, satisfactionem imponere, vnde tandem concludit, hanc obligationem ex genere suo grauem esse cum ad integritatem Sacramenti, & religionem ei eo debitam pertineat, & hanc sequutus sententiam *Reg in praxi tom. 1.lib 7. cap. 2. num.* 12. ait non esse dubium, quin Confessarius, sub graui peccato teneatur, aliquod sẽper in satisfactionem imponere, debenti, ac volenti eam implere, quando quidem reddit alioqui Sacramentum mutilum, truncata vna ipsius parte. Tamen ait *Diana par.6.tract.6.resol.44.§. Sed licet*, quamquam obligatio imponendi pęnitentiam sit, ex genere suo grauis, posse tamen aliquando, ex paruitate materiæ, in eius omissione adesse, tantum peccatum veniale, vt si pęnitentia leuis deberet imponi ob peccata aliqua venialia, vel sæpe iam confessa, tunc enim Sacerdos, non peccaret mortaliter, si seclusso contemptu, non imponeret vllam pęnitentiam citat pro hac sententia, quæ nobis magis placet Lugonem.

Nu. 9 Verum si quæras, an pœnitens quando Confessarius vult pęnitentiam imponere, si illam acceptare nolit, nec absolutionem ab eo Confessario recipere, sed alium velit Confessarium adire, cui de nouo sua peccata aperiat, à quo absoluatur, possit Sacramentum inchoatum relinquere, respondet *Suar. tom. 4 disp. 38.sect.7.num.*4, quod si reuera Confessarius nullam moralem vim inferat, sed conuenientem satisfactionem imponat, non esse absolute liberum, nec licitum pęnitenti Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis iustum iudicium, cui iam semel se subdidit. Cõfessores tamen in hoc non debent esse nimis difficiles, sed accommodari oportet fragilitati pęnitentis, & leuiores illis pęnitentias imponere, si grauiores ille acceptare nolit, præsertim quando non est aperta eorum malitia, & medicinæ necessitas, in futurum non vrget, & ita fiet, vt moraliter vix possit fieri magna dissensio, inter Confessorem, & Pęnitẽtem, si vterque licite, & iuste suo munere fungatur *ita etiam Fagundez præcep.2. lib.9.cap.3 num* 18.

Nu. 10 Quare iure optimo *Barb. in Trident. sess.14.cap.8. num.* 3. dixit pęnitentem teneri pęnitentiam tolerabilem, & hu-

manæ

manæ fragilitati accōmodatam acceptare,& acceptatam adimplere,nisi adsit rationabilis causa,non acceptandi.

Nu. 11 Quam quidem pęnitentiam,certum est teneri Pęnitentem implere tempore præscripto,à Confessario, si illud præscripsit:Quod si tunc illam nō impleat, tenetur etiam postea illam implere, quia semper etiam quando aliquando iniungitur in honorem diei præscripti, iniungitur in vindictam peccatorum confessorum.Si vero à Confessario nullum præscribitur tempus,implenda est quam primum moraliter commode possit *ita Diana par.5.tract.13.resol.37. & Hurtado apud Dianam tract.5 par.5. resol.15.* vbi habet non quamcumque dilationem impletionis pęnitentiæ esse mortalem,nisi sit nimia,seu grauis, vnde *Fernandez apud Dianam §.Nō desinū*, ait pęnitentem posse infra annum differre adimpletionem Pęnitentiæ, si aliter Confessarius ei non iniunxerit.

Nu. 12 Et si pęnitentiam impositam à Confessario Pęnitens impleat absque intentione,illam adimplendi,imo cum intētione contraria, illius non implendæ, adhuc non tenetur illam de nouo facere,vt esset si quis ieiunauit,vel officium defunctorum recetauerit ex deuotione, volens ieiunium,aut officium defunctorum pro pęnitentia à Confessario impositā,postea adimplere, adhuc non tenetur de nouo ieiunare,aut officium de functorum recitare *ita Sanch.tom.1.sū. me lib.1.cap.13.num.17.* vbi habet pęnitentiam sacramentalem iniunctam vere impleri, si opus iniunctum exequutioni mandetur,cum expressa intentione illius non implendæ,nec opus est vt mutetur ea intentio,sed satis est scire, per illud opus impletam iam esse, & ratio est,quia cum pęnitentia ex quodam Confessoris præcepto debeatur, & intētio non satisfaciēdi,minime impediat, quia vere præceptum impleatur vt asserit *Sanch.num.16.* manifeste deducitur id quod volumus, & hanc sententiam sequutus est *Lugo apud Dianam par.6. tract 6.resol.43.§.Sed vbi §.Hinc* infert, quod licet pęnitens in ieiunio non recordetur pęnitentiæ impositæ, adhuc satisfaciet ieiunando ex deuotione *ita etiam Diana.*

Et quamquam Pęnitenti Confessarius imposuerit pro pęnitentia ieiuniū, vel elemosinam disiunctim,& Pęnitens dederit elemosinam cum intētione, nō adimplendi pęnitentiam,per illam partem, sed ieiunandi postea,posset adhuc postea Pęnitens non ieiunare,quia reuera implet disiunctim,quod à Confessario impositum fuit,ieiunare,vel elemosinam dare,ita etiam *Sanch.loco supra citato lib.4.cap.13. num.40. Lugo etiam apud Dianam loco supra citato.* Nu. 13

Si vero quis petat,an Pęnitens possit à Confessario obligari, ad implendam pęnitentiam,antequam absoluatur respondet *Suar.tom.4.disp.38.sect.7. nu.7.* quod si id expedire iudicet Confessarius ad salutem,animæ Pœnitentis, id efficere poterit Confessarius,& Pœnitēs tenetur obedire,quia tūc potius agitur de condigna dispositione ad peccatorū remissionem,quam de satisfactione pro temporali pęna ita etiam *Fagundez pracep.2.lib.9.cap.3.nu.19.* Nu. 14

Aduertas autem,quod licet Pœnitētiæ pro peccatis, à Confessarijs in confessione iniungendæ, non sint determinatæ,sed arbitrio Confessarij moderandæ relinquantur,attentis criminum ,& delictorum circumstantijs, *vt docet Trident.sess.14.cap.8.& Barb.ibi num.2.* debet tamen Sacerdos curare, vt ipsa Pœnitentia sit præseruatiua in futurum. Vnde regulariter, potest Confessarius, pro pœnitentia imponere non solum omnia opera bona moralia, vt ieiuniū, eleemosinas,orationes,cilicia,præcationes,missas,Peregrinationes,& alia opera studiosa,de se afflictiua corporis, vt bis confiteatur v. g. in mense, ac communicet,& præcipue in peccatis carnalibus.Item iniungere potest pro pœnitentijs opera mere interna,vt actus cōtritionis v.g.orationem mentalem,meditationem aliquam,&c. vt optime docet inter alios *Fagundez pracep. 2. lib. 9. cap.5 à num.5. & sequentibus.* Nu. 15

Insuper Confessarius, imponere potest pro pœnitentijs, etiam opera aliàs debita,licet hoc non semper sit faciendum,vnde si esset nobilis vir, qui non esset assuetus in quatragesima ieiunare, prudens Confessarius,potest imponere ipsi,vt in aliquibus diebus quatragesimæ, Nu. 16

M 2

mæ, pro iniuncta satisfactione ieiunat *ita Suar. tom. 4. disp. 38. sect. 6. nu. 5. Fagundez præcep. 2. lib. 9 cap. 5. num. 8. Barb. in Trid. sess. 14. cap. 8 num. 4. Diana part. 3. tract. 4. de Sacr. resol 84. §. Sed contra, & alij apud hos.*

Nu. 17 Posse Pœnitentiam satisfacere Pœnitentem, dum missam audit, etiam de præcepto, v.g. recitare Rosarium, & audire sacrum die dominico, aut de præcepto, tenet *Sanch. tom. 1. summæ lib. 1. cap. 14 num. 11.* cuius ratio est quia, ambo tendunt ad Deum *ita etiam Gae. in summa verb. festi violatio Sotus in 4. dist. 19. quæst. 2. ar. 1. Suar. tom. 4. disp. 38. sect. 9 num. 5. Barb. in Trid. sess. 14. cap. 8. num. 4. Fagundez præcep. 2. lib. 9. cap. 5. num. 10. vbi fine.* reddit rationem, quia reuera, facit opus impositum, ad quod aliàs nō tenebatur, & quod incompossibile non est, cum auditione missæ.

Nu. 18 Quin imo probabile est, quod si Confessarius iniunxerit duas missas audire, posse Pœnitentem ex vno loco, illas audire, à duobus simul Sacerdotibus, diuersis altaribus *ita Marcerus Villal. Hurtadus apud Dianam par. 5. tract. 14. resol. 71.* nisi aliter à Confessario iniunctum sit, aut declaratum, quamquam *Tannerus* contrarium afferat dicens apud Dianam, quod si alicui imponatur à Confessario, pœnitentia audiendi duas missas, non satisfacere Pœnitentem si velit duas missas, simul tempore audire, a duobus Sacerdotibus, hoc enim esset contra intentionem Confessarij, qui communiter intendit, in hac pœnitentia imponere pœnitenti onus audiendi duas missas, diuersis temporibus, quin imo contra Turrianum plus addit *Faustus apud Dianam par. 5. tract. 14. resol. 52. §. Nota,* qui docet posse aliquem, etiam eodem tempore, tres missas audire, & satisfacere præcepto, voto, & pœnitentiæ iniunctæ, de audiendis tribus missis.

Nu. 19 An vero Pœnitens, qui in peccato mortali pœnitentiam iniunctam a Confessario implet, satisfaciat integritati Sacramenti, & obligationi impositæ ab eodem confessario, affirmatiue respondet *Suar. tom. 4. disp. 38. sect. 8. num. 1. Fagundez loco supra citato cap. 4. num. 2.* vnde Suar. habet hoc adeo esse verum, & si ipsum opus satisfactorium male fiat, ita vt ex aliqua circumstantia peccatū sit, posse sufficere, quia Confessor tantū præcipit opus, & non modum eius, ac proinde si imponatur ieiunium, & pœnitēs vel in quantitate excedat, vel in fine deficiat, si tamen formam ieiunij seruet, implebit præceptum sibi impositum.

Quamquam Fagundez cum quo (pace tanti doctissimi viri) assentior *nu. 3.* nullo modo approbet hoc quod superius affert *Suar.* quare si imponatur ieiunium a Confessario, pro prædicta satisfatione, & pœnitens tota die ieiunet, & postea nocte in quantitate, collationem excedat, ita vt ieiunium infringat, non satisfacere præcepto imposito, nec pœnitentiam implere, & reddit rationem, quia quoties Confessarius non explicat suam intentionem, credendum est, voluisse imponere præceptam pęnitentiā, eo modo, quo Ecclesia imponit præceptum ieiunij, tale, qu ale sufficiat, ad impletionem, præcepti ecclesiastici, per illud autem ieiunium, modo explicato à *Suario* non impletur præceptum Ecclesiasticum, ergo *hæc Fagundez qui num. 4.* ait quod si Pęnitenti constet Sacramentum fuisse inualidum, non teneri pænitentiam à Confessario in eo iniunctam implere, quia causa ob quam fuit imposita pęnitentia, fuit illa confessio; confessio autem inualida, non est confessio, ac proinde cessante causa, cessat effectus, maneat igitur, non teneri pęnitentem pœnitentiam implere, quoties confitetur, & Sacramentum est inualidum. Nu. 20

An vero pœnitentia impleta in peccato mortali, statim habeat suum effectum, ex opere operato, respondet *Suar. tom. 4 disp. 38. sect. 8. num. 3.* satisfationē impletam in peccato mortali, non posse habere effectum, ex opere operato, durante illo statu, quare huiusmodi pęnitētia, fortitur suū effectū, scilicet remissionem pœnæ temporalis, adueniēte charitate, & sublato obice *ita Suar. num. 5. Fagundez præcep. 2. lib 9. cap. 4. nu. 9. §. Tertia tamen sententia Barb. in Trid. sess. 14. cap. 8. num. 5.* Nu. 21

Tamen hac non obstante opinione, sunt, qui asserunt opus satisfactorium, quatenus est pars Sacramenti, & à confessario im positum remittere pœnam tem- Nu. 22

temporalem debitam pro peccatis dimissis per absolutionem Sacramentalē præcedentem,& hoc ex opere operato, etiam si in peccato mortali fiat,& rationem reddunt, quia si aliquid obstaret, quominus satisfactio Sacramentalis, in peccato exhibita, remitteret pœnam tẽporalem, aut hoc esset, quia homo in peccato mortali existens, incapax est remissionis pęnæ,& hoc non, quia ei, qui existit in peccato mortali, remitti potest pęna temporali, licet non possit remitti culpa aliqua mortalis, aut venialis, quod ex se patet cum nullum habeat inconueniens, nec etiam obstat prædictæ remissioni pœnæ, quod opus non est meritorium ex defectu hominis satisfacientis, qui debebat ad satisfaciendum esse in gratia, quia satisfactio, non operatur ibi per modum meriti condigni, sed per modum Sacramenti mortuorum, impetrando remissionem pœnæ temporalis, ergo ad hoc non est necessaria gratia. Dicendum est igitur, quod status peccati mortalis, non est obex remissioni pęnæ temporalis faciendæ media pœnitentia Sacramentali, ergo in eo statu causatur dicta remissio media pęnitentia in eo statu facta; consequentia patet quia Sacramentum,& pars Sacramenti operantur suum effectum in subiecto, non habente obicem, antecedens autem probatur, quia pęnitentia sacramentalis, non causat remissionem pęnæ temporalis, media infusione gratiæ, nec per modum meriti de condigno, quibus status peccati mortalis est obex, sed impetrādo illam à Deo, cui impetrationi non obest, quia peccator multa potest à Deo impetrare,& impetrat, hanc sententiam docuerunt *Vasqu. Mars. Med. apud Dianam part. 5. tract. 13. resol.* 38. & probabilem voco cum ipso Diana, sicuti non minus probabilem esse puto *Suarij* opinionem,

Tandem dubitabis, an peccat mor-
Nu. 23 taliter is, qui implet pęnitentiam iniun-
ctã in peccato mortali, quod enim peccet venialiter, videtur clarum ex dictis, quia recipit partem Sacramenti indigne,& opponit obicem effectui Sacramenti *ita Layman lib. 5. tract. 6. cap.* 15. *num.* 15. *& Suar. loco supra citato sect. 8. n.* 7. vbi concludit,& ita existimo practice loquendo hoc non esse peccatum mortale *ita etiam Fagundez loco supra citato num.* 11. *Barthol. à S. Fausto apud Barb. loco supra citato num* 5.& hanc opinionem communem vocat Diana *par. 6. tract. 6. resol.* 45. qui pro hac sententia citat Henriq. *Fill. Bonac. Reginaldum, & alios.*

Tamen Lug *de Sacr. Pœnitentia disput.* Nu. 24
25. *sect* 3. *num.* 32. asserit adimplere pœnitentiam in statu peccati mortalis, neque esse peccatum veniale, quia ponere obicem effectui remissionis pęnæ, non arguet culpam venialem, alioqui etiam esset peccatum veniale, audire missam in statu peccati, aut adesse in peccato, benedictioni Pontificis, quando conceduntur indulgentiæ, quia ponitur obex simili effectui, quod nemo dixerit. Multo ergo minus debet hoc dici, in nostro casu, in quo illud detrimentum postea resarcitur, cum sublato obice, habeatur totus ille effectus, quod in auditione missæ,& indulgentijs non contingit, praxis etiam fidelium hæc dicit, nam si alicui pro Pœnitentia detur recitare singulis diebus coronam, aut dicere vnum Aue v.g. quoties iurat, nemo dicet peccatum esse veniale, non constituere se in statu gratiæ, quoties dicit coronam, aut Aue illud *hæc Lugo*,& hæc de materia, tum remota, tum proxima Sacramẽti Pœnitentiæ.

QVAERES QVINTO,

Quid dicendum de Forma.

POst completam explicationem, ma Nu. 1
teriæ Sacramenti Pœnitentiæ aggressus sum explicare, eiusdem Sacramenti Pœnitentiæ formam, nam Sacerdos salutari imposita Pœnitentia dummodo nullum adsit impedimentum, tenetur Pœnitentem rite, ac debite dispositum absoluere, sub culpa mortali, aliter enim iniuriam illi, sine dubio inferret *ita inter alios* Fagundez *præcep.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 1.

Verum cum forma compositi duplex Nu. 2
sit, vna essentialis, altera integralis,& cũ Sacramentum Pęnitentiæ sit quoddam morale compositum, inde est quod duplicem habet formam, vnam essentialẽ,

quæ

quæ in his duobus tantum verbis consistit, nempe (Absoluo te) vti habet *Suar. tom.4 disp.19.sect.1. num. 24. Fagundez præcep.2.lib.2.cap 9 .num.4.* quamquam mortale sacrilegij peccatū sit, illa relinquere verba, (ab omnibus peccatis tuis) quia forma debet determinare materiam *ita Suar. loco citato num.21. Fagūdez num. 19.*

Nu. 3 Et licet particula (Ego) non sit de essentia formæ, vt asserunt *Suar. tom. 4. disp.19.sect.1. num. 17. Tol. lib. 3. summe cap 12. num.1. & alij* tamen si omittatur licet aliqui asserant, esse peccatum mortale sacrilegij, nisi in aduertentia excusset, *vti ait Fagundez præcep.2.lib.2.cap.9. num.4 fine* tamen alij habent esse peccatum veniale, id quod etiam dicunt, de signo crucis *vide Dianam par.5.tract. 5. resol.39. initio.*

Nu. 4 Integralis autem Forma, sunt omnes illæ deprecationes, tam antecedentes, quam subsequentes. Verum antequam tota absolutionis forma, conflata ex essentiali, & integrali assignetur, vt melius essentialis forma explicetur.

Nu. 5 Quæri potest, an si absolutio detur, per modū depræcationis, vel impetrationis. v.g in hunc modum absoluat te Christus, vel absoluatur seruus Christi, sit valida.

Nu. 6 Et quamquam aliqui asserant, hanc formam, esse validam, & illorum fundamentum est, quia in Baptismo hæc forma est valida, licet non sit licita, baptizet te Christus, vel baptizetur seruus Christi, ita & in Sacramento Pœnitentiæ, hæc erit valida, quamuis non licita *vnde Sotus in 4 dist. 3. ar. 5.* de hoc Sacramento, loquens expresse dixit hanc formam, esse validam, Absoluat, Te, Christus.

Nu. 7 Tamen non est recedendum, ab eorum sententia, qui asserunt hanc formā, per modum deprecationis datam, non esse validam, & sufficientem, cuius ratio est, quia absolutio danda est, per modū iudicialis sententiæ, forma autem deprecatiua, repugnat cum forma Iudicis, de essentia autem huius Sacramēti est, vt fiat per modum iudicij. Item iam ob stensum est, illa verba (Absoluo te) esse de essentia formæ confessionis, sed verba deprecatiua, non sunt æquipollentia in sensu, & significatu, ergo, &c. *ita Suar. tom.4. disp. 19 .sect.1. num 24. Diana par. 5. tract. 13. resol.34. initio Fagundez præcep.2. lib.2.cap.9.num.8.*

Notat autem *Fagundez num. 9.* eadē verba materialia, quæ proferri possunt, per modum deprecandi, posse etiam proferri, per modum imperandi, & in hoc sensu erunt in significatione equipollentia, illis verbis iudicialibus (ego te absoluo) vel absoluo te,) & cosequēter erunt sufficientia, ad valorem formæ, quia practice significant actum iudicialem, quo sensu valebit sine dubio illa forma absoluatur Petrus, vel absoluatur seruus Christi, vel absoluaris, si per modum imperandi proferatur, & in tali casu interrogandus est Confessor, quo sensu illa verba dixerit, & iuxta illius responsionem, de valore formæ erit iudicandum, & in dubio tutior pars est eligenda, & ideo erit repetenda absolutio, saltem sub condictione, si non es absolutus Ego te absoluo *ita Suar. loco citato.* Nu. 8

Sed quid de illis verbis, & formis iubeo hunc absolui, volo hunc absoluere, placet hunc absolui, vel absoluere, & de his, & similibus respondet *Fagundez loco supra citato num. 10. cum Suario loco etiam supra citato num. 24.* in rigore huiusmodi formas sufficere (quamuis præsumptuosum sit, & valde illicitum, & graue sacrilegium, illis vti) quia actus iudicia les significant, & in sensu, & significatione illis possunt esse equipollentia (Ego te absoluo) vel absoluo te.) Nu. 9

Et idem censet *Suar.* de illa forma Sacramentum absolutionis tibi do, tibi impendo, valida enim est, non licita, ita etiam *Sotus, & Gae. apud Suar. & Fagūdez loco supra citato nu. 11.* nā si in sensu formali accipiatur huiusmodi forma, æquipollet illis formaliter, & in significatione (Ego te absoluo) Nu. 10

Sed difficultas est, an Confessarius su pradictis verbis absoluendo, Pœnitentem peccet mortaliter; peccare mortaliter colligi potest *ex Fagundez loco supra citato* ait enim esse præsumptuosum, & valde illicitum, & graue sacrilegium illis vti *& Suar.* ait esse illicitum tamen *Hurtadus apud Dianam par.5. tract. 13. resol.34. §. Sed difficultas*, ait quamuis formа Nu. 11

ma absolutionis supradicto modo prolata, sit sufficiens ad valorem Sacramenti, illicite fiet si non proferatur modo iudicatiuo, quia erit contra consuetudinē Ecclesiæ, solo modo indicatiuo vtentis id tamen non erit peccatum mortale, sed veniale quia ea mutatio non est gravis, sed leuis ita ille.

Nu. 12 Vt autem, tota absolutionis forma conflata ex essentiali, & integrali habeatur, legi potest *Rit. Rom. de Sacramento Pœnitentia*, vbi sic eam tradit postquā Pœnitens ad absolutionem dispositus, & iniuncta ei prius, & ab eo acceptata salutari Pœnitentia dixerit, mea culpa, &c. quæ sequuntur in confessione generali, Confessarius dicat, misereatur tui, omnipotens Deus, &c. deinde dextera versus Pœnitentem eleuata, dicat Indulgentiam, absolutionem, &c. Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, te absoluo, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quantum possū, & tu indiges, deinde Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, † & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Posthæc retrahendo manum, dicat Passio domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris sint tibi in remissionem peccatorū augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Nu. 13 Animaduertendum tamen est, quod si Pœnitens sit laicus, omittendum est suspensionis nomen, cum laicus non sit capax huius censuræ. At vero si constaret, de aliqua particulari censura, particulariter exprimenda esset, dicendo absoluo te in primis à vinculo excommunicationis quod incurristi propter Clerici percussionem, & toties exprimenda, quoties committitur *vide Suarium tom. 5. disp. 7 sect. 9 num. 6.*

Nu. 14 In confessionibus autem frequentioribus, & breuioribus, omitti potest miseriatur, &c. & satis erit dicere: Dominus noster Iesus Christus, &c. vsque ad illud Passio domini, &c. *ita ex Rit. Rom. de Sacram. Pœnit.*

Nu. 15 Vrgente vero aliqua necessitate, & in periculo mortis, breuiter dicere potetit, Ego te absoluo, ab omnibus censuris, & peccatis, in nomine Patris, &c. *ita ex Rit. Rom de Sacram. Pœnit.*

Quare ex hoc collige, non esse sequēdam opinionem *Soti in 4. dist. 21. quæst. 1. ar. 1. vers. Postremum, in fine* vbi docet in repentina necessitate, essentiā' em formam absolutionis, consistere, tantū, in hoc vnico verbo (Absoluo) sine aliquo alio verbo antecedenti, vel consequenti, vnde habet, quod si quis tunc intenderet absoluere à peccatis confessis, imo, & à censuris id sufficere. Nu. 16

Verum ista sententia pace tanti viri est reicienda, primo, quia est contra *Trid. sess. 14. cap. 3.* vbi expresse apponit hoc pronomen, Te, item hoc non includitur, in verbo (Absoluo) sicuti includitur pronomen (Ego) tandem vtrumq; verbum, est necessarium ad significandum effectum, huius Sacramenti, nam sine verbo (Absoluo) non significatur actus iudicialis, & sine pronomine (Te) non significatur remissio peccatorum, practice declarando in particulari cui fiat, quod necessarium est, ad significationem sacramentalem, & sicut in forma Baptismi, est de essentia formæ, illud pronomen (Te) ego te baptizo, ita, & in absolutionis forma *ita Fagundez præcep. 2. lib 2. cap. 9. nu. 5. Barb. in Trid. sess. 14. cap. 3 num. 1.* vbi ait docere Sanctam Synodum, in hoc cap. Sacramenti Pœnitentiæ, formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse, Ego te absoluo, &c. Nu. 17

Collige secundo, hæc verba ab omni vinculo excommunicationis, suspēnonis, & interdicti, esse necessario dicēda, quando pœnitens habet censuras, secus, non esset absolutus, nam absolutio censurarum præmittenda est, absolutioni peccatorum quamquam secundum aliquos, si Confessarius absolueret Pœnitentem, habentem censuras, cum hac forma, tātum, (Absoluo te à peccatis tuis) habens intentionem absoluendi, prius à censuris, & deinde à peccatis valeret absolutio *ita Fagundez loco supra citato num. 16.* Nu. 18

At vero, si Confessarius obliuisceretur præmittere absolutionem à cēsuris, qua reuera Pœnitens indiget, si censuræ non sunt reseruatæ, sed quomodolibet non excedunt potestatem absoluentis Nu. 19

tis,& Confeſſarius abſoluat à peccatis, eo ipſo abſoluit etiam a cenſuris, quarũ abſolutio,implicite continetur in abſolutione à peccatis,& in voluntate abſoluentis,nam Confeſſarius habet intentionẽ, ſaltem virtualem,abſoluendi à cẽſuris,& virtualiter includitur in abſolutione à peccatis confeſſis, dum per actũ contrarium, formaliter non eſcluditur *ita Fagundez num. 16. fine.*

Nu. 20 Confeſſarius autem, tunc abſoluit à cenſuris,quando,vel ipſe habet priuilegium, vel Pœnitens ſcilicet Bullam Cruciatæ,aut iubileum lucratus eſt, ſi vero neuter habet,tale priuilegium, illa verba poſita in abſolutione ordinaria (Abſoluo te ab omni vinculo excõmunicationis,&c. intelliguntur, non ſolum pro abſolutione excommunicationis minoris, de qua non ſolum poteſt abſoluere Sacerdos,approbatus ab Ordinario,verum etiam,& ſimplex Sacerdos,ſi ſit incurſa ob peccatum veniale, quamuis ſic excommunicatus habeat peccatum mortale *ita Hurtadus apud Dianam par. 5. tract. 9. reſol. 3. §. Secundũ* Immo quilibet ſimplex Sacerdos, poteſt eam minorem excommunicationem abſoluere,quamuis ſit incurſa ob peccatum mortale, iudicat *Felinus, & Armilla apud Dianam*,quod non eſt omnino à ratione alienum ait *Hurtadus*, quia cum excommunicatio minor non exigat ad ſui incurſionem, peccatum mortale,non videtur exigere abſoluentem,potentem abſoluere,ab eo peccato mortali.

Nu. 21 Sed etiam intelliguntur illa verba,in abſolutione ordinaria appoſita, pro abſolutione maioris excommunicationis, nulli reſeruatæ, non ſolum nulli reſeruatæ à iure, vti non nulli aſſerunt, nam eo ipſo,quod cenſuram latam a iure ſuperior,à quo impoſita eſt, non reſeruauit,videtur eius abſolutionem commiſiſſe cuicumque, qui poteſt abſoluere à peccato,ob quod incurritur: verum etiam ſi,ſit generaliter lata ab homine ſed nulli reſeruata,quia cum abſoluendo ab hac excommunicatione non turbetur tribunal Iudicis illam ferentis,eo ipſo,quod eius abſolutio nõ reſeruatur, committi videtur cuicumque, qui poteſt abſoluere à peccato,ob quod incurritur *ita Hurtadus apud Dianam par. 5. tract. 9. reſol. 4. §. Sed ego verũ de his apud ipſum.*

Si vero quis confiteatur, in periculo mortis conſtitutus, abſoluendus eſt ab omnibus peccatis,& cenſuris,quantumuis reſeruatis,& ſi approbatus deſit, poteſt quilibet Sacerdos,eum abſoluere, dicendo Ego te abſoluo ab omnibus cenſuris,& peccatis tuis ita *ex Rit. Rõ. de Sacr. Pænit.* Nu. 22

Verum aduerte, quod ſi in articulo mortis,quis abſolueret à peccatis,nulla facta mentione cenſurarum, erit pœnitens alioqui recte diſpoſitus, à cenſuris eſt abſolutus, modo ſupradicto, ſi vero cenſuræ excedunt poteſtatem abſoluentis,& Pœnitens bona fide,tacuit cenſuram,quia putabat illam,non habere, erit abſolutus à peccatis, non autem à cenſura,& hoc nõ implicat,poteſt enim eſſe per accidens abſolutio à peccatis, remanente cenſura,nam gratia ſanctificans,per quam remittuntur peccata, non eſt incompoſſibilis cum cenſuris, *ita Suar. tom. 5. de cenſuris diſp. 10. ſect. 3. num. 9. Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. reſol. 78. §. Sed ego* vbi fine ait igitur in tali caſu pœnitens abſolutus à peccatis,& nõ à cenſura,non tenetur reiterare talem confeſſionem,ſed tantum petere abſolutionem ab excõmunicatione, quod eſt valde notandum. Nu. 23

Et licet, abſolutio à peccatis,debeat dari abſolute,& non cum aliqua conditione,cum pendeat ab actu Dei,qui ſtatim,ac ponitur materia,& forma Sacramenti, cum intentione Miniſtri, facit producere gratiam vti haber *Fagundez praecep. 2. lib. 4. cap. 9. num. 12.* vbi inter alia notat,triplicem tamen conditionẽ, apponi poſſe abſolutioni, quarum prima eſt de præterito, vt ſi feciſti hoc, ego te abſoluo, ſecunda eſt de præſenti, vt ſi ita eſt, ego te abſoluo, tertia de futuro, vt ſi hoc feceris, ego te abſoluo, concludit tandem *Fagundez* nullam ex his conditionibus, abſolutioni, eſſe apponendam, immo nullam omnino,ſed ſimpliciter dandã eſſe abſolutionem, niſi ratione dubij alicuius, vt cum Confeſſarius dubitat, an dederit abſolutionem tunc poteſt dicere ratione dubij, ſi non es abſolutus ego te abſoluo, & tandem ha- Nu. 24

habet, quod si duę priores conditiones apponantur, valere absolutionem stante conditione, & peccare mortaliter Confessarium, & sacrilegium committere, sub illis non solum expressis, sed etiam mente retentis, absoluentem, de tertia nihil dicendum, quia si tertia de futuro ponatur, nihil valet, nam Sacerdos, posita absolutione, non potest differre absolutionis effectum, qui est peccati remissio mortalis, & infusio gratiæ sanctificantis.

Nu. 25 Aduertendum tamen est, posse dari absolutionem cum conditione de præsenti, & non de futuro, dicendo Ego te absoluo à peccatis tuis, si es capax absolutionis, & hoc fit præcipue, quando pueri confitentur, qui nescitur, an habeant vsum rationis. Item quando reperitur aliquis, in articulo mortis, qui nulla dat signa contritionis, nec materiam confessionis, & in his casibus sufficit cõfessio, si mente tantum habeat, talem cõditionem de præsenti, licet non explicet illam verbis.

Nu. 26 Aduertas etiã, absolutionem de censuris, non solum posse dari, cum conditione de præsenti, & præterito, de qua non dubitatur *Suar. tom 5. disp. 7. sect. 8. num. 3.* quia vel illa conditio ita fuit, seu est, sicut proponitur, & tunc transit sententia in absolutam, quia propositio conditionalis, conditione posita æquiualet absolutę, aut conditio non est posita in esse, & tunc absolutio nulla redditur, propter contrariam rationem, concludit igitur *Suar.* nõ esse dubium quin absolutio lata, sub hac conditione valeat, ãn licite, vel illicite sic feratur, respondet *Suar. num. 4.* non semper esse illicitũ, sub tali conditione absoluere, sed interdum esse, vel necessarium, vel vtile, vt quando de censura non constat, & ad maiorem securitatem, datur absolutio, prout frequenter fit à Confessoribus, ante absolutionem Sacramentalem, sub illa conditione generali, Absoluo te, si indiges, vel quantum indiges: aliquando ait *Suar.* posse prudenter addi illam conditionem, si satisfecisti, vel si vere, & ex corde à contumacia recessisti, & tandem concludit, quando conditio est omnino impertinens, imprudenter addi, & non sine culpa, graui quidem, ex suo genere, quia est contra reuerentiam rerum sacrarum, & abusus quidã Ecclesiasticæ potestatis, tamen in particulari ex paruitate materiæ, potest esse leuis.

Absolutio de censuris, non solum dari potest, cum conditione de præsenti, & præterito modo supradicto, sed etiam de futuro, vt v. g. Te absoluo ab excommunicatione si satisfeceris, vel cras restitueris, & hunc modum absoluendi, non esse per se malum, nec iure prohibitum ait *Suar loco supra citato num. 11.* & ideo si prudenter obseruentur circũstantiæ, & probabilis necessitas, vel vtilitas occurrat, non erit peccatum id facere. Tamen regulariter loquendo, existimo esse illicitum, præsertim propter nõ vsum Ecclesiæ, quia neque in iure est vsitatus hic modus absolutionis, sicut est vsitatus modus ferendi censuram, sub conditione neque etiã in vsu Prælatorum Ecclesiæ inuenimus, hunc absoluendi modum *hac Suar. vide Dianã par. 5 tract. 9. resol. 14.* Nu. 27

Neque dicas absolutionem sacramẽtalem datam sub cõditione de futuro, esse nullam, ergo, & absolutio à censura non inquam hoc dicas, quia est dispar ratio, nam absolutio sacramentalis, non potest suspendi, sed vt statim fit, quando forma profertur, super debitam materiam, aut si tunc non fit, semper manet nulla, quod si tunc fit, statim habet effectum, si in subiecto, non est impedimentum nec potest effectus suspendi, per conditionem adiunctam, ex intentione ministri, quia non inde pendet, sed ex Christi institutione, modo supradicto, At vero absolutio à censura, est quædam sententia humana, introducta a iure positiuo, sicut, & ipsa censura; & ideo eius effectus per se pendet, ex voluntate ipsius absoluentis, qui perinde potest ad iecta conditione effectũ suspendere, vt sequatur, coditione posita, & tunc illa absolutio, nec est omnino nulla à principio, nec statim efficax: sed est conditionata, & suspensa, donec tempus conditionis adueniat *ita Suar. loco supra citato num. 8. Diana loco supra citato resol. 64 initio.* Nu. 28

Quamquam Pœnitens inuitus absolui possit, à censuris, cum censuræ sint Nu. 29

pœnæ impositæ à superiore, à quo tantũ pendet absolutio ab illis, & non à voluntate pœnitentis vti asserit *Suar. tom. 5. disp. 7. sect. 7. num. 5. Diana loco supra citato resol. 10. initio*, & an huiusmodi absolutio, esto sit valida, an sit licita, *vide Suarium, qui num. 11* distinguens, ait si censura sit lata, ab homine, posse ab eo licite tolli, iustis de causis, & obseruatis prudenter circumstãtijs, aut sit lata à iure, & tunc ait *nu. 12.* obseruandam esse formam assignatam, si sit iure assignata, secus prudenter rem esse considerandã, vt fiat sine peccato, sed de hoc apud ipsum; tamen illud certum est Pœnitentẽ inuitum, non posse absolui à peccatis, quia eius requiritur voluntas, qua peccauit, & dolor cum proposito non peccandi.

Nu. 39 In articulo autem mortis, potest quilibet Sacerdos modo supradicto, absoluere ab omnibus peccatis censuris etiã reseruatis Papæ, per Bullam Cęnæ Domini, etiam ab hęresi, & hoc per priuilegium *Trid. sess. 14. cap. 7. Barb. ibi nu. 10. & 14.* Sub nomine autem Sacerdotum in hoc casu comprehenduntur non approbati, & expositi; item excommunicati, ac non tollerati, & publice denunciati, suspensi, irregulares, degradati, schismatici, & contra *Nau. cap. 26. num. 26* etiam heretici, cessante tamen periculo peruersionis, quia concilium vsum est, particula vniuersali (omnes) *ita Barbos. in Trid. loco supra citato num. 13. Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 57. & alij apud bos.*

Nu. 31 Sed difficultas est an in tali articulo, possit simplex Sacerdos absoluere, ab excommunicatione, & reseruatis, præsente Parocho, & approbato, & licet *Diana par. 5. tract. 9. resol. 67.* tres afferat sententias, quarum prima negat, secunda affirmat, tertia, quam docet *Hurtadus* distinguit, omnes Sacerdotes diœcesanos approbatos, etiam præsente Parocho, posse, facultate non petita, absoluere moribundum, à quouis crimine, & censura, in foro conscientiæ, negat autẽ hoc fieri posse, à simplici Sacerdote, pręsente approbato diœcesano, tamen mihi semper visa est probabilis illa sententia, quę docet, non solum, in absentia proprij Sacerdotis, seu superioris, verum etiam quando adest, vel ad illum potest haberi recursus, posse simplicem Sacerdotem absoluere, ab omni excommunicatione, & casibus reseruatis, cum in articulo mortis, nulla sit reseruatio; cõsultius tamen faceret, qui præsente suo Parocho, vel superiore, ab eo potius, quã ab alio absolui faceret *ita Barb. in Trid. sess. 14. de Sacr. Pœn. cap. 7. num. 12.* vbi pro hac sententia citat quomplures Doctores *Diana par. 1. tract. 5. de absol. ab haeresi resol. 5. & par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 57.* vbi probabiliter putat, simplicẽ Sacerdotem, posse in tali casu, etiã præsente Parocho, à reseruatis infirmum absoluere *vide Sancium in selectis disp. 44. num. 5. quamquam Suar. tom. 4. disp. 30. sect. 3. num. 1. Sanch. tom. 1. summæ lib. 2. cap. 11. nu. 6. & 7. & alij* existiment simplicem Sacerdotem, non debere absoluere, à reseruatis, quando adest Parochus, vel potest haberi, facilis recursus ad superiorem, sine periculo, quod interim decedat infirmus.

Dubium adhuc est pro praxi, quo tẽpore in periculosa infirmitate, possit cõfessarius, à reseruatis absoluere; Respondent Doctores, non esse in telligendum; vltimum vitæ spatium, sed quoduis etiam probabile mortis periculum, sed hæc responseo adhuc manet, in generalitate *vnde Sancius in selectis disp. 12. nu. 5.* docet absolutionem à reseruatis, posse impendi à prima die infirmitatis periculosæ vt doloris lateris, &c. *vide Barbos. in Trid. sess. 14. de Sacr. Pæn. cap. 7. nu. 11. Diana par. 5 tract. 3. resol. 69.* Nu. 31

Cum tamen hoc pacto, quod quando est absolutus à censuris, tenetur se præstare superiori, cui competit absolutio ab illis, si conualuerit, propter reincidẽtiam in illas *ita Sanch tom. 1. summæ lib. 2. cap. 13. num 27.* vbi habet hanc præsẽtationem non esse, vt iterum is ab excõmunicatione absoluatur, quia plene ab illa absolutus est, vti etiam docet *Suar. tom. 5. disp. 7. sect. 1. num. 5. Barb. in Trid. sess. 14 de Sacr. Pæn. cap. 7. num. 16.* sed vt superior conuenientem medicinam adhibeat, satisfactionemque imponat, si imponẽdam iudicarit *vnde Sãch. num. 28.* ait si conualuerit, & cessante impedimento, non se præsentat, non incidere in eamdem numero censuram, Nu. 33

nec

nec ob eamdem causam, quia prior est omnino sublata, sed in aliam similem, ob nouam illam inobedientiam, quæ secunda censura similiter est reseruata, ac prior erat.

Nu. 34 In quo quidem casu, non tenetur Pœnitens absolutus à censuris, in articulo mortis, per se loquendo, iterum confiteri, & dicere peccata superiori, propter quæ incurrit censuras, quia nemo tenetur iterum confiteri peccatum illud, à quo directè, & per se fuit absolutus, in præsenti autem casu, talis est absolutio censuris, maneat igitur solum teneri petere absolutionem à censuris spectantibus ad ipsum superiorem, modo supradicto ita à simili *ex Suario tom. 4. disput. 30. sect. 3. num. 6.* quod si non se præsentauerit superiori, incurret nouam excommunicationem, cuius absolutio pertinet ad superiorem, ad quem spectabat absolutio ab illis censuris, quas antea incurrerat Pœnitens modo supra dicto.

Nu. 35 Et hoc solum verum habet in censuris, non autem in peccatis reseruatis, sine censuris, in quibus non tenetur Pœnitens, si conualuerit, se superiori præsentare, quia iam de illis in illo articulo, fuit vere absolutus *ita Suar. to. 4. disp. 30. sect. 3. num. 6 & 7. Diana par. 5. tract. 3. resol. 66. §. Notandum est Sanctius in selectis disput. 12. num 5.* vbi etiam habet articulum mortis, non esse mathematice accipiendum, dum scilicet adest vltimus halitus, sed dum timetur amissio, loquelæ, & vsus rationis, in periculosa infirmitate, vel si timeatur amissio vsus rationis perpetua, licet mors non timeatur.

Nu. 36 Quando vero, quis positus in articulo mortis, habet Bullam Cruciatæ, tunc non potest absolui ab omnibus cēsuris, virtute ipsius Bullæ Cruciatæ, à simplici Sacerdote, sed à Confessario approbato, ab Ordinario, quia ita requiritur ab ipsa Bulla, & tunc absolutus à censura, vel reseruatis, non habet onus, si conualuerit, comparendi quia priuilegium Bullæ in hoc consistit, vt absolutus virtute illius, nō habeat hoc onus *ita Sāch. tom. 1. summe lib. 2. cap. 13. num. 31. ita etiam Hurtadus apud Dianā par. 5. tract. 3. resol. 66. §. Notandum est.*

Nu. 37 At vero in ipso articulo mortis, non potest absolui virtute Bullæ, à Confessario approbato ab Ordinario ab hæresi, quia iste casus, excipitur in bulla ita *Sanch loco supra citato,* quāquam possit absolui ab hæresi, in mortis articulo, non priuilegio Bullæ cruciatæ, sed priuilegio *Trid. modo supra dicto.* quare cōcludit *Sanch.* iniungendum est ei, vt si euaserit, se præsentet, quamquam *Claudius Millardus apud Dianam par. 5 tract. 14. resol. 59. §. Nihilominus* asserat probabilissimum videri, hoc onus se præsentandi, coram superiore, si quis absolutus fuerit tempore mortis, ab excommunicationibus reseruatis, non habere amplius locum, & cessasse *post Trid. sess. 14. cap. 7* quam doctrinam *Calestinus apud Dianam* putat posse tuta conscientia approbari, quando excommunicatio non est notoria, vel deducta ad forum externum sed omnino occulta, vel scitur tantum à duobus, vel tribus, ita ille. Tu autem cogita.

Ex dictis iam vides, manifestum discrimen, inter absolutionem traditam, in articulo mortis, à censuris virtute Bullæ Cruciatæ, à Confessario approbato, ab Ordinario, & inter absolutionem traditam, à censuris à simplici Sacerdote, virtute priuilegij *Trid.* nam Pœnitēs absolutus à censuris, in articulo mortis, virtute Bullæ Cruciatæ, non tenetur se præsentare, si conualuerit, superiori, similiter virtute alicuius iubilei, sed sufficit ei, satisfacere parti, si est aliqua obligatio restitutionis. At vero si Pœnitens est absolutus, à censuris in articulo mortis, virtute priuilegij *Tridentini* tenetur se præstare superiori, si coualuerit, propter absolutionem ab illis. Nu. 38

Quid vero dicendum, an simplex Sacerdos, possit absoluere à censuris, & casibus reseruatis, omnes parturientes, tāquam constitutas, in periculo mortis, quidquid dicant alij. Dicendum fateor, non omnes prægnantes, posse absolui, ab omnibus reseruatis, sed eam, quæ primum partum sit editura, vel quæ alios difficiles, & periculosos partus, solita sit habere *ita Fagundez præcep. 2. lib. 4. cap. 1 num. 7. Sanch. tom. 1. summæ lib. 2 cap 13. num. 4. Trullenb. in expos. Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. dub. 4 num. 5. vers. ob id. Diana par. 3. tract. 4. de Sacr resol. 72. §. Sed con-* Nu. 39

trarium, & par. 5. tract. 3. resol. 63. vbi pro hac sententia citat quomplures Doctores.

Nu. 40 Tandem aduertas, quod licet quis habuerit perfectam contritionem, de omnibus suis peccatis, & hoc certo sciuerit, per veram, & certam reuelationem, esse ei omnia sua peccata remissa, tenetur tamẽ semper confiteri illa, ex præcepto diuino positiuo, secus peccat mortaliter, quia peccata mortalia aliàs non confessa, semper sunt subicienda clauibus.

Nu. 41 Vltima verba, in vsitata forma absolutionis apposita sunt illa Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, &c. vsque ad finem, quæ verba, apud omnes constat, non esse de necessitate, nec de præcepto, quare licet omittantur, non erit peccatũ mortale, imo nec veniale, si ex quacumque rationabili causa etiam leui omittantur *ita Suar. tom. 4. disp. 19. sect. 1. num. 18. sine Fagundez præcep. 2. lib. 2. cap. 9. nu. 22.*

Nu. 42 Satis laudabile erit, post absolutionẽ, apponere illa verba (quidquid boni feceris, aut mali sustinueris) quia licet pœnitentiæ pro peccatis, à Confessarijs in confessione iniungendæ, non sint determinatæ, sed relinquantur arbitrio Confessoris moderandæ, attentis criminibus, & delictorum circumstantijs, vnde si Confessarius, pro magnis peccatis, imponeret paruas pœnitentias, ex doctorum consensu peccaret, ac proinde ad tollendos confessariorum scrupulos, dicendum est, quod si post absolutionem apponant clausulam illam (quidquid boni feceris, &c.) excusantur à peccato, si forte paruas apposuissent pœnitentias *ita Reg. in praxi tom. 1. lib. 7. cap. 3. sect. 1. num 26. & nouissime hanc sententiã docet Stephanus Bauny apud Dianam par. 6. tract. 7. resol. 5 §. Non desinam quidquid dicat Lugo apud ipsum ita etiam ipse Diana par 3. tract. 4. de Sacr resol.* 97. vbi interalia habet, hęc non esse intelligenda, si pœnitens egeat pœnitentia aliqua pręseruatiua.

Nu. 43 Sed si quæras, an de essentia formæ absolutionis, sint verba voce prolata, breuiter dicendum est, non esse dandã absolutionem nutibus, aut scripto, aut quocumque alio signo, quo intentio absoluendi Sacerdotis manifestetur, sed de essentia formæ, huius Sacramenti Pęnitentiæ esse, vt illius forma, proprijs verbis, & voce humana proferatur, patet *ex Trid. sess. 14. cap. 3.* vbi docet formam huius Sacramenti Pœnitentiæ in illis verbis, ministri simpliciter sitã esse, Ego te absoluo, vbi dum ait in verbis ministri, aperte insinuat, se loqui de verbis voce humana, à ministro prolatis, & non de consensu, aut conceptibus, externis signis significatis *ita Suar. tom. 4. disp. 19. sect. 1. num. 3. Fagundez præcep. 2. lib. 2. cap. 10. num. 2. & alij.*

Tandem animaduertas, validum esse Sacramentum Pœnitentiæ, si quis Confessarius absoluendo Regem, honoris causa dicat, Absoluo Maiestatem tuam, siue vos, siue Excellentiam tuam, siue pro ly Ego dicat Nos, qnia hæc, aut huiusmodi additio nihil est aliud, quam explicatio illius, quod implicite continetur in verbis formæ, & non fit in eis aliqua mutatio substantialis *ita P. Gesualdus de Bononijs Caput. de forma absolut. tit. 6. cap. 3. num. 12. vbi num.* 13. habet huiusmodi mutationes, non esse faciendas, quia non esset sine graui peccato, & Sacramenti irreuerentia, cum fiat contra vsum præscriptum ab Ecclesia, & nulla potest esse rationabilis causa faciendi, huiusmodi mutationes contra vsum, & formam præscriptam ab Ecclesia. Nu. 44

QVAERES SEXTO.

An moribundo sensibus destituto, sit largienda sacramentalis absolutio.

Et vt distinctius in hoc tam difficili dubio, & in praxi sæpius occurrẽti, procedamus. Primo dandam esse existimamus absolutionem ei, qui nutibus tantum quærit à Confessario absolutionem *ita Suar tom. 4 disp 23 sect. 1. nu. 5.* vbi respondens ad eam quæstionem graue positam *num. 3.* an scilicet in eo casu, in quo necessitas oritur, ex parte ipsius pœnitentis, & quando loqui non potest, & vix aliquid sentire, an si in eo casu, non possit speciale aliquod peccatum explicare, neque Confessor per interro- Nu. 1

terrogationes, vel signa possit ab eo aliud intelligere, quam peccasse, & desiderari absolui, an sufficiat vt absoluendus sit, tandem *nu.* 5. respondet posse, & censet hanc sententiam probabiliorem, & practice securam, imo, & exercendã, & reddit rationem, quia hæc est vera accusatio, in foro Sacramentali, ergo potest esse sufficiens materia, vt perficiatur iudicium, quando accusatio magis integra fieri non potest *ita etiam* Reg. *in praxi tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 3. *num* 26. & 27. Fagundez *pracep.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 16. *Barb. de off. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 19. *num.* 46. *Diana par.* 3. *tract.* 3 *de absolutione moribundi resol.* 1. §. *At his non obstantibus.*

Nu. 2 At vero si moribundus non audiat, neque loqui possit, sed tantum pugno pectus suum, pulset, suspirans, oculos in cęlum tollat, vel respiciat aliquam imaginem, hoc vidente Sacerdote, vel alijs restantibus, licet inter alios *Suar. tom.* 4. *disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 13. asserat moribundo in tali casu, non sat esse adhibere signa contrictionis, sed necessarium esse, illa adhibere, in ordine ad claues, petendo confessionem, seu vocando Sacerdotem, saltem signo, vel nutibus, vnde infert quantumuis infirmus se obstendat deuotum, & contrictum, si nullam fecit mentionem confessionis, & in eo statu amittat sensum, non posse sacramentaliter absolui, quia illa contrictio non est relata ad claues. Tamen affirmatiua sẽrentia nobis non displicet, cuius ratio est quia signa pęnitentiæ, quæ præsente mortis periculo, ab infirmis eduntur, censeri debent ad sacramentalem confessionem, & absolutionem directa, cum in tali statu optimum suæ animæ remedium desiderare solent *ita Zambranus de casu tempore mortis cap.* 4. *dub.* 2. *sect.* 4. *Pharaoneus de Sacr. Pęnit. tract.* 1. *sect.* 16. *casu* 15. *Barb de off. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 19. *num.* 46. *Diana loco supra citato resol.* 2. §. *Sed his Layman in theologia morali lib.* 5. *tract* 6. *cap.* 8. *num.* 4. qui interalia habet, quod licet infirmus in phrenesim lapsus, absolui non possit, etiam si cum sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret pectus suum secundum morem pulsaret, aut sublatis oculis in Cęlum dixerit Miserere mei Deus, tamen si talia signa edidit, morti vicinus, cum plura verba proferre non possit, præsumptio, plerumque fieri potest, quod Sacramentalem absolutionẽ à Sacerdote petiuerit.

Et confirmari potest auctoritate *D. Augustini ser.* 44. tunditur inquit pectus, vt arguatur, quod latet in pectore, vt euidenti pulsu, occultum castigetur peccatum, reddit enim rationem quare, qui audiunt Confiteor, tendunt pectus, vt scilicet manifestent peccatum, & sic illud castigent, at huiusmodi manifestatio peccati, est confessio saltem tacita, ad eius remissionem, ergo in illis signis, reperitur confessio. Nu. 3

Quam quidem opinionem sequutus est etiam *Io. Capiauilla tract. de Sacr. ministrandis tempore pestis cap.* 3 *quæst.* 11. vbi quærens an Parochi teneantur absoluere infirmos, signa contritionis obstendentes, respondet teneri, absoluere sub conditione, quia ait ille, in casu necessitatis, in quo versamur, non requiritur expressa, sed sufficit tacita petitio confessionis. Nu. 4

Hanc etiam sententiam docuit *Sanctius in selectis disp.* 44 *num.* 34 §. *Arbitror* *borum vbi num.* 35 §. *Aduertendum maxime*, habet, quod licet opinio negans, post se per nutus, & signa pęnitentem in extremis constitutum absolui, ne videlicet irritum fiat Sacramentum, sit in fauorem Sacramenti, & opinio affirmãs, posse absolui sit in fauorem suscipientis, ex dictis duabus opinionibus, semper eliciẽda est illa, quæ fauet pęnitenti, cum Sacramenta instituta sint, vt medicinæ suscipientium, vnde Sacramentũ iuri suo cedit, vt ita dicam, & periculo irritationis exponi non ægre fert, eo quod salus spiritualis proximi magis tuta relinquitur, suscepto Sacramento, quam si illud non ministretur. Nu. 5

Et tandem *Antoninus Diana vir doctissimus par.* 1. *tract.* 3. *de absol. morib. resol.* 2. §. *Nec valet fine*, habet, hæc omnia pij Confessarij, in mente teneant, & illa in praxi me consulente, & impellente, deducant absoluendo, supra dictos infirmos, sub condictione. Nu. 6

Quin imo, absoluendus est moribundus, exibens supra dicta signa, etiam si dubitetur, an sint orta, ex contrictione, Nu. 7

vel

vel ex angustia mortis, vti asserit *Diana loco supra citato resol.* 3. *Barb. de off. & potest. Parochi cap.* 19. *par* 2. *num.* 46 *fine. Sancius in selectis disp.* 44. *num* 35. *fine.* vbi sic ait & sub conditione impertienda erit absolutio, quando ambiguitas intercedit, num signa sint ex dolore orta, vel ex angore, & angustia mortis, cũ prodesse possit infirmo, & non obesse Sacramento, vitatur namque sacrilegij periculum, conditione apposita, & hanc conclusionem sequitur etiam *Layman apud Dianam* asserens si consideratis circumstantijs, & examinatis his, coram quibus talia signa edita sunt, res dubia esse videatur, absolutio tamen conferri poterit, sub conditione si talis materia confessionis sufficiens sit, ad absolutionis ministrationem.

Nu. 8 Absoluẽdus est etiam moribundus, qui in absentia Confessoris, confessionẽ petijt, vel signa pœnitentiæ fecit, aliquo hoc testante ita *D. Thom opusc.* 65. §. *De extrema vnctione*, vbi habet, quod si infirmus, qui petijt vnctionem amisit notitiam, vel loquelam ante quam Sacerdos adueniat, quia in tali casu (quo scilicet aut baptismum, aut absolutionem simili ratione petijsset, iuxta dicenda à nobis) debet etiam baptizari, aut à peccatis absolui, *ita etiam Suar. tom* 4. *de Pœnit. disp.* 23. *sect.* 1. §. *De eo, qui confessionẽ petijt num.* 12. vbi habet in casu, in quo infirmus petijt confessionem, & exhibet signa contritionis in absentia confessoris, si postea Confessor adueniens, nihil aliud a Pœnitente intelligere possit, quia v. g iam nihil sentit, si de signis exhibitis, & petitione confessionis, habeat sufficiens testimonium posse, imo, & practice debere Sacerdotem illum absoluere, concepta conditione, quæ sẽper subintelligitur (quantum possum) vel si materia est sufficiens *ita Suar. Reg. in praxi tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 28. *Fagundez præcep.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 16. *Tol. in summa lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 2. *Diana loco supra citato resol.* 4. §. *Sed ego vide etiã Sanch. de matr. lib* 2. *disp.* 36. *num.* 6. quam quidem opinionem Fagundez veram, & piam vocat, & ita semper mos fuit Ecclesiæ, est enim Pœnitens præsens, & verificatur illa particula, Ego te absoluo, & datur materia certa peccatorum, saltẽ in communi, fundata in voluntate, quã Pœnitens manifestauit, Confessarium, vel confessionem postulando, licet modo illam manifestare non possit, & est valde consentaneum institutioni Christi, qui ex parte Pœnitentis solum requirit vt ipse Pœnitens statum conscientiæ suæ Confessario aperiat, quantum pro temporis angustijs fieri potest, & ita tenendum est indubitanter ita optime Fagundez.

Quare *Sancius in selectis disp.* 44. *num.* 35. habet in huiusmodi casu sufficere, Nu. 9
vnius testis, fidem testantis, infirmum signa Pœnitentiæ indicasse, vnde non est necesse vt iuret, cum in nostro casu necessarium non sit, quia maxime impium esset mentiri, nec oportebit testẽ esse Christianum, aut infidelem, aut hæreticum: de his enim præsumi non potest affirmari, quod falsum est, vt fiat Sacramentum: præsumendum tamen esset e contra, non testaturos signa Pœnitentiæ, esse tradita, ne ministretur Sacramentum. Verum adhuc in hoc euentu, puto Sacramentum ministrandum, sub cõditione, scilicet, si verum est te signa Pœnitentiæ obstendisse, absoluo te à peccatis hæc *Sancius quam sententiam sequutus est Diana par.* 1. *tract.* 3. *de absolutione morib. resol.* 5. §. *Sed in tali casu, & alij.*

An vero, absoluere item possit Con- Nu. 10
fessarius sub conditione, moribundum sensibus destitutum, qui neque petijt confessionem, neque vllum signum cõtritionis edidit, quod in praxi referunt fecisse Clementem VIII. cum enim quidam (vt aiunt) ex fabrica D. Petri præceps ruisset, & illum cadentem vidisset, absolutionem et dedit dicens (si es capax absolutionis, absoluo te à peccatis tuis,) hoc censent fieri posse *Homobonus in examine Ecclesiæ par.* 1. *tract.* 7. *cap.* 18. *quæst.* 84. *Barth. à Sancto Fausto apud Dianam par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 92. §. *Verum* quam conclusionem ratione confirmant, quod in necessarijs ad salutem, tutior pars est amplectenda, & certiori periculo occurrendum est, & tollitur irreuerentia Sacramenti, vel sacrilegij periculum, tum conditione apposita, tũ auctoritate Doctorum hanc opinionem tuentium, quare hanc opinionem probabi-

babilem vocat *Diana par. 1. tract. 3. de absol. morib. resol. 8. §. Vnde ego* licet deinde negatiuam sententiam teneat non solum hic, sed etiam *par. 4. tract. 4. loco supra citato resol. 92 §. Verum fine* vbi concludit, sed ego vt dixi negatiuam sententiam tenendam esse puto, nec aliter in praxi faciēdam esse existimo, cum quo, & ego sentio maxime, quia *Concilium Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 4. de Sacramento Pœnit.* exigit tamquam materiam huius Sacramenti Pœnitentiæ, actus Pœnitentis, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, & subdit *Trid.* requiri ex Dei institutione; ex quo manifeste patet, sacramentalem confessionem necessariam esse, ad validitatem huius Sacramenti; tamquam eius materiā, cum igitur in prædicto casu, nulla ponatur sacramentalis confessio, nullū igitur erit Sacramētū Pœnitentiæ, quare *in Rit. Rom. à Paulo V. edito* vt videre est in quo ponuntur omnia, quæ tenetur facere positus in simili casu, requiritur in Pœnitentem, vt saltem obstendatur desiderium confitendi, vt absolua tur, quod fecisse censendus est *ille*, quē absoluit Clemens VIII.

Nu. 11 In his autem casibus Confessarius, vt docet *Suar. tom. 4. disp. 23 sect. 1. num. 15.* non solum potest, sed etiam tenetur, absolutionem moribundo adhibere, vt videre est apud ipsum cuius ratio est, quia vt ait *Suar.* Sacerdos absoluendo in his casibus, nulli periculo conscientiæ suæ exponit, cum operetur ex sententia, valde probabili. *Nec* etiam est periculum iniuriæ Sacramenti, quia per adiunctā conditionem, omnino tollitur, sicuti in alijs casibus dubijs, fieri solet. Et alioqui non absoluendo exponit proximum periculo æternæ damnationis, qui forte si fuisse absolutus, saluabitur, ergo saltem ex charitate, debet illum absoluere. Imo etiam ex obligatione *sui* muneris, videtur teneri: quia iuxta probabilem opinionem, quando Pœnitens sufficienter confitetur, & est bene dispositus, ad recipiendam absolutionem, tenetur Sacerdos, illum absoluere: in proposito autem, iuxta probabilissimam opinionē, Pœnitens sufficienter confitetur, & est bene dispositus, ergo Sacerdos tenetur illum absoluere hæc *Suar. Diana par. 1. tract. 3 de absol. morib. resol 9 & alij.*

Quod etiam verum est respectu eorum, qui contrariam tenent sententiā; Nu. 12
quia cum hanc sententiam possint in praxi, tuto sequi, propter suam probabilitatem, idque sit saluti valde expediens, aut etiam necessarium, si solum sit attritus, tenetur Confessarius, ex charitate, vel ex iustitia modo supradicto hoc facere *ita Diana loco supra citato* maneat igitur Confessarios, nolentes moribundum in supradictis casibus absoluere, rectè *Vasq apud Dianam citatum* vocare reos, & necatores animarum.

Et confirmari potest, supradicta conclusio, quia cum aliquis perplexus est, Nu. 13
inter duo præcepta, simul occurrentia, strictius est amplectēdum, sed cum magis obliget charitas, quam religio in supradictis casibus, maneat igitur, in his supradictis casibus, teneri Confessariū, potius adhibere absolutionem, in fauorem pœnitentis, quam illam denegare in reuerentia Sacramenti *ita Sancius in selectis disp. 44. num. 35. §. Aduertendum maxime,* in quo loco habet, vbi violatio charitatis imminet, aut religionis, charitas amplectenda est, & hęc violaretur, non administrando Sacramentum infirmo indigenti: ex administratione vero, solum violatur religio, hæc *Sancius* sed melius dicendum est, quod in supra dictis casibus, Confessarius administrādo Sacramentum, cum opinione probabili nullam illi iniuriam facit, ergo tenetur infirmo, illud administrare *ita Diana loco supra citato resol. 9. §. Igitur.* Nu. 14

Quare probabile putamus, quoties Confessarius, ex opinione probabili absoluit moribundum, posse absolutionē præbere ei, sine conditione, vti docet *Sancius in selectis disp. 44. num. 32.* vbi ait e contra vero opinionem oppositam sequens, posse videlicet per signa absolui pœnitentem, non teneri sub conditione, absoluere, nam ille, qui agens aliquā actionem, iudicat se, non delinquere, absolute potest illam exercere, nec opus erit, conditionem addere, & deinde circa finem, concludit, vnde quando cōmuniter, inquiunt theologi, ministrandum esse Sacramentum, sub conditione, quando dubitatur de valore Sacramenti, id intelligendum est, in dubio pio

proprie, nō in opinionibus, quod optime confirmat *ex cap. de quibus de Baptismo*, vbi decernitur rebaptizandum esse illum, sub conditione, de quo dubitatur, an sit baptizatus hæc *Sancius*, quæ valde attendenda sunt *vide Dianā par. 1. trac. 3. de absol. morib. resol* 10. vbi pro hac sententia affert Vasq. asserentem, talem cōditionem, esse superuacaneam, & tandem concludit, omnia hæc superius, subdendo Sāctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni, & doctorum virorum iudicio, sicut, & Ego humiliter flexis genibus, etiam subdo, & semper in his, & alijs opinionibus, meis subdam.

Nu. 15 Ex quibus deducendum est, qui sequitur opinionem probabilem, Doctorum arbitrantium, ipsum habere iurisdictionem absoluendi à reseruatis, seu priuilegium absoluendi, non esse reuocatum, valide agere, quæ operatur, ac si re ipsa priuilegium, non esset reuocatū, eo quod tunc Ecclesia tribuit iurisdictionem *ita Sancius in selectis disp. 44. nu. 4. vbi num. 5* habet cum probabilis opinio, existimat, posse simplicem Sacerdotem absoluere, extremam vitam agentem, etiam præsente Sacerdote approbato, vel absoluere à quibusuis reseruatis, etiam si adsit proprius Sacerdos, seu alius Confessarius approbatus, seu ipse superior, cui casus illi reseruantur, posse absolutionem à simplici Sacerdoti fieri colligitur, quia etiam à iure habet simplex Sacerdos, posse absoluere in articulo mortis, & tandem concludit, quod si aliquis dicat illud esse verum, quando alius Confessarius approbatus, à iure nō esset presens, respondet, & optime *Sancius* hoc probandum erat.

Et licet aliqui, formidare possint, hac

Nu. 16 vti opinione, ne si forte à parte rei vera, non sit inualide confessio fiat, quamuis absque culpa, tamen ob hanc inanem rationem, refugere non debemus, sequi nostram opinionem, aduertentes duplex esse genus rerum; Quædam, quarū veritates a Christo institutæ sunt, vt sic fiant, & non aliter valeant, v. g. si forte instituit, quod Typha, hordeum, materia non sit consecrationis, sed tantum panis triticeus, vel quod forma Baptismi, sit tantum, ea, quæ nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti significatur, non quæ nomine, genitoris, & geniti, & procedentis, ab vtroque, hæc igitur res, cū à Christi institutione dependeant, quo ad suum valorem, sic, & nō aliter, illum sortientur, qualiter reuera institutę sūt, quamuis ex opinione probabili, aliter fiant, solum enim à peccato excusabitur, ex opinione probabili, operans *ita Sancius in Selectis disp. 44 num. 2. & 3.*

Aliæ vero, res sunt, quarū veritates, à Summo Pontifice determinatę existūt, v. g quod talis Confessarius, habeat iurisdictionem, vel non, aut, quod talis, sit Parochus, vel non, vel, quod hic, vel talis contractus sit matrimonium, vel nō, &c. harum igitur rerum veritas, in indiuisibili, non consistit, sed iuxta opinionū varietatem, multiplicatur, cum enim à Summo Pontifice dependeat, cum quis sequitur opinionem probabilem, Doctorum arbitrantium, ipsum habere iurisdictionem absoluendi, vel in alijs plurimis similibus casibus, conscius Pontifex opinionem existere probabilem, consentem, eum, qui opinionem probabilem Doctorum, sequitur, arbitrantiū, ipsum habere iurisdictionem absoluendi à reseruatis, &c. iurisdictionem confert, tacens, & non contradicens, ita quomplures Doct. apud Sāc. loco supra citato: num. 3 §. Imo ait in simili casu, quod licet Summus Pōtifex, sit ignarus talis opinionis (quod fere incredibile est) illum confessarium habere iurisdictionem, ex præsumpta de præsenti Pōtificis voluntate, nolentis omnes illas confessiones, fieri nullas, & in dispendiū animarum, illarumque, grauamen est arbitrandum ex alio principio, subintellecto, scilicet quod semper, ac opinio aliqua probabilis, intercesserit circa valorem, vel nullitatem rerum à se dependentium, approbentur, & valorem acquirant, & hanc esse Pontificis voluntatem, & in ædificationem Ecclesiæ cedere, cuique erit perspicuum alias nimis conscientiæ grauarentur hæc *Sancius*, quæ perlegenda sepe sępius sunt, & hęc de forma Sacramenti Pœnitentiæ quare. Nu. 17

(†)

QVAE-

QVAERES SEPTIMO.

Quid dicendum de Ministro, seu Confessore.

Nu. 1 VT autem Confessarius idoneus cẽ seatur iudex in foro pęnitentiali, duæ inter alias concurrere debent conditiones, quarum Prima est Potestas ordinis Sacerdotalis, de qua loquuntur *Suar. tom. 4. disp. 24. sect. 1. num. 2.* vbi ait solum Sacerdotem, esse ministrum huius Sacramenti, & esse de fide deffinitũ *à Concilio Florentino præcipue, & Trid. ita etiam* Reg. *in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 1. sect. 1. num. 2. Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 1. num. 1. Barb. de off. & potest. Episcopi par. 2. alleg. 25. num. 1. Tol. summę lib. 3. cap. 13. num. 1. S. In primis vbi S. Debet* ait huiusmodi potestatem ordinis, debere esse non impeditam, nam suspensus ab ordine nominatim, non potest absoluere, quamuis sit Sacerdos simpliciter, nec depositus, nec degradatus, nisi in mortis articulo, vt superius dictum est.

Nu. 2 Secũda vero, iurisdictionis potestas, vocatur, de qua *Suar. loco supra citato sect. 2. Reg. loco supra citato cap. 2. Fagundez num. 10. Tol. num. 2. vbi num. 3. fine vers. debet autem*, ait enim huiusmodi iurisdictionis potestatem, debere, non esse impeditam, per nominatim excommunicationem, aut ex clerici publica percussione, aut per publicam nominatim suspensionem.

Nu. 3 Iurisdictio autem triplex est, Ordinaria, Subdelegata, & à iure concessa *ita Toletus in summa lib. 3 cap. 13. num. 2.*

Nu. 4 Ordinaria iurisdictio, est illa, quam secum habet officium, vt est Papatus per totum Orbem, Episcopatus per totam suam diœcesim, Parochi per suam Parochiam, & Archiepiscopatus per omnes diœceses suorum suffraganiorũ, tempore tamen visitationis *ita Tol. loco supra citato num 6. Reg. loco supra citato lib 1. cap. 5. num. 29.*

Nu. 5 Subdelegata est illa, quam habent hi, qui ex commissione eorum, quibus ex officio incumbit obtinent.

Nu. 6 A iure vero commissa, est illa, quam habent aliqui à iure, vel ex aliquo priuilegio, vt ex Bulla Cruciatæ, vel Iubileo ita *Tol. loco supra citato num. 2. & 3.*

Potestas itẽ ordinis, duplex est, vna, quæ recipitur in ordine Sacerdotali, Nu. 7 quando ab Episcopo ordinatur Sacerdos, in corpus Christi verum, ad ipsum scilicet conficiendum, sacrosanctæ Eucharistiæ consecratione, & offerendum, sacrificandumque. Altera in corpus Christi misticum: scilicet ad Sacramenta fidelibus administranda, in peccatorum remissionem, & diuinæ gratiæ adoptionem, & hæc potestas recipitur itẽ in ordine Sacerdotali, quando ab Episcopo dicitur. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisseritis peccata remittuntur eis *ita Reg. in praxi tom 1 lib. 1 sect. 1. cap. 1. num. 2.*

Aduertas autẽ, Sacerdotem potestate hac, non posse absoluere, quia exercitio talis potestatis caret, quod quidẽ exercitium, deinde confertur ab Episcopo, à quo est approbatus, & hæc dicitur iurisdictionis potestas *ita Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 2. num. 1.* quare iure optimo *Trid. sess. 23. cap. 15. de refor. habet quamuis Præsbiteri in sua ordinatione, à peccatis absoluendi, potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum etiam regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus hæc Concilium.* Nu. 8

Ex quibus verbis iam manifeste patet, præter ordinis Sacerdotalis potestatem, nemini conferri potestatem iurisdictionis, nec esse idoneum Cõfessariũ, qui possit valide, & licite absoluere, sine approbatione sui Episcopi, aut nisi Parochiale beneficium habeat, de quibus infra. Nu. 9

Animaduertendum tamen est, hanc duplicem ordinis Sacerdotalis potestatem, in re nihil aliud esse, quam sacerdotalem charatherem, quo nomine significatur spiritualis quædam, & indelebilis qualitas impressa animæ Sacerdotis, in sua ordinatione, quæ licet sit vna in se, tamen per diuersos respectus, ad diuersa officia, dicitur plures potestates, Nu. 10

O sci-

ſcilicet vna conficiendi Euchariſtiam, ſeu tranſubſtantiandi panem, in Chriſti corpus verum, & vinum in ſanguinem, & altera adminiſtrandi Sacramenta *ita Reg. in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 1. ſect. 1. nu. 3.*

Nu. 11 Iterum animaduertas, hanc iuriſdictionis poteſtatem, clauium nomine ſignificari, quia ſicuti per clauem tollitur obſtaculum introitus in domũ, ſic per talem poteſtatem, auſertur ab homine peccatum, quod excludit ipſum hominem ab ingreſſu Regni cœlorum. Item plurali nomine, & numero plurali communiter vſurpatur, quia talis iuriſdictionis poteſtas, duas in ſe includit poteſtates, vnam informandi ſe de ſtatu Pœnitentis, & ipſum examinandi de ſuis peccatis, quæ poteſtas dicitur clauis ſcientiæ: alteram vero ferendi in ipſum ſententiam, abſoluendo à peccatis, vel retinendo peccata per negationem, ſcilicet abſolutionis, ſi Pœnitens indignus accedat, aut per impoſitionem Pœnitẽtiæ, ad quam acceptatam implendam manet obligatus modo ſupradicto, & hæc dicitur clauis poteſtatis *ita Reg. loco ſupra citato ſect. 2. tandem ait Diana par. 5. tract. 2. reſol. 4. §. Verum* Petrum duas claues accepiſſe, vt per alteram poteſtas, per alteram vero decentia indicaretur, quare licet Papa in rigore nõ dependeat à Cardinalibus in legibus ferendis; habet tamen hoc ex Dei aſſiſtentia, vt temere nõ proponat leges vniuerſales, fidem, aut mores concernentes, Eccleſiæ vniuerſali, ſed quia media ordinaria maxime adhibenda ſunt vt ſine iudicio, & conſilio nihil fiat, ſecundum monitionem *Sapientis Eccl. 22. & 23.* congruit vt Cardinales, in conſilium adhibeat, tamquam conſultores, non tamquam legum collatores, ita etiam loquitur *tex. in cap. fundamenta §. Decet de elect. lib. 6. dum ait Decet Romanum Pontificem per Fratres ſuos* S. R. E. *Cardinales libera habere conſilia.*

Nu. 12 Iterum tripliciter diſtingui poteſt, remittendi peccata poteſtas, in primeuã, ac natiuam, ſcilicet, quę propria eſt Dei, cui ſoli naturaliter conuenit, poſſe peccata remittere *iuxta illud niſi ſolus Deus*, & ratio hoc etiam confirmat, quia cum peccata de ſe ſint Dei offenſæ, ſic de ſe Dei eſt illa remittere. Item ſecundo in alteram quæ, excellentiæ poteſtas vocatur, & eſt propria Chriſti hominis peccata (pro quibus abundantiſſime ſatisfecit) remittentis: Tandem in tertiã, quę dicitur poteſtas miniſterialis, propria ſolius Sacerdotis, tamquam miniſtri Chriſti, qui poſtquam factus eſt homo, genus hominum redemit, eidem voluit conſulere per homines, à ſe conſtitutos iudices, ſuaque auctoritate munitos, ad quos peccatorum noſtrorum cauſas referemus, & ipſi nos iudicarent abſoluendo, vel ligando, per ipſorumq; iudicium emendaremur *ita Reg. in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 1. ſect. 2. num. 4. §. Altera eſt.*

Ex his infertur ex defectu idonei Cõfeſſarij, non cenſeri ſacramentalem confeſſionem eam, quæ fit non Sacerdoti, etiam ſi alijs ſacris ordinibus initiatus ſit, etiam, in articulo mortis, & in quacumque neceſſitate, deficiente Sacerdote *ita Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 1. n. 7. Reg. in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 1. ſect. 3. num. 5.* & multo minus factam ſimplici Clerico, aut laico, aut fœminæ, quantũuis eſſet Abbatiſſa, cui ſola monialis conſiteretur ita inter alios *Reg. loco citato* vbi habet quod licet Beatiſſima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit cũctis Apoſtolis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claues Regni cœlorum commiſit. Nu. 13

Et licet confeſſionis factæ, non Sacerdoti, apud veteres, vſum aliquem fuiſſe inueniatur, non eſt, quod talis confeſſio, tamquam Sacramentalis vſurparetur, ad conſequendam gratiam, quæ per Sacramentum confertur, ſed tantum, vt Pœnitens teſtatum faceret ſe paratum eſſe confiteri ſacramentaliter ſi præſentem haberet Confeſſorem *ita Reg. in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 1. ſect. 3. num. 5.* Nu. 14

Quare licet, nec licitũ, nec ſalutare conſilium ſit, non Sacerdoti confiteri, eo animo, vt det abſolutionem à peccatis, quia ob magnam irreuerentiam Sacramenti, graue ſacrilegij crimen eſſet, vt bene notat *Nau. apud Reg. loco ſupra citato §. Dubium autem*: Quin imo dicere poſſe laicum Sacramentaliter, abſoluere, eſſe hæreticum, reſpondet *Philippus Gamachæus apud Dianam par. 5. tract. 3.* Nu. 15

re-

resol.73.initio tamen licitum,ac salutare consilium est, existentem in articulo mortis,cui copia Confessarij deest,confiteri peccata sua fideli amico, non vt absoluatur ab eo,sed vt ei propter Christum se humiliet,& excitet in se pudorem,vt ab illo iuuetur consilio,ac disponatur ad contritionem,& satisfationē, vt Deo commendetur *ita Reg.loco supra citato sect.3.num.7.vbi num.8.* ait non esse licitum,nec salutare consilium confiteri non Sacerdoti, ne quidem in articulo mortis,nisi is sit persona prudens, secretique tenax,& quæ pro futura sit, nec ob futura ita etiam *Fagūdez præcep, 2.lib.7.cap.1.num.7.* vbi habet, & ratione capiendi huiusmodi consilij,poterit aliquando fieri,vt licitum omnino sit, quod alteri suadeamus, vt viro laico prudenti, ac sapienti secreto aperiat peccata sua,quando id esset necessariū, vt peccator possit,per eum in re magni momenti iuuari,aut à periculo peccandi eripi,quod ex arbitrio prudentis circumstantijs, vndique consideratis committitur *ita etiam Suar.tom.4.disput.24. sect.1.num.12.*

Nu. 16 Vnde ex his maneat dicendum, solū Sacerdotem,ita esse ministrum simpliciter necessarium huius Sacramenti, vt in nulla necessitate, neque etiam ex dispensatione Papæ,alius sufficere possit, præter ipsum Sacerdotem, est conclusio de fide,& probatur *ex Trid.sess.14. can.10.* vbi absolute de fide definit, solū Sacerdotem, esse ministrum huius Sacramenti iure diuino,& *cap.6.* vbi docet absolute,& simpliciter ex iure diuino, & institutione Christi solos Sacerdotes, esse ministros huius Sacramenti, quæ autem ex institutione Christi sunt, Ecclesia mutare non potest,nec per vllam dispensationem facere,vt alius quam Sacerdos illud valide ministret *ita Fagundez præcep.2.lib.7.cap.1.num 1.vbi num.2.* etiam habet non solum Sacerdotes probos, & qui in gratia Dei sunt constituti,sed etiam malos, & iniquos, & qui rei sunt peccati mortalis, vt Ecclesia semper docuit,ac tenuit,esse ministros huius Sacramenti, & est etiam hoc de fide definitum *in concilio Tridēt. sess.14.can.10.& cap.6.* quia hoc ministerium non fundatur in sanctitate Ministri,sed in potestate, illi in ordinatione concessa, quæ propter peccatum nō amittitur *ita etiam bonus, & doctissimus senex Suar.tom.4 disp.24 sect.1 num. 6.*

Ex his collige,etiam si quis in mortis articulo inueniretur,non teneri ex præcepto confiteri, non Sacerdoti, vnde Fagundez *loco supra citato num.8.* habet ineptam prorsus esse confessionem illā, quam quidam Nautæ, in tēpestatibus, & periculis extremis,deficiente Sacerdote,alij alijs peccata sua confitētur, cū neque valida sit,neque ad capiendum cōsilium,necessaria, & ideo hic abusus, omnino euellendus est, & eis consulēdum,vt in eo periculo de salute curent, per ueram contritionem. Nu. 17

Item collige, per se loquendo non omnes Ecclesię Sacerdotes, ex vi suæ institutionis,& ordinis sacerdotalis esse iure diuino sufficientes, & idoneos ministros ad absoluendum à peccatis mortalibus,numquam confessis,ob defectū iurisdictionis,& ideo requiri,vt illis hęc iurisdictio detur, & conferatur, modo supradicto,ita inter alios *Fagandez præcep.2.lib.7.cap. 1. num. 14. vbi num. 15.* habet aduertenter dixisse Sacerdotes, non esse iure diuino, ex vi sui Sacerdotij,sufficientes ministros, ad absoluendum à peccatis mortalibus, nunquam confessis,quia à peccatis venialibus,& à mortalibus,iam semel rite confessis, potest absoluere, quilibet Sacerdos ex vi sui sacerdotij,præsertim si sit ab Ecclesia tolleratus,modo de illis solum fiat confessio *ita etiam Suar.tom.4.de Pœnit. disp.24.sect.2.num.8.*& reddit rationem quia circa venialia,& mortalia,iam rite confessa,& absoluta omnibus sacerdotibus,censetur dari iurisdictio,ab Ecclesia,& hic semper fuit vsus, & consuetudo illius. Nu. 18

Collige etiam aduertenter dixisse Fagundez *loco supra citato num.16.*(Per se loquendo)non habere sacerdotes,ex vi suæ ordinationis potestatem, ad absoluendum à mortalibus, non dum confessis,nec esse sufficientes ministros,huius sacramenti,ad excludendum casum extremæ necessitatis, & in mortis articulo,in quo omnes sacerdotes, etiam excommunicati,non tollerati modo supra dicto, possunt absoluere, ab omnibus Nu. 19

peccatis mortalibus,& censuris, etiam reseruatis,modo iam dicto, non quidẽ ex vi iuris diuini,& ordinarionis suæ,vt aliqui censent, sed ex iure tantum Ecclesiastico,ita vt huiusmodi iurisdictio, detur omni sacerdoti,etiam non approbato,in articulo mortis,iure tantum ecclesiastico,quare poterit Papa de potentia absoluta,in articulo mortis,eam auferre,quamuis numquam efficiet, propter antiquissimam consuetudinem,& quia non dabitur causa iusta, ob quam id efficiet *hæc Fagundez*.

Nu. 20 Quare vltra iurisdictionem,requiritur etiam *ex Trid.* approbatio Episcopi, vt sacerdos reputetur Confessarius idoneus,& valide absoluat quandoquidem *Trid.sess.23.ca.15.de refor.* decernit pręter potestatem ordinis sacerdoralis,nemini conferri potestatem iurisdictionis,nec esse idoneum confessarium,qui possit valide, & licite absoluere, fine approbatione,sui Episcopi,aut nisi Parochiale Beneficium habeat, ideo aliqualis potest esse difficultas circa verborum Tridentini intelligentiam.

Nu. 21 Et primo quæ ex verbis *Tridentini* patent,& nullam habent difficultatem ponemus; vnde patet primo prouisum de Parochiali beneficio, & cui annexa est animarum cura, nulla egere Episcopi approbatione,patet quia hos expresse excipit à necessitate obtinendi, hanc approbationem,ait enim *concilium sess. 23.cap.15.de refor. Nec ad idoneum reputari,nisi aut Parochiale habeat beneficium,&c.* cuius ratio est quia hoc ipso censentur approbari, quod iudicantur idonei ad animarum curam, & quod illis hoc beneficium confertur *ita Suar.tom. 4.disp.28 sect.4.num.2.* vbi habet hunc modum approbationis non fuisse de nouo à Concilio introductum, sed potius fuisse retentum, semper enim iste modus approbationis,habuit in Ecclesia magnam auctoritatem *ita etiam Barbos. de off. & potest. Episc.par.2.alleg 25.n.16.& in Trid sess. 23.cap.15.num.17. Fagundez pracep.2.lib.7.cap.2.num.2.* Quare Prouisus de Parochiali beneficio, & Parochus Sacerdos habet iurisdictionẽ ordinariam,in Pœnitentiæ foro, circa omnes suæ Parochiæ fideles, & censetur,quo ad hoc lege approbatos,absque alia desuper sibi facienda,per ordinariũ licentia vti habet *Barb. de off. & potest. Parochi par.2.cap.19.num.1.vbi num.3.* habet approbatum tantum dumtaxat, ad audiendas confessiones, censeri Parochum in ea Ciuitate, vel oppido, vbi sita est Parochia,non autem passim, per totam diœcesim, nisi virtute Cruciatæ, aut iubilei eligatur, quia tunc vbique sit eligibilis (intellige tamen quo ad extraneos sibi non subditos) quia suorũ confessiones, potest ille etiam in aliena diœcesi,& vbique locorum *ita Suar.to. 4.disp.28.sect.4.num.18.Fagundez pracep.2.lib.7.cap.2.num.35.Barb.de off. & potest.Parochi par.2.cap.19 num.3.4 & 5.& de off.& potest.Episc par.2.alleg.25. num.19.36.& 38.& in Trid.sess.23.cap. 15.num.20.*

Inferas ex hoc, post dimissum beneficium,non posse amplius Parochum, absque noua approbatione, accipere confessiones,nec etiam censeri sufficiẽter idoneum,& approbatum ad illas audiendas,tempore iubilei *ita Suar.tom.4. disp.28 sect.4.num.20.Reg. in praxi tom. 1.lib.1.cap.16.num.190.Barb.de off.& potest.Parochi par.2.cap.19 num.6.& de officio & potest.Episc.par.2.alleg.25.nu.38. Fagundez pracep.2.lib.7.cap.2. num. 38. Diana tract.11.de Bulla Cruciata resol.8. §.Notandum est tamen,& alij* cuius ratio est,quia requiritur,quod actu habeat,& non sufficit habuisse. Nu. 22

Valde aduertendum est,quod habet *Barb.de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 19.num.14.* scilicet non licere Parocho Cathedralis,Sacramenta administrare, vel curam exercere,in aliena Parochia *ita ait fuisse decisum a Sacra Congregatione Concilij in Eugubina 20. Aprilis 1628.* sicuti etiam aduerte,quod habet *nu. 42.* scilicet circa casus per Episcopum reseruatos, Parochum non posse ab illis,quẽquam absoluere,nisi in articulo mortis. Nu. 23

Nomine autem Parochialis beneficij,in præsenti intelligenda esse, etiam superiora beneficia,habentia curam animarũ,vt sunt Episcopatus, & Archiepiscopatus,& vt sunt etiam aliqui Abbates,Archipræsbiteri, & Archidiaconi, qui habent curam animarum annexã, quia de his omnibus eadem, vel fortasse maior est ratio,resoluunt *Suar.tom.4. disp.* Nu. 24

disp.28.sect.4.num.21. Fagundez *precep. 2.lib 7.cap.2.num.41 Barb.de offic. & potest. Episc.par. 2. alleg 25.num 17.& in Trid.sess.23.de refor.cap.15.num.19.Diana par.1.tract.11.de Bulla Cruciatæ resol. 8.S.Notandum est etiam.*

Nu. 25 An vero Prælati religionum, possint sine approbatione Ordinarij, audire secularium confessiones, & veniant appellandi,nomine Parochialis beneficij, respondet *Suar.tom.4.disp.28.sect.4 nu.21* (quidquid dicant alij)Prelatos religionum,ex vi suæ dignitatis,non habere iurisdictionem ordinariam, in seculares,& expresse illos non posse sine approbatione Ordinarij audire, secularium confessiones.

Nu. 26 Quamquam contrarium doceant *Henriquez,& Ioan.Valerius apud Dianã par.2.tract.16.resol.4* qui habent Prælatos religionum, vt sunt Priores, Guardiani,Ministri,& similes, licet non habeant approbationem, & licentiam ab Episcopis, posse nihilhominus audire confessiones secularium, quia quamuis stricte, non habeant beneficium Parochiale,largo tamen modo dicuntur ipsum habere,quia habent curam animarum,& sunt communiter probatiores, & digniores,tam litteris, quam moribus,plerisque secularibus, habentibus curata,& consequenter per eos sufficiẽter,satis fit menti *Concilij Trid.* ita Valerius,qui etiam docet,Sacerdotes simplices sine licentia, & approbatione Episcopi posse absoluere,non solum peccata venialia,& mortalia, in confessione aliàs rite confessa,sed etiã peccata mortalia,in confessione oblita; Cuius verba sunt hæc.Ego puto probabile peccata oblita (cum iã sint indirecte absoluta, in prima confessione) posse postea absolui, à quocumque etiam non approbato, seu exposito *Sic Valerius* Tu autẽ cogita,& an probabiliter, viri docti iudicent.

Nu. 27 His igitur peractis,tandem animaduertas,quod habet *Fagundez præcep. 2, lib.7.cap.2.num.39.* Prælatum Monasterij,qui non est approbatus ab Episcopo loci,licet sit actualis monasterij Prælatus, & æquetur in iure, habenti Parochiale beneficium, tamen per Bullam, aut aliud priuilegium, non esse eligibilem,à secularibus,aut idoneum, vt Parochus secularis, ei suas oues committat (quidquid dicat *Henriq.* apud ipsũ) & ratio est primo, quia *Trid.* loquitur de secularibus,qui habent beneficium Parochiale,& non de religiosis,secundo quia loquens de omnibus religiosis, ait expresse, illos debere esse ab Episcopo approbatos,vt possint confessiones secularium,etiam Sacerdotum audire, vnde parum refert,quod in alijs iure æqui parentur Parochis,cum constet de mẽte, & sensu Concilij, & hæc de primo approbationis modo.

Vt autem secundum explicemus modum,requiritur etiam *ex Trid. sess. 23. de refor.cap. 15.* vt Sacerdos etiam valide, & licite possit absoluere, & esse ministrum huius Sacramenti, Approbatio Episcopi,ait enim *Trid.* nullum etiã regularem,posse confessiones seculariũ, etiam Sacerdotum audire,nec ad id idoneum reputari,nisi ab Episcopis, per examen,si illis videbitur,esse necessariũ, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem,quæ gratis detur obtineat, priuilegijs,& consuetudine, quacumque etiam immemorabili non obstantibus, vt autem melius hæc Concilij verba, quoad Episcopi approbationem, intelligantur. Nu. 28

QVAERES OCTAVO.

Quænam adnotari possint,circa Episcopi approbationem.

Et primo,tamquam certum supponendum est,in omnibus alijs Confessarijs,tam secularibus, quam regularibus,ad audiendas confessiones secularium,etiam Sacerdotum, hanc requiri Episcopi approbationem *Ita Suar.tom. 4.disp.28.sect.4 num.9.Sanch.de matrim. tom.1.lib. 3.disp.29.num.15.Reg. in praxi tom.1.lib.1.cap.16.num.169.& sequentibus Barb.de off & potest.Episc.par.2.alleg.25.num.2.& in Trid sess.23 de refor. cap.15.nu.2.* quamuis sit doctor, lector, licentiatus, in sacra theologia, vel iure canonico,& famosus Prædicator,de cuius scientia,per publicam facti,& doctrinæ euidẽtiam constat, adhuc illum cõprehendi,sub hoc decreto, & teneri ap- Nu. 1

pro-

probationē petere ab Episcopo, docet *Suar.tom.4 disp.28.sect.4.num.3.* vbi fine ait verumtamen cum Concilium nihil excipiat, sed simpliciter, & fine vlla adiectione dicat (Nullum) neminem excipiendum esse, ratione dignitatis, cuiuscumque, aut consecrationis, nisi quatenus babet annexam aliquam animarum curam, modo supradicto.

Nu. 2 Quæ quidem approbatio nihil aliud est quam authenticum testimonium, quo sacerdos approbatus, ab Episcopo declaratur, idoneus ad hoc munus exercendum *ita Fagūdez pracep. 2. lib.7.cap. 2 num 6.*

Nu. 3 Quapropter ille, qui sic Confessario non approbato, ignorāter confessus fuerit, ob fidem, quam habuit in Sacramento, quo ad Deum est absolutus, & si deinde sciuerit, confessarium illum, non esse approbatum, tenetur reiterare confessionem *ita Barb de off. & potest. Epis. par.2.alleg.25.num.4. & in Trid. sess. 23. de refor.cap.15.num.5.Ioa.Andreas apud Dianam par.6.tract.6.resol.52.S. Vnde*, quare non approbatus, inualide confessiones audit vt ait *Suar.tom 4.disput.24. sect. 2.num.7.Barb.in Trid loco supra citato num.4 qui pro se citat Sanch.de matrim. tom.1.lib.6.disp.38 num.20. & alios quāplures vnde Diana loco supra citato S. Sed hac* ait cōtrariam sententiam, nec tutā, nec probabilem, dici posse; immo seueriori censura dignam esse putat, cum certissimum sit, ad valorem Sacramenti non sufficere solum id, quod accipitur in ordinatione.

Et licet Episcopus, posiit ex vi Concilij Sacerdotibus notorie sufficiētibus,

Nu. 4 concedere licentiam, audiendi Christi fidelium confessiones, etiam si examini non exponantur, vt patet ex verbis cōcilij ibi *Si illi videbitur esse necessarium. & asserunt Reg.in praxi tom.1.lib.2.nu 197 Barb.in Trid sess.23.de refor.cap. 15.nu. 32.Diana par.7.tract.11.resol. 33. S. Sed etus* vbi obiter notat, quod admisso ad confessiones, fine examine, Episcopus potest fine causa reuocare licentiam, confitendi, quia illud fuit priuilegium, penitus gratiosum, ergo, & gratis reuocari potest, sed hoc obiter nota.

Nu. 5 Tamen non potest subditis suis, facultatem concedere eligendi, sibi confessarium, ex non approbatis, quem voluerint *ita Suar.tom.4.disp.28 sect.7.nu.17. vbi num.18.* Habet Parochum, non posse dare facultatem, suis Parochianis, eligendi, confessarium, nisi ex approbatis, ab Episcopo, & potest si velit, restringere facultatem, vt Sacerdos eligendus, debeat esse approbatus, à proprio Episcopo suæ diœcesis, quia amplitudo, vel restrictio facultatis voluntaria illi est.

Secundo supponendum est, non oportere hanc approbationem, dari in scriptis, ad modum authentici testimonij, & sententiæ *ita Barb. de off. & potest. Episc. par.2 alleg.25.num.22. & in Trid sess.23. de refor.cap.15. num. 33.* qui inter alios pro se citat *Homobonum* asserentem cōsultius esse, præfatam in Confessarium approbationem, in scriptis dari, vt ipse eam exhibere possit, quoties expedire, & opus esse iudicauerit *vide Fagundez precep.2 lib.7.cap.2.num.60.* At vero, an approbatio semel ab Episcopis, sacerdotibus secularibus, impensa, possit reuocari, quoties Episcopi voluerint, & licet *Fagundez precep.2.lib.7.cap.2.num.61.* afferat tres sententias, tertiam tamen ipse tenet, quæ docet non posse Episcopum, fine iusta causa, approbationem Sacerdotibus secularibus, suis subditis, etiam semel datam reuocare, data autem, & probata iusta causa, posse, quam sententiam primo docuit *Suar.tom 4. disput.28. sect. 8. num.7. ita etiam deinde Barb. de off. & potest. Epis.par.2.alleg.25. num.57.* Nu. 6

Ad illam autem quæstionem, scilicet an approbatio semel data, & iniuste, & fine causa reuocata; sit ipso iure nulla, an solum illicita, respondet ipsemet *Fagundez loco supra citato num. 63.* quod si approbatio sit concessa, ab Episcopo, vsque ad beneplacitum suum, validam, & licitam esse reuocationem illius, fine vlla causa factam, quia ex modo concedendi, illam, satis intelligitur, semper eam approbationem pendere, ex voluntate concedentis, si vero nō hoc modo fuerit concessa, sed simpliciter, vel ad tempus, vel in perpetuum, respōdet inualidam omnino esse reuocationem fine causa factam, quia talis reuocatio, fine causa facta, est, quædam ablatio iuris, iam acquisiti, vel quasi reuocatio iu- Nu. 7

stæ

stæ sententiæ sine causa reuocādi facta, vnde concludit non tantum esse iniustam, sed inualidam, vnde quandiu ex parte Sacerdotis approbati, non datur aliqua mutatio, quæ iustam causam præbeat Episcopo reuocandi talem approbationem, non solum iniuste profecto, sed etiam inualide, talis approbatio reuocatur *hac Fagundez*.

Nu. 8 Quare *Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 25. num. 57.* causam iustam, in casu nostro, illam esse, quæ ad confessiones ipsas spectauerit vt refert *num. 50.* ex declaratione Cardinalium decisum fuisse, prout etiam, etit, si contingat, Cōfessarium abiurari de vehementi, quia amplius ad audiendas confessiones, non debet admitti, qui pro hac sententia citat *Laurentium de Franchis*, qui refert in sacra Congregatione generalis inquisitionis fuisse decisum die 6. Martij 1596. Sacerdotem iurantem, de leui, nō esse impeditum, exercere omnes ordines, & Sacramenta ministrare, ac fideliū etiam sæcularium confessiones audire, secus in abiuratione de vehementi.

Nu. 9 Et licet ex Concilij verbis, huiusmodi approbatio gratis dari debeat, tamen si huiusmodi approbatio prætio, & pecunia detur, licet Episcopi peccent mortaliter, vel venialiter, si aliquid pro illa, ita exiguum detur, vt ad materiam peccati mortalis, non perueniat, tamen ipsa approbatio valet *ita Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 2. num. 66.* quia vt optime asserit *Suar. tom. 4. disp. 28. sect. 5. num. 10.* *verba Concilij* solum continent præceptum, quo præcipitur Episcopis, vt hanc approbationem gratis concedant, non vero, quod illa conditio sit posita, tam quam ita necessaria, vt si non fuerit expleta, approbatio non valeat *ita etiam Barb. in Trid. sess. 23. de refor. cap. 15. nu. 51. vbi num. 52* habet Cancellario Episcopi, nullo pacto licere, etiam in vim taxæ antiquæ, pro approbatione, ad confessiones audiendas, quam hoc decretū gratis dari mandauit, quidquam exigere.

Nu. 10 Circa illam difficultatem vtrum sufficiat tacita, Episcopi approbatio, optime respondet *Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 2. num. 71.* approbationem de præsenti sufficere, pro eo actu, scilicet si Episcopus videt aliquem sacerdotem secularem, aut regularem, pium, & doctum, non approbatum confessiones secularium audire, sciatque, & animaduertat, illum non esse approbatum, & non contradicat, hæc dicitur approbatio, ex rathi habitione, de præsenti, quæ sufficit pro hoc actu tantum, ita etiam *Sanch. de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 25. num. 22.* & sic huiusmodi Sacerdos, ex ratihabitione Episcopi, de præsenti, sciente, & vidente, & consentiente Episcopo, & non contradicēte, cum possit, censebitur, approbatus ad illum actum tantum, seu ad illas confessiones, quas Episcopus videt, & pro illo tempore, quo videt, & non cōtradicit. Vnde non censebitur approbatus simpliciter, ad munus Confessarij, exercendum, vt docent *Tol. lib. 3. summe cap. 13. num. 5. Henriquez, & alij apud Fagundez* cuius ratio est, quia si peteretur licentia, & approbatio ad illum tantū actum, & tempus, & illa ab Episcopo daretur, non censeretur ille Sacerdos simpliciter approbatus ad alios, & perinde est tunc, ac si ad illud petaretur.

An vero, si Episcopus videns Sacerdotem, non approbatum, audire confessiones secularium, & tacens reuera interne non consentiat, nec det licentiam, etiam tunc confessio inualida, esse inualidam ex defectu approbationis, & iurisdictionis affirmant *Medina Petrus de Ledesma, & alij apud Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 25. numer. 23. §. Sed quid* verum probabilius ait esse validam *Barb.* quam sententiam primo docuit *Sanch. de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 22. num. 64. §. Cæterum* vbi habet huiusmodi cōfessionem esse validam, quia ea ratihabitio, de præsenti, reputatur in iure, & apud peritos vera licentia, sicut licentia expresse concessa, & ita concurrit titulus præsumptus, & communis error. Nu. 11

Collige autem, ex his non sufficere approbationem ex ratihabitione de futuro, quia scilicet aliquis Sacerdos secularis, vel regularis credit Episcopum, postea ratihabiturum, factum, parum enim refert, quod postea, id ratum habeat Episcopus; nam fuit actus, & confessio inualida, & quod semel inualidū est, postea nunquam tractu temporis conualescit *ita Sanch. tom. 1. de matrim. lib.* Nu. 12

lib 3.disp. 35. num. 17. Tol. lib. 3. summe cap 10. num. 2. Fagundez pracep. 2. lib. 7. cap 2. num. 72.

Nu. 13 Quænam scientia, requiratur in approbatione Confessarij? Dico primam scientiam in confessario, non esse necessariam, simpliciter, sed ab bene esse, scilicet propter rectitudinem, sui officij, sicuti est necessaria sanctitas, & prudentia, ad bene esse, qualis, & quanta debeat esse scientia, cuius defectu reddatur confessio inualida, & iteranda, aliqua certa regula determinari non potest, sed relinqui debet arbitrio, boni viri prudenter considerantis, qualitatem loci, vbi audiendæ sunt confessiones, & condictiones personarum, tam Penitentis, quã confessarij, vnde communiter confessario necessaria est, ea scientia, qua sciat possit ne, eum, qui sibi confitetur absolvere, an non, & an ea de quibus confitetur ille, sint peccata, vel non, & an peccata mortalia, vel venialia, si quæ in aliquo esset difficultas, dubitare sciat.

Nu. 14 Ac proinde inualidam existimant, cũ confessionem factam, sacerdoti ignorãti ea, quæ communiter scire tenetur, & reiterandam ita *Riccardus, Siluester, Caietanus, & alij quos sequitur Eossius apud Dianam par. 5. tract. 14. resol. 22.* quamquam contrariam opinionem probabilem existimet *Diana* qui pro se citat *Prepositum, Hurtadum, Mercerum, & alios*, qui ait dicendum est igitur absolute, quod confessio non est inualida, propter solum defectum scientiæ sacerdotis modo cetera adsint, quia licet Confessarius sit ignarus, si tamen sit approbatus, & habeat iurisdictionem adsunt materia, forma, & minister, cum intentione, ergo si Pœnitens agit bona fide, & sufficienter dispositus accedit, Sacramentũ valebit vnde S. Dicendum, est cõcludit talem confessionem non esse iterandã, etiam si Pœnitens rescierit postea eius ignorantiam.

Nu. 15 At vero, si Pœnitens confiteatur Sacerdoti, sic ignoranti, eius ignorantiam aduertens, peccabit mortaliter, ac proinde quantum est ex parte ipsius, confessio fiet nulla, defectu doloris, & integritatis cõfessionis, & in hoc casu sequẽdam esse primam opinionem ait *Diana* verum.

QVAERES NONO.

Quomodo intelligenda sunt Tridentini verba, sess. 23. de refor. Nullum etiam irregularem posse confessiones secularium audire, etiam Sacerdotum, &c.

Ante omnia, manifeste apparet, ex huiusmodi concilij verbis colligi posse, nullo modo regulares, indigere Episcopi approbatione, ad audiendas confessiones regularium virorum, ac mulierum, cuius ratio est, quia Concilium solum loquitur, de confessionibus secularium, & solum requirit, in regularibus approbationem Episcopi, ad audiendas confessiones secularium, etiam Sacerdotum, non regularium, ait enim concilium. *Quamuis Præsbiteri in sua ordinatione, à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus. Nullum etiam regularem, posse cõfessiones secularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, &c.* quare cum antea Trid. potuisset Prælati regulares, ad quos id, ex statuto suo spectabat, exponere confessarios regulares, non approbatos ab Episcopis ad audiendas cõfessiones suorum regularium virorum, vel mulierum, possunt etiam, & nunc, post Tridentinum, cum nihil circa hoc innouauit *Trid. ita Suar. tom. 4. disp. 28. sect. 4. num. 5.* vbi reddens rationem ait, quia hoc potest iure antiquo, & communi, seu per propria priuilegia, & per hoc decretum nihil in hoc est, innouatum, maneat ergo dicendum regulares nullo modo indigere, Episcopi approbatione ad audiendas confessiones regularium virorum, ac mulierum *ita Fagundez pracep. 2. lib. 7. cap. 2. num. 10. §. Super hac Sãcius in select. disp. 49. num. 2. & alij quam plures apud hos.* Nu. 1

Ex quo inferas, quod habet *Suar. loco supra citato* nempe si religiosus, nunc habeat facultatem, eligendi confessorem, posse eligere quem inuenerit, sibi idoneum, quamuis ab Episcopo approbatus non sit, cuius ratio eadem est, quia Conciliũ in hoc nihil innouauit, & licet quidam hoc limitent, asserentes, hoc intelligi debere, quando superior expresse con- Nu. 2

concedit hanc facultatem, nam si tantũ faciat licentiam, eligendi confessorem, dicunt interpetrandam esse, de approbatis ab Episcopo, sed respondet *Suar.* non est cur ita interpetremur, quia potius existimandum est superiorem, velle, vt religiosus vtatur iure suo ita etiã *Fagundez loco supra citato num.* 11.

Nu. 3 Vnde *Sanctius in selectis disp.* 49 *nu.* 8. ait si alicui regulari, à superiore concedatur licentia, eligendi sibi confessariũ, quem vellet, in itinere, posse quidem tunc, eligere sacerdotem secularem, non approbatum ab Episcopo, propter rationem traditam, vbi habet dummodo tamen, Sacerdos electus, sit idoneus.

Nu. 4 At si illiteratus esset, omnino cõfessio foret inualida, vt pote facta incapaci naturaliter, imo facta confessio, plane ignaro confessario, etiam in articulo mortis, etiam esse nullam, probat ex *Vasq. apud ipsum*, & reddit rationem, quia incapacitas naturalis, non suppletur per necessitatem illius articuli, quamquam contrarium afferat *Diana par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 22. *§. Dicendum*, Illud autem aduertendum est, quod habet *Reg. in praxi tom.* 1. *lib.* 1. *num.* 41. scilicet regularem approbatum, à suo superiore, ad excipiendas aliorum regularium cõfessiones, solum debere intelligi, respectu aliorũ regularium virorum, vel monialium, sui ordinis, nam huiusmodi regulares, sunt oues illius superioris, non vero regulares, alterius ordinis *ita etiam Sanctius loco supra citato num.* 5.

Nu. 5 At vero, si regularis habeat, bullam cruciatam, aut priuilegium, aut per iubileum ei conceditur facultas, eligendi confessarium, aut ad id obtinet, licentiam à suis superioribus, potest eligere, quem voluerit, non solum clericum secularem, quem inueoerit sibi idoneũ, quamuis non sit à suo Episcopo approbatus iuxta formam *Trid.* modo in Bulla, licentia, priuilegio, expresse non dicatur, vt eligat quẽ voluerit, ex approbatis, iuxta formam Concilij *ita Suar. tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 4 *num.* 5. *Fagundez præcep.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2 *num.* 12. *Sanctius in selectis disp.* 49. *num* 7. *& alij apud hos* verũ etiam, & regularem approbatum, solum per eius superiorem, quamuis non obtineat approbationem per Episcopum, vti asserit *Sanctius num.* 6. & ratio vtriusque est, quia Concilium nihil innouat circa regulares, modo supradicto, vnde sicuti antea Concilium, id poterant efficere, sic etiam possunt, hodie, post illud, à iure autem antiquo non est recedendum, nisi expresse per aliud recens emẽdetur, corrigatur, limitetur, aut reuocetur. At in Trid. nihil circa regulares fuit emendatum, correctum, aut reuocatũ, vt patet, quia ratio, quæ mouet *Conciliũ* ad irritandas confessiones secularium, quæ fiunt confessarijs, non approbatis, à suis Episcopis, non militat in religiosis, & Monialibus. Seculares enim conscientias habent, communiter grauioribus peccatis oneratas, & ideo ratio postulabat, vt illis assignentur medici, & iudices, qui à suis Episcopis iudicentur idonij, id quod non euenit, in religiosis, qui communiter sunt cautiores in peccando, & conscientias habent magis timoratas. Maneat igitur, cessante, in religiosis causa, ob quam lata est lex, cessare etiam communiter, legis obligationẽ, in eo particulari hæc optime *Fagundez*.

Item licet in bulla, priuilegio, licentia superioris exprimatur, vicntem illa, vel illis debere eligere confessarium approbatum ab Ordinario intelligi oportet, iuxta formam traditam *in Trid. sess.* 23. *cap.* 15. quod scilicet nullus, nec etiã regularis, possit recipere confessiones secularium, imo nec Sacerdotum, nisi præmissa per Episcopũ approbatione, modo superius dicto, vnde ad seculariũ, solummodo confessiones excipiendas, approbationem per Episcopum præmittendam desiderat *Trid.* non autem ad regularium, Igitur tantum inducit *Tridentinum* obligationem, quod Sacerdos secularis, absque approbatione Episcopi, non audiat secularium confessiones, bene igitur poterit, sine Episcopi approbatione, eiusdem regularium audire cõfessiones, vt concludit *Sanctius in selectis disp.* 49. *num.* 7. Nu. 6

Ex his igitur collige, posse Clericos, ordinum militarium, sub clausura viuẽtes, absque Episcopi approbatione, auscultare confessiones virorum, sub eadẽ clausura viuentium, siue etiam monialium, quia illi vere religiosi sunt vti probat *num.* 9. *Sanctius ex Sanch. tom.* 1. *de matrim.* Nu. 7

P

trim.lib.2.disput.18.numer.7.

Nu. 8 Item Equites S.Ioannis,confiteri possunt Confessario regulari,siue seculari, non approbato per Episcopum, modo supradicto,quia vere religiosi sunt, vti asserunt quomplures doctores apud *Sãcium loco supra citato num.10.* & ego de his non dubito,quod sint veri religiosi.

Nu. 9 Item,qui tenent Sacerdotes ordinũ militarium,S.Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ,qui in communitate, & clausura viuũt,esse veros religiosos, asserere coguntur hos facultatem habere,eligendi Confessarium non approbatum,ab Episcopo vti censent *Sancius num.9.S. Facultatem,& num.11.* etiam probabile censet,Sacerdotes S.Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ posse audire, aliorum militũ suorum ordinum,confessiones,absque Episcopi approbatione,& se subicere, ad confitendum sacerdoti seculari non approbato per Episcopum, quia hos milites probabile est, religiosos esse, id quod etiam asserit *nu.13.*de Equitibus Christi,& Auis in Lusitanea,& Montesæ in Aragonea,& S. Stephani in magnu Ducatu Florentiæ,& Sanctorum Mauritij, & Lazari, de quibus probabiliter arbitratur *Sancius* esse etiam veros religiosos, cum hi etiam milites professionem,trium votorum,in manibus Prælatorum emittant,non aliter, ac milites S.Iacobi,Alcantaræ,& Calatrauæ, præter equites S.Stephani, qui votum castitatis,obedientiæ,& charitatis emittũt & non paupertatis *vt ex Bulla Pij IV. ad fundationem concessa anno 1560. Cosmo de Medicis Florentiæ magno Duci constat,* & Sanctorum Mauritij,& Lazari,qui loco paupertatis,hospitalitatis erga lepros emittunt. Et idem iudicat *Sancius* de quibusdam alijs religionibus militaribus,tria vota emittentibus,in manibus Prælati à sede apostolica approbatis.

Nu. 10 Sed vnusquisque suam teneat opinionem,quando sunt,qui asserant, etiam probabiliter,hos ordinum militarium equites,non esse in rigore religiosos (intellige tu præter equites S. Ioannis de quibus non dubito esse vere religiosos) de alijs autem probabiliter assero vnde *Gratia de beneficijs apud Sancium loco supra citato num.22.* air probabilius, large esse religiosos,& videtur esse sententia D.*Tho.2.2.quæst.186. ar. 4. ad 3.* vbi docet illos viuendi modos, secundum quos homines matrimonio vtuntur,non esse simpliciter, & absolute loquendo religiones,sed secundum quid, in quantum scilicet in aliquo participant,ea quæ ad statum religionis pertinent,id quod etiam *Abbas, & alij apud Sancium loco supra citato num.10. fine* asserunt de Equitibus S. Ioãnis docentes stricte ipsos,non esse religiosos, sed large sed quidquid sit nos alibi.

Vnum tamen velim aduertas, secundum illam probabilem opinionem, virorum doctorum asserentium, Equites ordinum militarium (intellige tu præter Equites S. Ioannis) non esse veros religiosos decisum fuisse in Panormitano Senatu,ab aliquibus viris doctis, annis præteritis cui decisioni Ego adesse nolui, quia probabiliter reor, omnes hos supradictos Equites ordinum militarium, esse veros religiosos ad huiusmodi Equites (præter Equites S. Ioannis) non teneri Panormitanum Senatũ soluere, eorum solitum scaxiatum, & Franchitias, vti deinde mihi relatum fuit,asserentes probabile esse,huiusmodi Equites non esse vere religiosos, & posse Senatum Panormitanum, sequi hanc probabilem opinionem,quare iuxta hanc probabilem opinionem non debere eis soluere scaxiatum, vti hodie secundam hanc decisionem minime eis soluit. Nu. 11

QVAERES DECIMO.

An tentatur Episcopus, approbare regulares,à suis superioribus, sibi præsentatos, ad confessiones secularium audiendas, & an si viros plane idoneos, & doctos regulares,ex odeo ad examen non admittat,possint non obstante dispositione Tridentini confessiones audire, ac si essent approbati.

QVo ad primam partem dicendũ puto,posse ad examen non admittere, si tamen admittat, & dignos inueniat,teneri,ex iustitia prædictos regulares approbare,quia eo ipso, quod Episcopus,eos ad examen admisit cum illa approbatio sit actus iustitiæ, Nu. 1

iam

iam prædicti regulares examinati habent ius in re acquisitum, ad illam, quo si iniuste priuentur peccabit Episcopus lethaliter, contra obligationem sui muneris maneat igitur semel ad illud admissis, non posse iuste negari, si digne inueniantur, & aliunde ratione morum non costet esse indignos *ita Fagundez pracep.2.lib.7 cap.2.num 15.*

Nu. 2 Quo ad secundam partem, respondet *Suar. in 3.par.tom.4. disp. 28. sect. 5. num.6.& num.5.* negatiue dicens *nu. 6.* iure ordinario, necessariam esse hanc approbationem, re ipsa exhibitam, nec sufficere peritam, etiam si iniuste negetur, *nam Tridentinum* hanc posuit conditionalem. Nisi quis sit approbatus, ab Episcopo, non potest confessiones audire, sed huiusmodi conditionalis, habet hanc vim, vt si re ipsa, non apponatur non sequatur effectus, ergo, &c. *& n.15.* habet etiam in his regularibus necessariam esse hanc approbationem obtentam, tenentur tamen Episcopi, ex iustitia illam non negare, sine causa, & grauiter peccarent aliter faciendo ita etiā *Sancius in selectis disp.48 num.16. Reg. in praxi tom.1.lib.11.cap.16.quæst. 5.num. 192.* & hanc sententiam sequuntur quāplures Doctores *apud Dianam tract. 2. de dub. regul. resol.24. initio.*

Nu. 3 His tamen non obstantibus, mordicus nouissime defendit contrariam sententiam *Fagundez pracep.2.lib.7.cap.2. num.15.* qui prose citat, varios doctores docentes, quando Episcopi, viros plane idoneos, & doctos regulares, ex odeo, & maleuolentia, sine causa ad examen nolunt admittere, cum eis à Prælato suo, ordinis mendicantis, legitime præsentantur, posse illorum ordinis mendicantis Prælatos, eo ipso exponere prædictis Confessoribus secularium audiendis; eosque ad tale munus approbare, ex vi alicuius priuilegij, in iure communi inserti, quod à *Tridentino* non reuocetur & consequenter sufficere, tunc peritā, non obtentam, sico modo iniuste negetur, & probat præcipue suam sententiā *ex Clementina Dudum de sepult.* in fauorem religiosis, vbi ipso iure, approbantur, mendicantes à *Clemente Quinto* ad prædictas confessiones secularium audiendas, si Episcopi ex odio, & maleuolentia huiusmodi religiosos, à suis superioribus præsentatos, ad examen approbationis, non admiserunt, aut iam admissos, & dignos inuentos, ex eodem odio non approbauerunt, quia in proposito casu, licentia petita, & iniuste negata, censeretur ipso facto concessa, *& concilium Tridentinum* non reuocare dictā Clementinam hæc mordicus defendit *Fagundez, qui etiam num.16.* haber idem dicēdum esse si ex eodem odio, aut maleuolentia, limitate, tantum ad annum, ad homines solum, non ad fœminas, ad hunc locum, ad vrbem, non ad illū eosdem viros religiosos probos, & doctos approbent *ita etiam Layman Villal. & alij apud Dianam tract.2.de dub. regul. resol.24.* §. His *tamen ita etiam Cellotius Stephanus Bauny Calestinus apud eundem Dianam par.6.tract.7.resol 60.*

Non me etiam teder, aducere *Peirinū de priuileg. minor. tom. 1. constit. 26. Leonis X. S.6.num.7.* vbi sic habet, si Episcopus regularem debite præsentatum, & examinatum, indebite reprobauerit, poterit nihilhominus per eius priuilegia, licite, & valide, cōfessiones audire, nec hoc est contra *Concilium Trid. sess. 23.cap.15.* nam credendum est, conciliū voluisse tantum, idoneis ministris facultatem concedere, confessiones audiendi per examen Episcoporum recte, & rationabiliter iudicantium, non autem consouere aliquos eorum, in suis passionibus, & odijs contra regulares, & quā documque cum maximo Christi fidelium scandalo. Quare si quis regularis, cum licentia sui superioris, & Prælati examinatus, & iudicio examinatorum, vel maioris partis ipsorum, fuerit idoneus iudicatus, & tamen propter passionem fuerit ab Episcopo reprobatus (saluo saniori, & meliori iudicio) puto, quod licite, & valide, poterit confessiones audire, si nihil obest v. g. quod non sit malæ famæ, nec scādalose viuat, quod tamen præsumendum non est, quando adest legitima superioris licentia, ita *Peirinus ita etiam Lezana Finel. & alij apud Barb. in Trid. loco supra citato num. 31. vers. licet non defuerint, & alij apud Dianam par.5.tract.13.resol.45.* Nu. 4

Tamen his non obstantibus, in factī contigentia consulere regularibus, vt Nu. 5

Suarij sententiam sequantur, & hanc nouissime sequutus est *Lugo de Pœn. disput.21. sect.3. num.52*, vbi asserit sententiam affirmatiuam esse contra sensum fidelium, & praxim Ecclesiæ, & contra mentem *Concilij Tridentini*, in quo procul dubio intentio fuit reformandi, has regularium facultates, & ideo dictum fuit, *Nullus Sacerdos secularis, vel regularis, &c.* & postea *non obstantibus quibuscumque priuilegijs* alioquin nunc liceret, adhuc regularibus audire confessiones, licet Episcopus ex iusta causa approbationem denegaret, cum in illo priuilegio solum requiratur, quod se Episcopo præsentent, quod tamen nemo concedit, cui sententiæ adheret etiam *Diana par.6. tract.7. resol.60. §. Sed pace*.

QVAERES VNDECIMO.

An approbatio semel data possit sine causa, eo tempore, quo data est, iuste reuocari, & reuocata sit nulla.

Nu. 1 AD primam huius Quæsiti partem respondet *Fagundez præcep.2. lib.7. cap.2. num.14. §. Dicendum tamen, vers. sicut enim* non posse Episcopum licite, sine iusta causa, approbationem semel datam reuocare *vnde Diana par.3. trac.2. de dub. regul. resol.21.* assignans huius rei rationem, ait, quia huiusmodi potestas, data est illi in ædificationem, vbi pro se citat *Portellum in dub. regul. vers. confessoris præsentatio, num.1. quare Stephanus Bauny, & Ioa. Præpositus apud Dianam par.6. tract.7. resol 62. §* cuius docet regulares ordinum mendicantium, ab aliquo Episcopo approbatos, præuio examine non posse ab eodem examinari, posse verò à successore, sed de hoc infra.

Nu. 2 Quare probabiliter putant non nulli, licentiam sine iusta causa reuocatã, esse nullam, & posse talem confessarium ex vi Prioris licentiæ, confessiones audire, cuius ratio est quia talis reuocatio sine causa facta est, quasi ablatio iuris, iam acquisiti, vel quasi reuocatio sententiæ iustæ, sine causa, ergo non tantum erit iniusta, sed etiam nulla vti asserit *Suar. tom.4 disp.28 sect.8. num. 7. quare Diana par.3. tract.2. de dub. regul. resol.22* asserit licet hæc opinio, quo ad confessarios seculares, nõ sit ita certa, nam vt ait *Suar. loco supra citato num.8.* respectu confessariorum secularium, non posse ram facile constare reuocationem, esse omnino iniustam, & sine legitima causa, vbi autem hoc aperte non constiterit, semper est pro superiore præsumendum, tamen quo ad regulares, omnino tenendam esse putat supradictam sententiam, & hãc sequutus est etiam *par.6. tract.7. resol.62. §. Sed quo ad vers. Sed si Episcopus*.

His tamen non obstantibus, adhuc consulerem regularibus, vt ab excipiẽdis confessionibus se abstineant, quia vt habet *Suar. tom.5. disp.28. sect.6. num.8.* rationes quibus probatur supradicta opinio, non sunt adeo euidentes, quin relinquant rem aliquo modo dubiam, *& nu.7.* docet licet probabile sit, reuocationem ab Episcopo factam, sine causa, esse nullam, tamen res dubia est, & timẽda, quare ad tollenda dissidia, & remouenda scandala, quæ cum Episcopis oriri possent, deberent regulares, illam in praxi non deducere, è contrario vero Domini Episcopi, conseruare deberent regularibus, eorum priuilegia verum vide *Dianã loco supra citato, & par.4. tract.4. misc. resol.200.* Nu. 3

QVAERES DVODECIMO.

An Episcopi possint ex iusta causa, approbare religiosos ad confessiones audiẽdas, limitate tantum, v.g. ad hoc oppidum non ad aliud, ad viros, & non ad fœminas.

VErum quidquid dicant non solum aliqui *apud Dianã tract.2. de dub. regul. resol.25. §. Sed his verum etiam, Cellotius apud eumdem* Dianam *par. 6. tract.7. resol. 61. initio & Zabellus* asserentes Confessorem doctum, & approbatum ab Ordinario per vnum annum, etiam transacto anno, posse audire confessiones, quia remanet approbatus à Papa: item approbatum pro hominibus dumtaxat, eo quia ætatis suæ, adhuc non tetigit quatragesimum annum, posse etiam audire cõfessiones mulierum, quia hęc, non est causa rationabilis, pro coarcta- Nu. 1

tione

tione suæ auctoritatis. His tamen non obstantibus, quo ad dubium affirmatiue respondendum puto ac proinde, ex iusta, & rationabili causa, poterunt Episcopi approbare religiosos limitate tantum, ad hoc oppidum non ad aliud, ad viros, non ad fœminas, ad annum, vel ad biennium, non simpliciter *ita Fagundez præcep. 2. lib. 7. cap. 2. num. 17. ita etiã Lugo de Pœn. disp. 21. sect. 3. §. 1. num. 57. & hanc sententiam sequutus est Diana loco supra citato §. Sed ibi & tract. 2. de dub. regul. resol.* 25. vbi fine ait, licet opinio contraria, videatur, esse probabilis, & talem vocet *Villal. apud Dianam* verũ praxis Episcoporũ, est in contrarium, limitat enim regularium cõfessiones, ad viros, & non ad fœminas, ad annum, vel ad biennium, & non simpliciter.

Nu. 2 Causa autem sufficiens, ad huiusmodi limitationem, esse poterit, vel insufficientia illorum, vel suspicio in moribus, vel vt maior experientia de illis, tractu temporis habeatur *ita Fagundez loco supra citato nu.* 17. vbi etiam habet, idem dicendum esse, de approbatione, ad prædicandum.

QVAERES DECIMOTERTIO.

An Episcopi, admittentes regulares, ad audiendas confessiones, vsque ad beneplacitum, possint dictas licẽtias, ad libitum reuocare.

Nu. 1 AD hoc Quæsitum, respondet *Peirinus de priuileg. minorum tom. 1. constitut. 2. Sixti IV. §. Secundo num.* 44. licet communiter, quod ad beneplacitum conceditur, possit ad libitum concedẽtis reuocari. In subiecta tamen materia, puto, quod non possit ad libitum, Episcopus licentiam confessionis audiendæ, ad placitum datam, reuocare, sed, quod requiritur, iusta causa, & ad Sacramẽtũ Pœnitentiæ pertinens. Mouetur nam licentia, quæ datur ab Episcopis, confessarijs regularium, ad audiendas sæcularium confessiones, non est proprie licẽtia, sed approbatio personæ, & quasi iusta sententia, seu declaratio, quod talis persona, est idonea ad confessiones audiendas, vt patet ex ipsis *Concilij verbis sess. 23. cap. 15.* vbi habetur (& approbationem) vnde postquam Episcopi iudicauerint regulares, esse idoneos ministros, Sacramenti Pœnitentiæ statim papa illis concedit facultatem, dictum Sacramentum ministrandi, vt patet *ex Clementina dudum de sepul.* sed sententia data secundum regulas iustitiæ, non potest reuocari; ergo dicta approbatio facta, vt supponitur, modis debitis, licet sit ad beneplacitum, non potest ab Episcopo reuocari, absque magna causa, & ad dictum Sacramentum pertinente, vt ait *Glo. in Clement. Dudum ver. concesserit ita Peirinus.*

Vnde *Lugo apud Dianam par. 6. tract.* Nu. 2
7. resol. 62. §. Sed quo ad: vers. sed si Episcopus, ait quod si Episcopus sine iusta causa, reuocaret approbationem concessã regularibus, esse non solum illicitam, sed etiam inualidam talem reuocationem, & hanc sententiam docuit etiam *Stephanus Bauny,* ait enim ille, regulares, quos Episcopus approbauit, vt idoneos, cum ab eo amplius non pendeant, in vsu potestatis absoluendi, sed à solo Põtifice Romano à quo iurisdictionem suam habent, hæc ab Episcopo, non potest, nisi inualide, ac sine effectu reuocari.

Sed non desunt, qui contrariam sen- Nu. 3
tentiam, mordicus defendant, & docẽt, quod communiter obseruatur vt asserit *Diana tract. 2. de dub. regul. resol. 26. fine & iam nos supra: & par. 4. tract. 4. resol.* 200.

QVAERES DECIMOQVARTO.

An regularis, semel ab Episcopo simpliciter approbatus, possit de nouo non solum, ab Episcopo approbante, sed etiam successore examinari.

QVod attinet ad primã huius Quæ Nu. 1
siti partem, veriorem, communiorem, esse existimo sententiam eorum, qui docent, durante Episcopo approbante, non posse eumdem Episcopum, amplius reuocare licentiam, & approbationem datam, illis religiosis, quos approbauit *ita Pius V. in motu proprio, qui incipit Romani Pontifices relatus apud Barbos. de officio & Potest. Episc. alleg. 25. nu.* 45. vbi inter alia, habet Summus Pontifex;

ſex; *volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in Ciuitate, & Diœceſibus ſuis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo, iterum non examinari. Ab Epiſcopo autem ſucceſſore, pro maiori conſcientiæ ſuæ quiete, examinari de nouo poterunt*, & loquitur vt videre eſt dictum motū proprium de regularibus *ita Barb. loco ſupra citato num.* 50. vbi pro ſe citat quomplures doctores ita etiam *Fagundez precep. 2. lib. 7. cap. 2. num.* 26. qui mordicus defendit, non poſſe eundem Epiſcopum, regulares ſemel approbatos, ſine cauſa reprobare, & iterum examinare, cum cauſa, tamen, poterit, & hanc ſententiā ſequutus eſt etiam *Diana par. 6. tract. 7. reſol.* 62. *initio* vbi pro hac ſententia, citat etiam *Cellotium*, quod ſi examinatus ſit, ex mendicantibus, nec à ſucceſſore, examinari poſſit, addit *Emanuel Sa apud Cellotium de hierarchia lib. 5. cap.* 25. ſed nos de hoc vltimo infra.

Nu. 2 Qualis autem, debeat eſſe cauſa, vide *Fagundez de Eccl præcep. loco ſupra citato num.* 24. vbi tanquam certum, ſuppouit, poſſe huiuſmodi regulares, ſuſpēdi, per Epiſcopum, in cuius diœceſi commorātur, ab audiendis ſecularium confeſſionibus, & à munere prædicandi, ſi ipſi regulares, criminoſi ſint publici, aut ſcandaloſi, aut errores, vel hæreſes ſemina uerint, ſunt enim Epiſcopi, quo ad hoc, legati ſedis apoſtolicæ, vt patet *ex Trid. ſeſſ. 5. cap.* 2.

Nu. 3 Verum, valde adnotādum eſt, quod habet *Suar. tom. 4 diſp. 28. ſect. 8. num.* 5. vbi docet: Et quidem ſi approbatio cōceſſa fuit, ſine præuio examine, non dubito, quin poſſit Epiſcopus, etiam ſemel à ſe approbatos, in examen vocare, imo etiam, quo ad mendicantes, hoc ſupponi videtur, in illo motu proprio, & in priuilegio, ibi illis conceſſo, attente enim ſunt legenda illa verba. *Volumus tamen vt eos, qui ſemel ab Epiſcopo in Ciuitate, aut diœceſibus ſuis (Præuio examine) approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo, iterum non examinari*, non enim ſine cauſa, additum eſt, verbum illud (Præuio examine) igitur, qui ſine præuio examine, approbati fuerint, poſtea examinari, poterūt, & conſequenter, ſi per illud conſtiterit, priorem approbationem, non fuiſſe rite factam, poterit reuocari, hec optime *Suar.* quę valde approbantur à *Fagūdez precep. 2. lib. 7. cap. 2. num.* 27.

Colligetamen, ex his, ſacerdotem religioſum, approbatum ab Ordinario, ſed prohibitum à ſuo Prælato, & ſuperiore, confeſſiones audire poſſe, licet peccet contra Prælati præceptum *ita Barb. de off. & poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 25. num. 53. §. Sacerdos.* Nu. 4

Circa ſecundam vero, noſtri Quæſiti partem licet *Villal. in ſumma tom. 2. tract. 9. diff. 53. num.* 5. aſſerat poſſe aduenientede nouo Epiſcopum, examinare aliquem particularem regularem, de quo dubitat, an ſit ſufficiens, nec ne, nō tamen poſſe generaliter, reuocare omnes licentias, omnium regularium, vt de nouo omnes examinentur, & hanc etiam tenent ſententiam *Alphonſus Carranza, & alij apud Dianā tract. 2. de dub. regul. reſol. 27. §. Sed hanc*: tamen Epiſcopum ſucceſſorem, poſſe compellere regulares, vt iterum præſententur, & ſi opus fuerit, vt examinentur, & approbentur, tenent, *Suar tom. 4. diſp. 28. ſect. 8. nu. 4. & Sancius in Selectis diſp.* 48. vbi diffuſe pertractans hanc quæſtionem, tandē *nu.* 16. affirmatiuam hanc noſtram ſententiam, mordicus defendit, ita etiam *Diana tract. 2. de dub. regul. reſol.* 27. cuius ratio eſt, quia hoc expreſſe habetur, ex priuilegio Pij V. de quo ſupra egimus, vbi etiam de mendicantibus, ait, poſſe pro maiori ſuæ conſcientiæ quiete eius, à ſucceſſore de nouo examinari. Nu. 5

Vnde ſolent vt habet *Fagundez de eccl. precep. 2. lib. 7. cap. 2. num.* 30. noui Epiſcopi generali mandato, reuocare omnes approbationes, à præcedente datas, in quo non comprehenduntur regulares, quamdiu de illis ſpecialiter mādatum non loquitur, opus eſt ergo, vt reſpectu illorum ſpecialiter, prædictæ licentiæ reprobentur, & reuocentur, quia in odioſis regulares, non comprehenduntur, niſi explicentur quamquā contrarium videatur aſſerere *Barboſ de off. & poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 25. num. 49. ver. in tantum.* Nu. 6

Illud tamen aduertendum eſt, capitulum ſede vacante, mortuis Epiſcopis, ſolere generali mandato, reuocare omnes licentias, & approbationes ab Epiſcopo præcedente datas, compellens, vt om- Nu. 7

omnes Confessarij compareant,iterum ex minandi,quod mandatum, cum sit generale,non comprehendit omnes regulares,nec vllum eorum *ita Fagundez de præcep.Eccl præcep.2 lib.7.cap.2.num 29.* vbi habet,quãuis de illis specialiter, & expresse loqueretur,adhuc esset,nullius momenti cum sit directè contra illorum priuilegium,nihil enim capitulũ sede vacante innouare potest, quo ad regulares.

Nu. 8 Capitulum igitur sede vacante, licet de iure possit,reuocare approbationem mendicantibus datam,vt asserit *Fagundez loco supra citato num.26.* tamen spectatis regularium priuilegijs,aliter dicẽdum est. Capitulum igitur sede vacante non potest hanc approbationem, à præcedente Episcopo, mendicantibus datam,reuocare,nec licentiam ad prædicandum, aut ad aliqua vota in pia opera commutanda,& hoc propter speciale priuilegium, concessum Dominicanis,& Franciscanis, vt refert *Fagũdez num. 28. ita etiam Barb. de off.& potest. Epis.par.2. alleg. 25. num. 49. fine Diana tract.2. de dub.regul.resol 27.§.Notandũ.* His igitur de regularibus dictis vt ad Parochos tandem reuertamur.

QVAERES DECIMOQVINTO.

Num Episcopi, iam Parochos possint aliquoties,examinare.

Nu. 1 AD maiorem huius Quæsiti explicationem, animaduertendum,est, aliud esse quærere,possit ne Parochos, Episcopus examinare,& aliud, an idoneos inuentos,queat reprobare, hoc secundum,non posse pro certo tenet, *Sanctius in selectis disp.50.num.2.* & reddit rationem,quia exercitium muneris Parochorum,à iure conceditur, à quo sane priuari,non poterunt,nisi ab eo, qui sit supra ius,qualis non est Episcopus, sed tantum Summus Pontifex, & in hoc sensu,credit loquutos fuisse aliquos auctores,asserentes,non posse Episcopos, reuocare Parochorum approbationẽ, quia eam habent à iure; propter tamen ignorantiam,aut propter delicta, posse suspẽdi ab officio, aut ei coadiutorẽ aliquẽ designari, ita etiam *Egid. Turllench in expos. Bullæ cruciatæ lib 1.§ 7.cap.1. dub.1.num.3.ver.non tamen.*

Difficultas igitur nostri quæsiti est, num Episcopus possit, iam Parochos examinare,vt scilicet certior fiat,qui sint sufficientes,vel non,pro cuius explicatione,tamquam certum supponendum est,posse Episcopum, vnum, vel alterũ Parochum examinare, quãdo defectus scientiæ,adeo notus esset,quod vel nullatenus posset celari, vel errores admissi à Parocho,id obstenderẽt, tunc enim cum errores, vel fama publica, se gerãt tamquam accusatores in Parochum, ius habet Episcopus, vocandi illum ad suum tribunal (hoc est per examen scientiæ)quantitatem mensurandi, quam si minus sufficientem,quam oportet habere Parochum,inuenerit, poterit absque dubio, vel ab officio suspendendere,vel illi coadiutorem designare,vt cõstat *ex Trid.sess 21.cap.6 bis verbis.Quia illiterati, & imperiti Parochialium Ecclesiarum,rectores,sacris minus apti sunt officijs,& alij propter eorum vita turpitudinem,potius destruant,quam ædificant.Episcopi etiam tanquam apostolicæ sedis delegati, eisdem illiteratis,& imperitis,si alias honestæ vitæ sint,coadiutores,aut Vicarios, pro tempore deputare,partemque fructuũ, eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter prouidere possint,quacumque appellatione,& exemptione remota. Et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseuerent, eos beneficijs iuxta sacrorum canonum cõstitutiones,exẽptione,& appellatione quacumque remota, priuandi facultatem habeant* hæc concilium, vti etiam videre est *Sanctum loco suara citato num.3.*

Nu. 2 (margin beside "Difficultas igitur")

Vnde ingeniose *Barb.in Trid.sess. 21. de reformatione cap.6.num.2.* habet,& docet Concilium Trid.procedere,vt consideranti patet,in iam promotis:*vbi nu. 3* pro certo tenet coadiutorem deputandum,& assignandum illiteratis,iuxta Tridentinum,dari non posse, nisi ab Episcopo,*vbi num.4.§.Episcopi,* habet Episcopi etiam,&c.quibus ex munere, incumbit explorare peritiam rectorũ, curam animarum exercentium, quæ præter honestatem morum, in ipsis requiritur sufficiens:ad rectè obeundum tantum munus,quod iura vocant, artẽ artium,& sic decretum concilij, in præsen- Nu. 3

senti, non permissionem continet, sed præceptum, sub mortali obligans.

Nu. 4 Et hoc confirmat etiam *Ioa. Sancius in selectis disp. 50. num. 7.* vbi habet, nec solum concilij decretum, permissionẽ continet, ex eo scilicet, quod dicat, posse Episcopum deputare coadiutorem illiteratis Parochis, sed præceptum sub mortali obligans, nam cum de iure diuino naturali, incumbat Episcopis pabulũ spirituale, suis ouibus ministrare, & ad id dignos, & sufficientes ministros coadiutores habere, fit, constrictos esse ipsos Episcopos, eodem naturali iure, insufficientes repellere, ne fame perire oues, sit opus, vel veneno pro salutari cibo cõtingat illas cibare.

Nu. 5 Aduertas autem, imperitos adhunc effectum, dici illos, qui inhabiles sunt, ad exploranda ea, quæ incumbunt muneri, ac oneri beneficij, quod habent, secundum dignitatem, statum, & officiũ, ad quod assumuntur *ita Barbos. in Trid. sess. 21. cap. 6. num. 4. §. Et imperitis.*

Nu. 6 Hæc vera sunt, aliqua tamen potest esse difficultas, an valeat Episcopus, vocare ad examen omnes Parochos generaliter, quamuis nulla præcedat infamia imperitiæ ipsorum, ad quam difficultatem affirmatiue respondet *Sancius in selectis disp. 50. num 11* & reddit rationẽ, quia potest Episcopus vocare, ad examẽ confessarios, tam seculares, quam regulares, vt videlicet experiatur, an sufficientes sint, vel non, quia fundamentũ sufficientiæ mutabile, & variabile est, qualis est scientia, & boni mores, & quia leges, seu facta ab vno legislatore, seu superiore, potest successor derogare, nisi superius ius, aut legislator obstat. Propter eamdem igitur rationem, fas erit illi, vocare ad examen Parochos vniuersos, vt ei per experientiam innotescat, an illorum scientia, sit extenuata, & boni mores mutati, cũ Parochi nullo possint iuuari iure, aut exemptione, quam ceteri confessarij *hæc Sancius.*

Qui deinde *num. 12.* confirmat hanc

Nu. 7 sententiam, quia nec minoris est momenti, visitare Parochos in externis, quam internis, neminem credo in dubium reuocare, sed Episcopus habet ius visitandi, annis singulis, vt ex *Trid. sess 21. cap. 8.* constat Parochorum vitam, & mores, quare igitur impeditus erit, illorum scientiam perquirere. Porro nisi examinentur Parochi, non posse verba concilij plane saluari reor, ait enim concilium debere Episcopum, visitare beneficia curata, & prospicere, an cura animarum, recte exerceatur, at nisi præuio examine, non posse prospicere, num recte minusue exerceatur animarum cura, certum arbitror. Nam animarum cura, non præcipue sita est in eo, quod Parochus sacramenta pœnitẽtiæ ministret, sed etiam in eo, quod recte. At nisi perquiratur Parochorum scientia, sciri nequaquam poterit, num recte ministrentur sacramenta, vel nõ, præcipue Pœnitentiæ. Igitur vt mens, & concilij verba verificentur, contendentis, teneri Episcopos explorare, an animarum cura recte exerceatur, vel nõ opus esse videtur Parochorum sciẽtiã, per examen mensurari *hæc Sancius nu. 12. vbi §. Porro,* ait, quamuis à principio collationis Parochialis beneficij, scientia Parochorum fuerit nota, decursu tẽporis, diminui potest, & sicut singulis annis, vult concilium, Parochos visitari, & Episcopus singulis annis de ipsorũ vita, & moribus inquirit, non obstante, quod antecedente anno, reprehensione aliquid dignum non inuenerit, ea ductus ratione, quod possit euenire, præsenti anno, quod in præterito defuit, eadẽ itidem ratione esse valde consonum videtur, scientiam Parochi perquirere, & hanc opinionem ait in praxi his temporibus, aliquos Episcopos deduxisse, *vnde num. 14.* habet nec excusari Episcopos, examen omittentes per non vsum, similiter *nu. 15.* nec excusari Episcopos, examen omittentes, ex eo, quod Doctorum probabilem sequantur opinionẽ, nam nullum vsque modo inueni, ex pluribus dicentem, non posse Episcopum examinare Parochos, sed tantum decernunt, non valere illorum approbationẽ, reuocare generaliter.

Et hanc sententiam docuit etiam *Barb. de off & potest. Parochi par. 1 cap 2. nu. 10. vers. Nec post* vbi habet, Nec post electionem factam, & collatam sibi Parochialem, existimet Parochus, siue rector, se non amplius, de doctrina, & literarum rationem redditurum, quia Sa- Nu. 8

cra

tra Congr. Concilij in vna Placentina sub die 6. Augusti 1618. censuit liberum esse Episcopis, tam in visitatione, quam extra iterum examinare super doctrina, & litteratura Parochos approbatos ab antecessore, tempore prouisionis Parochialium, nec non superueniente rationabili causa, & suspicione ignorātiæ, posse examinare ad effectum *cap. 6. sess. 21. de refor. ita etiam* Diana *par. 4. tract. 4. resol. 59. fine.*

Nu. 9 His tamen non obstantibus, non defuerunt Doctores, contrariam docentes sententiam, inter quos est *Ludouicus de San Iuan. in summa, seu lux de Sacerdotes, quæst. de Sacr. Pænit. ar. 1. dub. 3.* asserens non posse Episcopum, compellere Parochos, ad nouum examen, quia Parochi vt ait *Regin. in praxi tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 201.* per adeptionem Parochialis beneficij, acquirunt nouum ius, vnde ipso iure, sunt idonei Confessores, quare non bene dixit *Sancius loco supra citato num. 15.* nullum vsque modo inueni, ex pluribus, dicentem, non posse Episcopum Parochos examinare, poterat enim legere hunc auctorem hanc docētem sententiam, quam deinde docuit *Homobonus de bonis in exam. Eccl. par. 3. tract. 15. cap. 9. quæst. 31. resol. 1.* vbi habet successorem in Episcopatu, integrum est omnes, quamuis simpliciter, & absolute approbatos, generaliter ad examen aduocare, & quos idoneos non inuenerit, reijcere, quod autem ad Parochos, dico Episcopum ad nouum examen, eos vocare non posse, si quidem animarum curatores, qui perpetuum titulū habent, à iure approbationem obtinent, quam locorum Ordinarij, ab eis reuocare non valent, quamuis ex noua causa, ob demerita à munere eos suspēdere, & aliquando punire integrum sic hæc *Homobonus quamuis Diana loco supra citato* asserat stante supradicta declaratione *Sacræ Cong.* opinionem *Homoboni, & aliorum* non esse admittendam, vnde concludit Episcopum posse iterum examinare Parochos, ab Episcopis antecessoribus approbatos, & examinatos.

Nu. 10 Sed ego, adhuc pace istorum doctorum, cum distinctione, in huiusmodi casu procederem, & libenter assererē, approbatum, & prouisum ab antecessore, de Ecclesia Parochiali, posse ab Episcopo successore, iterum examinari, superueniente tamen rationabili causa, vti asserit *Aldanus apud Barb. in Trid. sess. 7. cap. 13. num. 21.* qui habet ita fuisse resolutum in supradicta Placentina, quā quidem Aldani sententiam approbat, *ipsemet Barb.* quare cū limitatione hac, absque scilicet rationabili causa Homoboni sententiam sequerer, nam *Homoboni* sententia cum hac limitatione, non videtur esse, contra supradictam declarationem Sacræ Congr.

Nec exemplum illud obstat, quod aliqui afferunt, posse scilicet Episcopum vocare, ad examen Confessarios, tam seculares, quam regulares, vt scilicet experiatur, an sufficientes sint, vel non, quia fundamentum sufficientiæ mutabile, & variabile est, ergo propter eamdem rationem fas erit, Episcopo, Parochos vniuersos vocare, ad examen, vt ei per experientiam innotescat, an illorum scientia sit extenuata, & boni mores mutati non inquam obstat, quia maius examen, procul dubio præcedit, per se loquendo, circa probitatē, & mores Parochorum, vt illis committatur animarum cura, & beneficium Parochiale, quam regulariter præcedit, ad alios pro bandos confessarios, & semper animarū cura committitur, viris probatæ scientiæ, & eximiæ virtutis, quare post adeptam parochialis Ecclesiæ possessionē, parum, aut nihil fundamentum sufficientiæ variari potest, vt experientia cōpertum est. Vnde non mirum quod Parochi non examinentur, ab Episcopo successore, ceteri vero confessarij, à successore examini subiici obligentur. Nu. 11

Illud tamen non negamus, quod si aliquis ex Parochis illiteratus inueniatur, propter aliquam superuenientem causam, aut in bonis moribus mutatus sit, iuxta *Tridentini decretum sess. 21. de refor. ca. 6.* posse Episcopum procedere, contra huiusmodi Parochum ex vi huius decreti, tamquam apostolicæ sedis delegatum, ad coadiutores, aut vicarios pro tempore deputandos, & ex vi declarationis *Sacræ Congr. loco supra citatæ* talem examinare, ad effectum *dicti cap. 6. sess. 21. de refor.* & hæc dicta sint saluo sē- Nu. 12

Q per

per saniori, & meliori consilio.

QVAERES DECIMOSESTO.

An Parochi possint, coadiutorem sibi sumere, non approbatum ab Episcopo, ad confessiones audiendas, suarum ouium.

Nu. 1 DVbitandi ratio est, quia ante concilium, poterant Parochi, parorhialia beneficia habentes, committere suas oues, & delegare suam iurisdictionem alicui Sacerdoti, non approbato, item post Concilium, videntur habere Parochi, illam eandem antiquam potestatem circa hoc, nam concilium in illis verbis, *Nisi, aut parochiale beneficium habeat, aut approbetur ab Episcopo* videtur relinquere Parochos iuri suo antiquo.

Nu. 2 Ac proinde dicendum est, post Trid. nō posse Parochos exponere ad confessiones suorum subditorum audiendas, simplicem Sacerdotem, ab Episcopo non approbatum, cuius ratio est, quia hodie *post Trid sess. 23. de refor. cap. 15.* nullus etiam regularis, potest confessiones secularium, etiam sacerdotū audire, nec ad id idoneus reputari, nisi, aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis, per examen, si illis videbitur esse necessarium, &c. ergo qui neutrū habuerit, confessionem audire non poterit *ita Fagundez de Eccl. precep precep. 2. lib. 7. cap. 2. num 43.* vbi habet licet ante concilium potuissent Parochi, suas oues committere, sacerdotibus non approbatis, ab Episcopis, ex communi consuetudine hodie tamen, post hoc decretum Tridētinum non posse ita etiam P. *Gesualdus de Bononijs* Capuc. *par. 1. theolog. moral. tit. 24 cap. 1 num 31.*

Nu. 3 Vnde *Sanctus in selectis disp. 48. num. 51.* habet omnino, improbabilem esse sententiam illorum, qui censent, posse Parocisum concedere facultatem, simplici Sacerdoti ad excipiendas, suorum Parochianorum, confessiones quidquid in contrarium, plusquam falso dicant *Ledesma, & Ludouicus de San. Iuan. apud ipsum, ita etiam Barb. in Trid sess 23. de refor. cap. 15. num. 54.* vbi pro se citat quāplures Doctores, asserentes, abrogatam esse antiquam illam consuetudinem, qua olim solebant Parochi, committere suas oues, & vices, cuicumque Sacerdoti volebant; hodie namque *post Trid.* nō posse à Parocho dari licentiam, suis Parochianis, ad confitendum alijs, nisi sint ex approbatis ab Ordinario. Nu. 4

Quare *Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 146. §. Verum ego* habet concilium, voluisse auferre abusum plurimorum Parochorum, qui vt commodius se otio darent, exponebant quoscumque etiā idoneos, imo plerique illorum, non ita vigebant prudentia, quæ ad debitum tam graue debite peragendum requiritur, iudicauitque id reseruandum Episcopis, in quibus regulariter, maior, est prudentia, & circumspectio, & ideo *Barbos. in trid. sess. 23. de refor. cap. 15. num. 23* ait nullum præter Episcopum, se intromittere debere, in his, quæ spectant ad approbandos Sacerdotes, in confessionis ministros.

Verum aduertas, quod habet *Ludouicus de la Crux apud Dianam par. 5. tract. 12. resol. 47. initio* satis probabile esse, posse Parochum in non nullis casibus, vt si nimirum sit fatigatus in hebdomada sancta, vel tempore iubilei, in quo concurrunt plures confessiones, approbare Sacerdotem doctum, si non sit facilis recursus, ad Episcopum longe distantem. Nu. 5

Aduertas item, posse Parochum non solum exponere, alium Parochum, ad confessiones audiendas in sua Parochia, vti ait *Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 146. §. Notandum est*, & alij: verum etiā posse, suis subditis, licentiam præbere, vt confiteantur, cum Sacerdote approbato, ab Episcopo alterius diœcesis, seclusa prohibitione proprij Ordinarij, *ita Egidius Turllench: in Bulla Cruciata lib. 1. §. 7. dub. 3. num. 15. Diana par. 5. tract. 12 resol. 47. §. Notandum est.* Nu. 6

QVAERES DECIMOSEPTIMO.

An Confessarius approbatus v. g. Messanæ, ab Episcopo Messanensi, possit absoluere Messanensem, Romæ, vel alijs locis, extra diœcesim.

AD quod quidem Quæsitum, quidquid dicant alij; Respondeo dicē dum Sacerdotes approbatos, ab Episcopo Nu. 1

copo Messanensi v. g. posse extra Messanensem diœcesim, excipere Messanensium confessiones, cuius ratio est, quia huiusmodi Confessores delegati, habent iurisdictionem in personas pœnitentium, ergo non attenditur territorium, vel præsentia localis, sed tantum persona *ita Fagundez de precep. Eccl. pracep. 2. lib. 7. cap. 3. num. 12. item vt ait Sanch. tõ. 1. de matr. lib. 3. disp. 34. num. 2.* voluntariam iurisdictionem posse extra territorium exerceri, & eãdem sententiam tenent in proprijs terminis, non solum ordinarios, sed confessores delegatos, posse scilicet audire confessiones subditorum diœcesis, in qua expositi sunt extra illam *Ripa Ledesma, Angles, & alij apud Sanch. loco supra citato S. Eamdem sententiam* maneat igitur Confessarium posse, extra territorium absoluere subditos Episcopi, qui illum approbauit.

Nu. 2 Vnde *Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resol.* 144. qui etiam hanc nostram tenet sententiam affert pro se *Megalam Henriq. Peirinum Vegam, & alios, vbi S. Nec obstant* respondens ad declarationes Cardinalium, quas affert *Garsias de benef. tom. 1. par. 1. cap. 8. num.* 132. ait loqui in casu, quo v. g. Confessarius approbatus, hic Panhormi, vellet absoluere, extra hanc diœcesim Messanenses, vel Neapolitanos, nam quisque per approbationem habitam, in vna diœcesi, non potest absoluere vbique, non autẽ loqui, quando talis Confessarius extra territorium, absoluit vide *Acostam in Bullam Cruc. quæst. 38. Vgol. de Potest. Epis. cap. 7. S. 2. num. 7.*

QVERES DECIMOOCTAVO.

An Confessarius ministrans, Sacramentum Pœnitentiæ cum excommunicatione minori, peccet.

Nu. 1 Licet *Vasq. in 3 par. tom. 4. tract. de excom. dub. 4. num. 4. Siluester excõ. 4. num. 1.* asserant esse mortale, alij vero veniale, *vt Sotus in 4. dist. 22. quæs. 2. ar. 3. non longe a principio Aula de censuris par. 2. cap. 6. disp. 12. dub. 3. Reg. in praxi to. 2. lib. 32. cap. 14. n. 142. & alij,* tamẽ his non obstantibus, sunt, qui docent, cum quibus sentiendum puto, ministrantem Sacramentum Pœnitentiæ, cum minori excommunicatione, nullã culpam venialem committere *ita Fill. tom. 2. tract. 13. cap. 2. num. 24 & alij, qui respondent ad caput Si celebret de Clerici excommunicationem* de quo iam nos supra de Parocho ministrante, sacramenta in minori excommunicatione, quare vide, quæ ibi diximus, circa hoc.

QVERES DECIMONONO.

An Confessor secularis, vnius Episcopatus possit absoluere pœnitentem, alterius Episcopatus, à casibus reseruatis.

Id quod Quærimus est, an si hic Panhormi, v. g sodomia reseruetur, & quidam hic Panhormi, committat sodomiã, an si iter agens, per alienam diœcesim, vbi non est huiusmodi casus reseruatus, confiteatur, cum confessario, qui non habet potestatem absoluendi reseruata, sit valide absolutus. Nu. 1

Ad quod quidem Quæsitum licet *Fagundez de pracep. Eccl pracep. 2. lib. 8. cap. 8. num. 20. Barb. de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 52. num. 15. S. Vtrum Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. ar. 2. Paulus Comitolus Nugnus Megala, & alij apud Dianã par. 1. tract. 17. resol. 56. initio* mordicus defendant iter facientes, licet possint, in omni loco confiteri peccata sua, cuicũque Sacerdoti approbato, & hoc ex præsumpta concessione proprij pastoris, tamen minime illis licere, si habent casus reseruatos, quia absolute loquendo Sacerdos, alterius diœcesis, non habet iurisdictionem in aliquos casus reseruatos, & pœnitens nõ est exẽptus à subiectione, sui Episcopi, qui peccatum reseruauit, vnde quandiu non mutauit domiciliũ, aut quasi domicilium, videtur non posse, absolui, præsumitur enim aliò se contulisse fraudulenter, & sic absque mutatione domicilij, vel quasi domicilij effugeret pœnam reseruationis, sui proprij Episcopi volentis, ea restrictione liberiorem licentiam amputare peccandi. Nu. 2

His tamen non obstantibus *Suar. to. 4. disp. 30 sect. 1. num. 6. Reg in praxi tom. 1. lib. 8. sect. 3 num. 69. ex Henrici senten-* Nu. 3

tia apud ipsum quam ipse non confutat, docent subditum, vnius Episcopi iter agentem per alienam diœcesim, non solum confiteri posse, confessoribus illius diœcesis, & Episcopatus, sed etiam à casibus reseruatis, absolui, licet Confessarius non habeat, in illo Episcopatu, facultatem circa peccata reseruata, modo peccatum, non sit reseruatum, in vtroque Episcopatu, vti præcipue habet *Suar.* cuius rationem reddunt, quia, hoc ipso, quod versatur, in alieno Episcopatu, potest ibi absolui, more incolarum, illius diœcesis, & talis pœnitens iudicandus est, vt incola illius diœcesis, & iuxta forum eius, & ita se gerere, ac si esset subditus, Episcopi illius loci, ita *etiam Diana par. 2. tract. 17. resol. 56. §. At verius* (nisi id faciat in fraudē proprij Ordinarij) vt etiam ait ipse *Diana par. 3. tract. 4. de Sacr resol. 103 fine.*

Nu. 4 At vero, si iter faciens, habeat reseruatos Episcopi loci, in quo confitetur, qui non sint reseruati, Episcopo proprij domicilij, clarum est, posse minime à quolibet simplici Confessario, absolui, nam iudicandus est, iuxta leges loci, in quo reperitur *ita Suar.* quia licet ille aliàs non sit subditus, tamen tunc iudicatur, vt subditus, & vt incola illius loci, quā quidem sententiam probabilē vocat *Fagundez de præcep. Eccl præcep. 2. lib 8. cap. 8. num. 21. fine* quamquam contrariam quam ipse tenet, probabiliorem vocet.

Nu. 5 Ex quo, patet quid dicendum, de religioso illo, qui crimen, commisit, reseruatum in vno monasterio, quod in alio, non est reseruatum, si ad illud transferatur, possit in eo absolui, à quocumque Confessario, eiusdem monasterij, non habente potestatem, super casus reseruatos, ad quam quidem dubitationem, cum distinctione respondet *Fagundez lo co supra citato num 22.* vel cum in aliud monasterium, se confert domicilium, vel quasi domicilium, mutat, vel eo proficiscitur, statim regressurus: si primū, tenet *Fagundez* absolui posse, à quocūq; Confessario non habente iurisdictionē, in casus reseruatos, cum iudicandus sit, instar aliorum religiosorum, ibi commorantium, si secundum, ait non posse. Ego autem licet hanc sententiam probabilem iudicem, tamen illam *Suarij* sequar, nam religiosus, quomodocumque ad illud monasterium, se conferat, semper iudicandus est, vt incola, illius monasterij modo supradicto.

An vero, si in fraudem proprij Ordinarii, & sui superioris, id faciat, idem dicendum sit. Respondet *Stephanus Bauny apud Dianam par. 6. tract. 7. resol. 57. initio* etiam si ex industria, & data opera, cuiusdam negotij, se transtulit, in illud monasterium, posse ibi à quocumque Confessore absolui, quamquam *Zabellus apud Dianam* asserat huiusmodi religiosum, qui malitiose discessit, non posse, ibi à quocumque Confessario absolui, & affert *declarationem Sacræ Congr. Card. die 19. Mensis Nouembris 1616.* sed de hoc apud ipsum. Nu. 6

QVAERES VIGESIMO.

An Confessarius, si neque in confuso statum, pœnitentis recordetur, & illum absoluat, aut dormiat, vel surdus sit, valida sit absolutio.

QVod attinet ad primā huius Quæsiti partem, quoties quis inualidā fecit confessionem v.g. & pœnitens cū eodem Confessario, confitetur asserendum, puto, non teneri de nouo peccata explicare, si saltem confuse recordetur confessarius illius statum, vt conueniētem illi pœnitentiam imponere possit, ita communiter omnes: at vero si neq; in confuso, statum pœnitentis recordetur, & tamen illum absoluat, & cum recte sit dispositus, confessio, & absolutio, valida est, licet Confessarius peccet, secundum *Layman sententiam apud Dianā par. 3. tract. 4. de Sacramentis resol. 123. §. Sed cum,* cuius rationē reddit, quia Cōfessarius non recte suo munere, in pœnitentia imponenda fungitur, nihilhominus absolutio valida est, & pœnitenti fructuosa *vnde Diana* infert quod licet Sacerdos peccet, tamen nō tenetur monere pœnitentem, de aliqua re, quia cōfessio fuit valida, non tenetur igitur ad aliud, nisi de peccato pœnitere. Nu. 1

At vero si confessio fuit inualida, & Confessarius deinde non recordetur, neque de statu in communi pœnitentis, Nu. 2

neque

neque de Pœnitentia pœnitenti iniunc ta, satis sit pœnitentem in generali, se accusare, de omnibus peccatis, quæ in priori illa confessione inualida, fuerat confessus, circa quam quidem difficultatem, licet aliqui asserant repetenda esse peccata, in speciali, tamen *Iacobus de Granado apud Dianam par. 5. tract. 14. resol. 51.* existimat in tali casu, sufficere si pœnitens in generali se accuset, quæ in priori illa confessione inualida, fuerat confessus, quantumcunque Cófessarius, nec illorum, nec Pœnitentiæ recordetur, in speciali vero satis est, si declaret peccatum illud, quod tacuit tunc, & sacrilegium, quod commisit, male confitendo, quia nihil obstat, quo minus, qui in tali casu, male confessus fuerat, satisfaciat suæ obligationi, etiam si solum in generali, se accuset de peccatis, quia iā eadem peccata, eidem Confessario aperuerat, ergo non est imponendum pœnitenti nouum onus, iterum repetendi eadem peccata, nam graue onus esset, eadem peccata, iterum aperire, cum iā confessa sint, & aperta eidem Confessario, alias rationes legite apud ipsum, & hanc opinionem etiam, vt probabilem sequutus est *Diana hic loco supra citato par. 5.* vbi probabiliter putat ex rationibus *Iacobi Granado*, & valide, & sine peccato, tale Sacramentum ministrari quāquam *in 3 par. tract. 4. resol. 133 cum Layman* iudicet Confessarium, in tali casu, valide absoluere, non autem licite.

Nu. 3 Quod attinet ad secundam Quæsiti partem, absolutionem validam esse, & si Confessarius dormiat, vel surdus sit, patet ex sententia *Henriq. & Layman apud Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 109.* vbi præcipue *Layman* habet, quod si pœnitens bona fide sua peccata aperuit, & culpa, in solo Confessore resedit, ob surditatem, vel animi distractionem, datā absolutionem validam, & fructuosam esse, nam essentia, & effectus Sacramenti Pœnitentiæ consistere potest absque integra, specifica peccatorum explicatione, si ea sine vlla culpa pœnitentis, suumque dolorem, Sacerdoti explicātis intermittatur nihilhominus, si pœnitens postea cognoscat, vnum, vel plura peccata mortalia, confessarium nullo modo intellixisse, debet ea sola, cum alijs postea commissis, in sequenti confessione, iterum explicare, quia semper manet obligatio peccata omnia mortalia, secundum speciem, & numerum Sacerdoti indicādi, vt omnibus absolutio directe, & in specie conferatur. Nu. 4

Ex qua doctrina prudenter decreuit ipse *Diana* licet in quodā Monasterio, temporibus nostris, quidam Confessarius, inter audiendas confessiones, aliquando dormisset, vnde non intelligebat aliqua peccata, dictas confessiones non esse reiterādas, quia moniales illę, bona fide, sua peccata, illi Confessario aperuerunt, & culpa in solo confessario residebat. Nu. 5

Idem etiam dicendum est de eo, qui bona fide fassus est confessario valde ignoranti, qui nesciebat distinguere inter mortalia, & venialia, non teneri postea dictam confessionem iterare *ita Henriq. lib. 2. de pœn. cap. 14. nu. 5.* vbi sic habet, qui bona fide cōfitetur ignorāti, quem postea nouit nescisse distinguere inter mortalia, & venialia, non videtur cogendus, iterare confessionem, quia ille potuit, & voluit bene dispositum absoluere, quamuis defecerit in prudētia, circa medicinam, & satisfationem imponendam. Nu. 6

Quam quidem doctrinā docuit etiā *Sanch. tom. 1 summ. lib. 1. cap 10. num 69.* asserens. Quando integre, fassus est peccatum, quod fecit, dubitabat tamen, an esset mortale, quamuis enim Confessor simili dubio teneretur, non est iterum confessio, illius peccati repetenda, si postea alteruter doctior, factus, aut alijs cōsultis norit id peccatum, esse mortale, nisi aliunde cōfessio fuerit irrita, vt quia data opera, quæsiuit ille, Confessorem ignarum, ac insufficientem, ad eius confessionem excipiendam, *ita Diana par. 3 tract. 4 de Sacr. resol. 121. & par. 5. tract. 14. resol. 22. vbi citat pro hac sententia quā plures Doctores.*

QVAERES VIGESIMOPRIMO.

Num Confessarij possint, licite imponere sub Pœnitentia officium v. g. mortuorū, vel alias orationes recitandas, pro Purgatorij animabus.

Et

Nu. 1 ET licet *Vega in ſumma tom. 2 cap. 64 caſu 4. apud Dianam par. 3. tract. 4. de Sacr. reſol. 54. & Sanctius in ſelectis diſp. 16.* negatiue reſpondeant, ait enim *Sanctius* moſ eſt plurimis Confeſſarijs, iniungere ſub Pœnitentia nocturnum defunctorum Pſalmos, vel reſponſoria recitanda, à pœnitentibus pro animabus, in Purgatorio exiſtentibus. Recte tamē non procedunt: nam Sacramentum Pœnitentiæ ad remiſſionem culpæ, & pęnæ pœnitentis eſt inſtitutum, & vt ſatisfaciat pro pęnis debitis, pars illa integralis (ſatisfactio videlicet) eſt ordinata. Cōtra naturam igitur huius inſtitutionis, erit partem ſatisfactoriam iniungere, quæ pro pœnis debitis à pęnitente non proſit, ſed p alienis pęnis iniūgere, atq; nullam ſatisfactionem imponere ita *Sanctius* qui ſoluens argumenta in contrariū adducta ait. *Nec aduerſatur Sāch. de matr. lib. 8. diſp. 34. num. 41.* dicens diſpenſantem in foro conſcientiæ, in voto religionis, vel caſtitatis, poſſe iniungere ſub Pœnitentia recitare orationem dominicam, & angelicam pro animabus Purgatorij. Nam ibi loquitur minime de Pœnitentia ſacramentali, ſed de Pœnitentia in foro ſecreto iniuncta, & eſt diſpar ratio, inter forum interius, & forum ſacramentale.

Nu. 2 Nec valet dicere, vt ait *Sanctius loco ſupra citato num. 12.* quod Confeſſarij iniungentes aliquas orationes, offerri pro animabus Purgatorij, tantum intendūt valorem impetrationis illis applicare, quia vt reſpondet *Sanctius* nihil prodeſt animabus applicare, valorem impetrationis ad earum pęnas remittendas, ſecundo quia dum Confeſſarij, tales pœnitentias iniungunt, nunquam id cogitant *hæc Sanctius.*

Nu. 3 Tamen contra *Sancium* inſurgit *Turrianus de Pœnitētia diſp. 37. dub. 4.* aſſerēs poſſe Pœnitenti imponi pro ſacramentali ſatisfactione, pœnale opus, pro animabus Purgatorij applicandum, quam quidem Penitentiam in praxi, fere omnes, & non infimæ claſſis confeſſarij applicant, quare legite, & perlegite illum.

QVAERES VIGESIMOSECVNDO

Num Confeſſarij imponere, poſſint ſub Pœnitentia Euchariſtiæ ſuſceptionem, vel è contra præcipere, quod non ſuſcipiatur.

AD primam huius Quæſiti partem, reſpondet *Sancius in ſelectis diſp. 33. num. 7.* ſub Pœnitentiæ vinculo poſſe abſolute Euchariſtiæ ſuſceptionem Confeſſarium imponere, pater quia cū illa ſumptio, actus religioſus ſit medicinalis, ſeu præſeruatiuus futurorum peccatorum, vindicatiuus præteritorum, non video ait *Sancius* rationem, qua adduci queam, ad iudicandum non poſſe à Confeſſario imponi, ſub vinculo Pœnitentiæ ſumptionem Euchariſtiæ abſolute. Et licet ad hoc, quod pœnitens ſine peccato, adimpleat illam pœnitentiam, ſecura conſcientia prærequiratur, non tamen requiritur munda, vt præcepto pœnitentiæ ſatisfiat: ſimili modo, quo præcepto annuæ communionis ſatisfit, per communionem ſacrilegam, hoc eſt Euchariſtia, in peccato ſuſcepta, contra reuerentiam debitam Sacramēto. Solum namque ſubſtātia operis, quæ viſibilis eſt, imponi pōt à Cōfeſſario, vt pars ſatisfactoria, Sacramēti pœnitētiæ. Cōmunio vero, & ſi ſacrilega, ſubſtantialiter, & vere eſt receptio Euchariſtię. Nu. 1

Vnde aduertas, quod habet *num. 12.* in reſponſione ad primum argumentū, ſcilicet quod, cum recipere Euchariſtiam, actus religioſus ſit, imperari poſſit à Confeſſario, ſub pœnitentia. Videat vero Pœnitēs an ad huiuſmodi pœnitētiā, velit ne obligari ſi velit, recte potuit imponi, à Confeſſario: ſi renuat, cogendū nullo modo poterit, nam *num. 8.* fatetur *Sancius* quod Pœnitens non tenetur, acceptare illam pœnitentiam, vnde optime notat, *Nub. 6.* aliud eſſe penitentem teneri acceptare, ſub vinculo pœnitentiæ, Euchariſtiæ receptionem abſolute, aliud eſſe, an imponi poſſit ſub tali vinculo. Nu. 2

Quod vero attinet ad ſecundam noſtri Quæſiti partem reſpondet *Salazar. apud Dianam par. 3. tract. 4 de Sacr. reſol. 115.* poſſe Confeſſarium imponere ſub pœni- Nu. 3

pœnitentia, quod sacra Eucharistia non suscipiatur, & quod si adest iusta causa, potest Confessarius imponere sub pœnitentia, quod pœnitẽs suscipiat Eucharistiam tali, vel tali die, tali, vel tali mẽse, &c. cui sententiæ adhereo, & in praxi sepe, sæpius eam sequutus sum, ita etiã *Diana*, quamquam *Sanctius in selectis disput.* 33. *per totam*, contrariam doceat sẽtentiam.

QVAERES VIGESIMOTERTIO.

An vnus Confessarius possit tollere, mutare, vel moderari pœnitẽtiam ab alio impositam.

Nu. 1 ET licet circa huiusmodi Quæsitũ, varij varia dicant quandoquidem sunt, qui primo asserant, non posse vnũ Confessarium pœnitentiam, ab alio impositam commutare, quia par in parem, non habet imperium ita *Nugnus, Vasq, & alij apud Dianam par. 2. tract. 15. resol.* 53.

Nu. 2 Alij vero tenent affirmatiue ita *Siluester verb. confess.* 6. *num.* 4. *Rosella verb. confess. num.* 11. *& alij* quia sicut absolutio potest super eadem peccata repeti, ita iudicium, & sententia, vnde ad illud par in parem, non habet imperium, respondent secundum Confessorem pœnitentiam commutantem, nullum exercere imperium, in priorem confessorẽ, sed in pœnitentem, nec proprie reuocare sententiam prioris, sed suam proferre, & hoc posterius iudicium non institui ad derogandum prius, sed ad consulendum pœnitenti, in cuius fauorem talis iteratio conceditur, quod fit per modum noui iudicij, non autem per modũ appellationis, vt asserunt aliqui.

Nu. 3 Quare fere omnes admittunt, intra confessionem, licere commutare pœnitentiam, existente iusta, & rationabili causa, tam iniunctam à se, quam ab alio ita *Suar. Reg & alij apud Sanctium in selectis disp.* 14. *initio*, vbi habet, nec tantum poterit commutari in æqualem, verum minui, seu mitigari.

Nu. 4 Difficultas vero est, an possit commutari pœnitentia non audita priori confessione, eorumdem peccatorum, à confessore imposita, respondet *Ioa. de Lugo apud Dianam par.* 6 *tract.* 6. *resol.* 46. § *Sed non*; posse eumdem confessorem, nulla adueniente causa, noua confessione, mutare pœnitentiam post, quodlibet tempus, & tunc pertinere ad idem Sacramẽtum, & hoc tenet etiam *Celestinus apud Dianam* sed cum limitatione ad summum infra hebdomadam.

Quid vero dicendum, an secundus sacerdos, possit commutare pœnitentiã: non audita priori confessione eorumdẽ peccatorum, nõ posse, ait *Vasq in* 3. *par. tom.* 4 *quæst.* 94. *ar.* 2. *dub* 3. *num.* 9. *Suar. tom* 4 *disp* 38. *sect.* 10. *num.* 8. *Reg. tom.* 1. *lib* 7. *cap* 8. *num.* 93. *Fagundez de Eccles. præcep præcep.* 2. *lib.* 9 *cap.* 4. *num.* 15. 17. *Sanctius disp.* 14. *num.* 7. vbi habet opus esse ad mutationem pœnitentiæ à secũdo confessore faciendam, eademmet peccata audire, saltem grauiora, ob quæ creditur probabiliter fuisse iniunctam. Nu. 5

Contrariam vero puto probabilissimam, esse illam sententiam, quæ docet, posse confessarios, non audita priori eorumdem peccatorum, pœnitentias cõmutare, ita *Tol. in summ. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 8 *fine* vbi habet, nec opus esse, ad hoc, vt pœnitens repetat peccata, pro quibus talem accepit pœnitentiam ita etiam *Emanuel Sa verb. satisf. num.* 5. *Victoria in summa de satisf. concl.* 213. *& alij apud Dian par.* 2. *tract.* 15. *resol.* 53. §. *Sed ego*, vbi hanc etiam docet sententiam, cuius ratio est, quia onus nimis magnũ esset, pro confessarijs, & pœnitentibus, in cõmutatione alicuius pœnitentiæ prætextas iterare confessiones, & non est imponendum pœnitentibus, huiusmodi graue onus; iterum repetendi quomplura fortasse peccata, ex quorũ repetitione, nimius rubor sequitur, vbi non est necessitas, vti est in casu nostro. Nu. 6

Sed rogas, an etiam extra confessionẽ, possit æqualis confessor mutare pœnitẽtiam, ab alio æquali imposita, Respondeo negatiue, sed dictam commutationem faciendam esse, à secundo Confessario, in sacramentali confessione, quia tam solutio, quam ligatio pœnitentis, actus sunt clauium, qui necessario requirunt Sacramentum ergo sicut posterior confessor, non potest ligare, absque Sacramento, ita neque soluere, ita inter alios *Diana loco supra citato resol* 53. §. *Sed* Nu. 7

con-

contrariam, qui cum Soto limitat hanc sententiam, nisi ab eodemmet confessario, pœnitentia commutetur, nam si id fiat intra vnum aut alterum diem, posset pœnitentiam extra Sacramentum commutare, quia in isto casu, adhuc censetur idem iudicium, vnde aliqui apud ipsum, putant hoc fieri posse, etiam intra triduum, aut hebdomadam, si ad illum pœnitens redeat, sicuti etiam supra asserit *Celestinus apud Dianam par. 6. tract. 6. resol. 46. §. Sed magis* quare iam vides nimis scrupulose loquutum esse *Megalam apud Dianam par. 2. tract. 15. resol. 53. § Sed contrariam* asserētem hoc fieri non posse, nisi intra spatium mediæ horæ.

Nu. 8 Aduertas autem, quod si pœnitentia sit tantum medicinalis, potest tunc omnis confessarius, extra confessionem sacramentalem, dictam pœnitentiam cōmutare, suspendere, atque super ea dispensare ita *Valerus apud Dianam loco supra citato*.

Nu. 9 Verum quid dicendum, an secundus confessarius, qui non habet potestatem absoluendi, à reseruatis, super quibus pœnitentia imposita fuit, possit hoc nō obstante pœnitentiam illam commutare, negatiue respondent aliqui, tamen probabilis, & tuta est, in praxi eorum opinio, qui asserunt, posse secundum cōfessarium, huiusmodi commutare pœnitentiam, etiam si fuerit data, supra peccata reseruata, & etiam non iterata priori confessione, dummodo hoc efficiat, in sacramentali confessione, non autem extra, quod si commutauerit, idem cōfessarius, poterit quidem extra confessionem, si ad plurimum intra hebdomadā Pœnitens redeat, vel post quodlibet tēpus in confessione, vti ex pluribus doctoribus dictum est.

QVAERES VIGESIMOQVARTO,

An Sacerdos pro audienda confessione, infirmi moribūdi, possit relinquere missam inchoatam, etiam post consecrationem, & an possit bannitum absoluere vt moribundum.

Circa primam huius Quæsiti partē, respondet *Zabranus de Sacr. Pœn. cap. 4. dub. 6. nu. 5.* Si quis sacerdos, quando est celebrans, petatur pro confessione, alicuius pœnitentis, in articulo mortis, si non sit alius, potest missam inchoatam, etiam post consecrationem relinquere, seruante interim aliquo Eucharistiam, & secum deferat aliquam formā consecratam, & extremam vnctionem, ad infirmum, & audita eius confessione, & data Eucharistia, & extrema vnctione, (remissis tamen Psalmis pœnitentialibus) ad Ecclesiam post missam reuertatur ad perficiendum sacrum. Quod si confessio, sit ita longa, vt media hora perfici nequeat, transacta dicta media hora, Sacerdos absoluat, dictum moribundum, eo monito, vt post dictum sacrum, aliqua occasione, eum accersat, & postea illum de nouo audiat, & absoluat, qui quidem casus, faciliter euenire potest, in filuis vbi non est, nisi vnus sacerdos, vt ait *Diana par. 5. tract. 3. resol. 70.* Nu. 1

Circa vero secundam Quæsiti partē, respondent *Naldus, Floranus apud Dianam par. 5. tract. 3. resol. 64.* bannitum, qui impune vbique potest occidi, esse in periculo mortis, ita vt possit absolui, vt moribundus, quare ex hoc *Bellochius apud eumdem Dianam* addit, absolutionem ab omni peccato, & censura posse dari per quemcumque confessarium, il si bannito, qui potest vbique occidi, & ratio est, quia vbique, & semper versatur in periculo mortis, non potest tamen illi dari absolutio, si haberet saluum conductum. Nu. 2

Obiter nota, quod habet *Doctissimus Diana par 5 tract. 3. resol. 56. ex doctrina Sancij in selectis disp. 44. nu. 35. §. Quamuis*, quod si quis in platea, recipiat vulnus lethale, si confessarius illum audiat non posset mederi, si medetur, non potest confiteri, tunc, & in tali casu, si medici nollent à medicamentis desistere, & interim periculum est, vt vulneratus moriatur, sufficere, vt alta voce dicat; se peccatorem esse, & tunc potest Confessarius, illum absoluere, quia nemo cō stringitur coram alijs, peccata sua, & si leuia, manifestare, at vero, si vulneratus, posset, vnum saltē peccatum secre- Nu. 3

te

te confiteri,illum libenter audirem,& statim illum absoluerem, vt medici postea,vulnerato mederentur, & postquā medicamenta applicata fuissent, integram confessionem audirem,& illum denuo absoluerem,ita etiam *Diana*.

Nu. 4 Tandem aduertas, quod habet etiā *Hurtadus apud Dianam par. 5 tract. 3. resol. 71*. In periculo scilicet mortis, vt in Peste,bello,aut naufragio, quando periculum imminens, aliud non permittit,possunt omnes simul, signo aliquo, vt genuflexione,se peccasse,significare, sic in communi,& de eo dolere, & sic confessor,poterit dicere omnes,qui volunt à peccatis absolui,genuflectant, & tunc etiam possunt omnes,simul absolui à confessario dicente, *Ego vos absoluo à peccatis vestris*,quod est valde notādum vt ait *Diana*,& hæc de ministro, vt autem de sigillo, agamus sacramentali,cuius obligatio strictissima est.

QVAERES VIGESIMOQVINTO.

Quid sit sacramentale sigillum, & eius obligatio.

Nu. 1 DE fide esse, dari præceptum diuinum,& naturale,sigilli confessionis probat *Fagundez præcep. 2. lib. 6. ca. 1. num. 1. ex Trid sess. 5 fine*, semper enim hoc tenuit,& firmiter docuit Ecclesia, à tempore Apostolorum, continua traditione,hæc infallibilis veritas emanauit,quare cōfessarius,qui Deum in hoc Sacramento representat,tenetur ex duplici obligatione,illud inuiolabiliter obseruare. Primo ex obligatione iustitiæ, & iure naturali. Secundo ex virtute religionis,vt docet *Suar. tom. 4. de Pœn. disp. 32. sect. 1. num. 1. Fagundez loco supra citato Diana par. 5. tract. 11. resol. 2.* vbi habet duplicem committere malitiā mortalem,sigillum sacramentale frangētes, vnam sacrilegij,contra reuerentiam debitam Sacramento, aliam contra iustitiam,cum igitur duplex malitia,in delicto reuelationis sigilli sacramentalis,inueniatur,sequitur etiam duplicem culpam mortalem, specie diuersam committi à violatore sigilli,alteram contra religionem,iniuriam sacramento afficiendo,reddendoq; illud odiosum,pœnitentibus,alteram contra iustitiam,infamando proximum,cuius delictum occultum proditur,quod quidem peccatum,à Confessario tunc committitur, quando volens,& aduertens aliquid ex confessione reuelat *ita etiam P. Gesualdus de Bononiis Capuc. par. 1. theolog. moral. tit 8. cap. 1. num 15.*

Circa quod factum illud velim notetis,Iacobi Primi Aragoniæ Regis, qui Gerundensi Episcopo,linguam à tergo extrahi imperauit, quod confessionem Regis detexisset, digna profecto tanto crimine pœna,si à legitimo iudice inflicta fuisset,vt refert *Fagundez præcep. 2. lib 6. cap 7 num 1. & etiam refert Diana loco supra citato tract. 11. initio* caueant igitur confessarij,ne quid tale scelus cōmittant,cum teneantur, & debeant ex officio aduertere,ne aliquid ex confessione reuelent,sed de hoc infra. Nu. 2

Quare licet de necessitate huius Sacramenti auricularis, secreta confessio non sit,nam non est contra institutionē,& valorem huius Sacramenti, quod confessio publice fiat, vti probat *Barb. in Trid sess 14. de refor. cap. 5. num. 8.* tamen confessarius,qui Deum in hoc representat,tenetur ex duplici obligatione illud inuiolabiliter obseruare, modo supradicto. Nu. 3

Obligationem autem, seu debitum aliquod,occultandi, dici sigillum resoluit *Reg in praxi tom. 1. lib. 3. cap. 1. nu. 1.* & diuidi solere in sigillum secreti, & in sigillum confessionis,illud est obligatio quædam,à iure naturali, inducta ad occultandum secretum,sibi ab altero commissum,dictat enim ratio naturalis,non esse faciendum alteri, quod tibi factum nolis, nemo autem velit, publicari secretum,quod alteri commisit,ergo nec debet sibi commissum publicare,sigillū vero confessionis,est obligatio quædam à Christo Domino,inducta ad occultandum,id quod in sacramentali confessione detectum fuerit,vnde huiusmodi cōfessionis sigillum,merito censetur maius,quolibet alio sigillo,vti ait *Reg num. 2. Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 1. num. 5.* vbi reddens rationem ait, fortius esse sigillum sacramentale, quam naturale, maioremque,ac fortiorem esse illius obligationem,quam huius, quia obliga- Nu. 4

R tio

tio ſigilli naturalis, ſolum à Deo, quatenus auctor naturæ, & ideo à lege naturali, in proximorum bonum introducta fuit, obligatio autem ſigilli ſacramentalis, introducta eſt à Chriſto quatenus Deus eſt, & auctor gratiæ, quæ per Sacramentum confertur.

Nu. 5 Ex his inferas ſigillum Sacramentale, eſſe occultationem peccatorum, quæ audiuntur in confeſſione, etiam ſi non detur abſolutio *ita Reg. loco ſupra citato num.* 8. ſed cum differentia aliqua, mortalia enim, & eorum circumſtantiæ occultanda ſunt, tam in genere, quã in ſpecie, etiam ſi alias confeſſa ſint; venialia vero occultanda in ſpecie, non autem in genere, quia abſolutio, ſemper datur de peccatis, quæ ſunt materia ſaltem ſufficiens cõfeſſionis, ita inter alios *Fagundez præcep* 2. *lib* 6. *cap* 4 *num.* 1. 3. 4. *&* 8. vbi habet violari ſigillum, ſi peccata mortalia, in genere, vel in ſpecie, venialia vero in ſpecie tantum reuelẽtur, ita etiã *Suar. tom.* 4. *diſp.* 33 *ſect.* 3. per totam, & ſi ſupradicta peccata reuelentur, etiam poſt mortem, adhuc violator ſigilli vocatur, qui talia peccata reuelat, quia diuinum præceptum ſigilli, negatiuum eſt, & ideo pro ſemper obligat, ante, & poſt mortem, nam etiã poſt mortem pœnitentis iniuriam fit ſacramento, vt optime habet *Fagundez loco ſupra citato num* 8.

Nu. 6 Infertur ſecundo, eum, qui ſigillum frangit ſacramentale, peccare ad minus, contra duas virtutes, primo contra virtutem iuſtitiæ, quatenus eſt contra famã proximi, dum enim quis occultus eſt peccator, iniuſte in fama leditur, quia iniuſte, & iniurioſe priuatur, bona fama, & opinione, quã poſſidet, ſecundo contra virtutem religionis, & riuerentiã Sacramento debitam, cui inreuerentiam facit, & iniuriam maximam infert, reuelando illius ſigillum, reddendoque hominibus oneroſum & formidabile, *ita Fagundez præcep.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *numer.* 2. *quare num* 6. infert duplicem etiam culpam mortalem, ſpecie diuerſam committi, a violatore ſigilli ſacramentalis, alteram contra religionem, iniuriam Sacramento efficiendo, reddendoque illud odioſum pœnitentibus, alteram cõtra iuſtitiam infamando proximum, cuius delictum occultum proditur, & tenetur in conſcientia, prædictum violatorem, hanc duplicem circumſtantiam confiteri, ſicut duplicem, quoque committit, culpam lethalem, diuerſam ſpecie, qui frangit, illicite ſecretum naturale, quod ſub iuramento ſeruare promiſit, quia iuramentum trahit peccatũ ad ſpeciem periurij, vnde cõmittit peccatum periurij, & peccatum iniuſtitiæ, quæ ſunt circumſtantiæ diuerſæ *hac Fagundez.*

Quare eſt adeò ſtrictiſſima, huius ſigilli, obligatio, vt nullo vnquam caſu, vllius boni conſequendi, aut mali euitãdi cauſa, licet huiuſmodi ſigillum frangere, etiam ſi aliàs integrum Regnum debeat perire, vnde ob nullum vitæ caſum, qui mente fingi poteſt, nec etiam pro tuenda fide, totius orbis, aut vita Papæ, Regis, vel pro conſeruando toto orbe, licitum eſt reuelare ſigillum, *ita Reg. tom.* 1. *lib.* 3 *cap.* 2 *num.* 9. *&* 12. *Fagundez præcep.* 2 *lib* 6. *cap.* 1. *numer.* 7. vbi habet eſſe adeò ſtrictiſſimam, huius ſigilli obligationem, vt ſi Sacerdos, ſuum peccatum confiteri non poſſit, niſi circumſtantiam aliquam manifeſtando, per quam perſonã, ſui pœnitentis apud confeſſarium illam agnoſcentem reuelet, teneatur illam circumſtantiam, aut peccatum, tacere, & reliqua confiteri, cum propoſito, illam confitendi, cum inuenerit alium confeſſarium, qui eam perſonam, non agnoſcat ita etiam *Suar. tom.* 4 *diſp.* 33. *ſect.* 1. *num.* 18. *& alij.* Nu. 7

Ex quo patet, quælibet atrociſſima tormenta ſubeunda, potius eſſe à confeſſarijs, quam vel in re minima veniali, in particulari, dictis, vel factis, hoc ſigillũ violare *ita Fagundez præcep.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 8. Nu. 8

Patet etiam ex ſupradictis, frangi nõ poſſe ſigillum ſacramentale, vt ſi quis confeſſus eſt hæreſim, vel ſe propoſitũ habere, ſeminandi dogma, quod reuera eſt hæreticum, aut propoſitum habere tradendi ciuitatem hoſtibus, aut aliud eiuſmodi damnũ inferẽdi, cui nequeat, aliter obuiari, quam detegendo confeſſionem, non licet detegere, quia nullũ bonum procurare, aut damnum impedire licet, per media illicita, reuelatio autem cõfeſſionis eſt intrinſece illicita, ergo Nu. 9

ergo *ita Reg. tom. 1. lib. 5. ſect. 1. cap. 2. nu. 12. Fagundez præcep. 2. lib. 6 cap. 4. nu. 9.* vbi habet debere confeſſarium, admonere hæreticum, vt ſe prodat Inquiſitoribus, vel vt ſibi concedat licentiam, ad illum prodendum, quod ſi noluerit, abſque abſolutione dimittat, & illum Deo comendet, & inuiolabiliter ſigillum obſeruet, Deus enim propter obſeruationem illius, rempublicam ſeruabit incolumen.

Nu. 10 Illud tamen, aliqui cōcedunt, in hoc ſuperius caſu allato, poſſe confeſſarios, (ſi ſalutaribus monitis reſipeſcere nolu etint hæreticus, aut proditor) verbis generalibus admonere eos, quibus malū imminet, & Paſtores, vel Inquiſitores, ac Prætores, vrbis, vt plus ſolito inuigilent, ſic dicendo opus eſt, diligentius ſolito, vigilare, graſſantur enim in vrbe proditores, & hæretici *ita Fagundez præcep. 2. lib 6. cap. 2. num. 12. vbi etiam 3. nu 8.* habet non poſſe confeſſarios licite, dicere Prætoribus, ſi ex confeſſione ſciant, tali die, & hora proditiones parari, vt eo die, & hora, ſolito diligentius inuigilent, ueque fidei inquiſitoribus, multos eſſe hæreticos in vrbe, praua dogmata ſeminantes, cum notitia, & forus confeſſionis nullum commercium habeat, cū his admonitionibus externis, & quia ipſi, etiam ſtatim conijcient, id ex confeſſione, confeſſatium ſcire, quod redundat in detrimentum ſigilli.

Nu. 11 Et cum iure diuino, obliget hoc preceptum ſigilli Sacramentalis, vti inter alios habet *Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 1. num* 8. non poteſt etiam Papa circa venialia, in confeſſione audita, in illo diſpenſare, nec dum alius ſuperior, etiā ex quacumque in re grauiſſima, itaque præter pęnitentem, qui licentiam dare poteſt, magna ex cauſa, quæ quidem licentia debet, eſſe expreſſa, non præſumpta, interpretatiua, aut virtualis, ſed libera, & ſpontanea, non vi, iniuria, aut dolo extorta, immo neque per præces importunas, adde neque per metum reuerentialē, ipſius confeſſoris obtenta vti aſſerit *Diana par. 5. tract. 11. reſol. 10. §. Notandum eſt*, & nota etiam præter pænitentem inquam, nullus ſuperior, diſpenſare poteſt in obligatione ſigilli, & ideo ſi Papa præcipiat, ſub excommunicatio nis ſententia, reuelationem alicuius rei, cadentis ſub ſigillo, ei non eſt parendū, nec obligabit excommunicatio *ita Sil. Nau. Sotus, & alij apud Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 2. num. 11.*

Vnde *num.* 13. reſpondens ad illud dubium, quid ſi iudex externus ad liberandum reum à ſuſpendio, vel morte, rei veritatem ſcire cupiens, petat à Cōfeſſario, vt veritatem ſibi apereat, ait ad eò eſſe ſacram inuiolabilem obligationem ſigilli, vt nec, etiam in bonum pœnitentis, & ad eum à morte, liberandū, poſſit confeſſor illius confeſſionem reuelare, ita etiam *Suar. to. 4. diſp. 33. ſect. 1. num 17. Diana par. 5. tract. 11. reſol. 10. §. Notandum eſt, & reſol 32.* quamquam immerito ex tacito conſenſu, pœnitētis *Iacobus de Graſſis apud eumdem Dianam* aſſerat poſſe confeſſarium, confeſſionem reuelare, quando in pœnitentis vtilitatem cedit. Nu. 12

Et licet, directe ad ſigillum confeſſionis ſacramentalis, ſolum confeſſarij obligentur, ſub pœnis ſacrorum canonū ordinarijs, contra confeſſores ſigillum frangentes, latis, quia ſoli illi, ſunt miniſtri huius ſacramenti, reliqui vero indirecte tantum, illud obſeruare tenētur, & ideo non pœnis ordinarijs ſacrorum canonum, ſed extraordinarijs, & arbitrarijs iudicum ſubicientur, *ita Suar. tom. 4. diſp. 33. ſect. 4. num. 3. Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 1. num. 1.* cuius ratio eſt, quia hoc præceptum ſeruandi ſacramētalis ſigilli, directe imponitur Sacerdotibus miniſtris huius ſacramenti, & pœnæ illis etiam imponuntur, vt conſtat *ex cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* pœnæ autem ſunt reſtringendæ, ad illas tantum perſonas, de quibus lex pœnalis loquitur, & non ampliādæ, ad alias *iuxta regulas iuris in 6. odia ſunt reſtringenda. fauores ampliandi.* Nu. 13

Pœnæ autem, quę imponuntur confeſſori, reuelanti ſigillum confeſſionis, duæ ſunt. Prima depoſitionis à iudice imponendæ; Secunda peregrinationis perpetuo ignominioſe fiendæ, vt habetur *ex cap. Si Sacerdos de Pęnit. diſt. 6.* at vero *in cap. omnis vtriuſque ſexus loco ſupra citato* licet confirmetur eadem depoſitionis pœna, tamen pœna perpetuo ignominioſe peregrinationis, immuta- Nu. 14

ta est, in pœnam perpetuæ reclusionis in monasterium, quæ quidem pœnæ de positionis, & perpetuæ reclusionis, non incurruntur ipso facto, ante iudicis sententiam *ita Diana par. 5. tract. 11. resol. 51.*

Nu. 15 Aduerte autem nomine Sacerdotis, & confessoris, intelligi etiam superiorẽ, quando ab illo petitur, licentia absoluẽdi à reseruatis, quia tũc defertur ad illũ, causa tamquam ad superiorem iudicẽ, petendo delegationem eius, & ideo fertur, sub eodem sigillo, nam ille est etiã quidam vsus clauium, in hoc foro, & aliàs fieret odiosa confessio, & ipsi superiores haberent viam, cognoscendi delicta, extra confessionem, occasione ipsius confessionis, quod illi valde nociuum esset, propter quæ in his casibus, in superioribus obligat sigillum *ita Suar. loco supra citato Fagundez loco supra citato num. 2. Diana par. 5 tract. 11. resol. 12. §. Sed hæc* vbi pro hac sententia citat *Faustum Megalam, & alios*, & reddens rationem, ait moraliter loquendo, superiorẽ intelligi, vnam personam cum Confessario, in ordine ad impertiendam absolutionem pœnitenti, cum ergo Confessarius, teneatur sigillo, eodem etiam tenebitur superior Prælatus, quamquam *Hurtadus, & alij apud Dianam* negatiue respondeant, quæ opinio reprobanda est.

Nu. 16 Ex his collige eum, qui, vel casu trãsiens, vel dum expectat vicem suæ confessionis, vel malitia, & dolo, aut iniqua curiositate, peccata audit pœnitentis, ad sigillum obligari, itaut in nullo vitæ cursu, nec etiam propter salutem propriam, aut vitam Papæ, Regis, aut Principis, possit licite ea reuelare, si autem reuelet non pœnis ordinarijs sacrorum canonum, sed arbitrarijs iustissime, & grauissime punietur *ita Suar. to. 4. disp. 33. sect. 4. num. 7.* vbi reddens rationem ait quia ille facit iniuriam, & personæ pœnitentis, & Sacramẽto, ergo tenetur illam resarcire, quantum potest, sed nullo modo potest, nisi seruando secretũ, quantum sigillum postulat, ergo ad hoc obligatur, item quia tota illa notitia, orta est ex confessione, ergo in illa reperitur eadem ratio, seruãdi secretum, propter reuerentiam Sacramenti, & ad euitã dum iniuriam eius *ita etiam Fagundez præcep. 2. lib. 6 c. 6. n. 25. vbi ex Nau. in sũma cap. 8. nu. 4. & alijs* aliam assignat rationem dicens, quia res transit ad alios, cum suo onere, sicut pignus, & similia, hæc autem notitia, ex vi confessionis, habet hoc onus, quasi adiunctum, Præterea ipsum met Sacramentum, obligat alios, ne se furtiue ingerant, audiendis confessionibus, quia hoc valde spectat ad reuerentiam Sacramenti, & bonum eius, ne illius vsus fiat odiosus, & difficilior, ergo pari ratione obligat, ad idem secretum, & hanc sententiam sequutus est etiam *Diana par. 5. tract. 11. resol. 16. Onuphrius Fabrus Pitigianus, & alij apud ipsum* quamquam *Vigerius, & Tabiena apud Dianam* afferant tam illum, qui casu, quam, qui ex industria, audit huiusmodi peccata, teneri ad celandum, sub peccato mortali, non tamen proprie sigillo sacramentali.

Et *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 14. art. 5.* tenet, qui casu audit peccata confessa, Nu. 17 quia forte pœnitens recitat alta voce, teneri illa sub mortali peccato, celare, secreto naturali, non sacramentali, si vero ex industria audiat, teneri, tunc ad sigillum, & grauiter puniendum esse, si illa reuelet alijs, non tamen puniendum esse his pœnis, quæ infliguntur à Canone *ita etiam Tannerus to. 4. disp. 6. quæst. 9. dub. 6 num. 134.* Tu tamen tene audientes confessionem, siue casu, siue ex dustria cognoscant peccata, teneri ad sigillum, modo supradicto, quia cognoscunt ea peccata ex confessione sacramentali, ergo quomodocunque ea cognoscant, semper obligantur, ea celare sub sigillo sacramentali, & idem dic *cum Maldero tract. de sigillo cap. 13.* de eo, qui intelligit mutum, per nutus, & signa, nã mutus sic confidens, non intendit publice confiteri, sed secreto.

At vero si quis, siue culpa, & inaduertenter audit, aliquod peccatum in con- Nu. 18 fessione licet non peccet, adhuc tenetur eodem sigillo sacramentali, quia cum res pertineat ad confessionem, sub sigillo illius debet manere *ita Fagundez loco supra citato num. 25. fine quare optime Suar. ait loco supra citato* quamuis enim nõ teneatur, ratione iniustæ acceptionis, vt sic dicam, cum casu audierit, tenetur

ta-

tamen, ratione rei acceptæ, hoc eſt ratione notitiæ, ex confeſſione acceptæ, imo hinc vlterius fit, ſi quis in caſu neceſſitatis confiteatur audientibus alijs, quia non poteſt confiteri alio modo, nō ſolum cōfeſſorem, ſed etiam omnes audientes, teneri ad ſecretum ſigilli, modo ſupra dicto.

Nu. 19 Et quamquam *Medina Viualdus, & alij apud Dianam par 5 tract. 11. reſol. 23. §. Hoc ſuppoſito*, exiſtiment huiuſmodi confeſſarium, non teneri ad ſigillum, reſpectu eorum, qui ſimul ſecum peccata audierunt, teneri vero, quo ad alios, tamen hæc opinio non eſt tenenda, vt patet ex doctrina *Suarij to. 4. diſp. 33. ſect. 5 num. 3.* ſi plures ait confeſſionem audierint, quacumque occaſione, non poſſe poſtea inter ſe confabulari, de alienis peccatis, in confeſſione reuelatis, quia ſi cum ipſo pœnitente non licet loqui, multo minus cum alio, etiam ſi notitiam confeſſionis habeat; vnde à fortiori concludit *Diana* dicendum eſſe, neque alij inter ſe, neque cum ipſo Sacerdote id poterunt, licite facere, tenentur namque ipſi ad ſigillum in tali caſu.

Nu. 20 Idem dicendum de interprete, fatendum puto, teneri, ſcilicet ad ſigillum cō feſſionis, modo ſupra explicato cuius ratio eſt quia vt iair S. *Tho. apud Suarium tom. 4 diſp. 33. ſect. 4. num. 4.* ſicut interpres participat actum clauium, ita participate ſigillum, qui quidem *D. Tho.* loquendi modus, placet *Suario*, vnde exiſtimat proprie, eſſe ſigillum, quamuis non tam graue, ſicuti in Sacerdote modo infra dicendo, quare *Fagūdez pracep, 2 lib. 6. cap. 6. num. 17.* ait in nullo vitæ caſu, nec propter aliquem finem, nec ad vitandam mortem propriam, aut Regis, aut Papæ, licitum eſſe, interpreti violare ſigillum, ergo ſignum eſt hanc obligationem, eſſe ſigilli ſacramentalis, obligationem, non ſecreti naturalis, cum ſecretum naturale, nō obliget, cum detrimēto, ac damno proprio, vel proximi.

Nu. 21 Illud tamen aduertendum eſt, interpretem, ſi peccata reuelet, non eſſe puniendum pœnis ordinarijs, ſacrorum canonum; cum non ſit proprius miniſter, huius Sacramenti, ſed arbitrarijs iudicum, ita inter alios *Fagundez loco ſupra citato num. 17.*

Item idem dicendum eſt, de illo, cui reuelata eſt confeſſio, etiam ex pœnitentis licentia, teneri, ſcilicet ad huiuſmodi ſigillum, qui ſi reuelet, licet non ſit puniendus pœnis ordinarijs ſacrorum canonum, modo ſupradicto; cum non ſit proprie miniſter huius Sacramenti, tamen arbitrarijs iudicum pœnis, puniēdus eſt *ita Fagundez loco ſupra citato nu. 26. Suar. tom. 4. diſp. 33 ſect. 4. num. 6. Diana par. 5. tract. 11. reſol. 11. §. Sed hæc*, qui citat quomplures pro hac ſententia Doctores, cuius ratio eſt, quia conſiliarius v. g. cui de licentia pœnitentis confeſſarius reuelauit, pœnitentis peccata, participat actum clauium, ſcilicet quo ad clauem ſcientiæ, & ſupplet defectum miniſtri, itaut, ex vtroque quaſi coaleſcat miniſter, habens omnia neceſſaria, ad hoc munus, quamquam *Vaſq & alij apud Dianam initio* aſſerant non teneri ſigillo confeſſionis, ſed tantum ſecreto naturali, iuſtitiæ, quia iſte non cognouit peccatum ex confeſſione ſacramētali adhuc remote, & mediate, ſed tantum ex narratione non ſacramentali, hæc *Vaſq.* tu tamen *Suarij* ſententiam ſequere. Nu. 22

Quid vero ſi quis inueniat peccata, alicuius ſcripta, ad confeſſionem faciendam, in ſubſidium memoriæ, & quidē *Suar. tom 4. diſp. 33. ſect. 4. num. 5. fine* exiſtimat non teneri ſub ſigillo ſacramentali, illa tegere, ſed tantum ſub ſecreto naturali, quia illa charta, eſt inſtrumentum valde remotum, ad confeſſionem, & quia in illa, nullo modo eſt inchoata confeſſio, ita etiam *Tannerus, Sotus, Bannes, & alij apud Dianam par. 5. tract. 11. reſol. 27. initio* quamquam alij affirmatiuam ſententiam, doceant, aſſerentes teneri ad ſigillum confeſſionis, quia peccata, ſcripta ſunt, in ordine ad confeſſionem, & licet vtramque opinionem probabilem exiſtimet *Fagundez pracep. 2. lib. 6. cap. 5. num 16.* tamen hanc libentius amplexus eſt, ſicut & nos, hāc amplectimur, quia eſt fauorabilior ſacramēto, ſecundo quia ſi charta ſcripta ſit ad virum doctum, ad petendum conſilium, pro cōfeſſione, aſſumitur ibi vir doctus, tamquam perſona neceſſaria, ad perfectionem Sacramenti, non neceſſaria ſecreto, ſi vero tantum ſcripta ſit, in ſubſidium Nu. 23

fidium memoriæ, iam potest dici cõfes sio inchoata, & cum saltem hæ rationes, & Doctores faciant hanc rem dubiam, in dubio autem inclinandum est in fauorem sigilli, & Sacramenti, & hæc de peccatis confitendis *ita etiam Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resol. 112. & par. 5. tract. 11. resol. 27. §. Mihi vero.*

Nu. 24 At si peccata, quæ inueniuntur scripta, iam sunt confessa, cum iam affecta maneant, sigillo confessionis, firmius dicere possumus, cadere illa, sub eodem sigillo, & transigere semper cum suo onere sigilli, sicut enim illa, quæ mihi reuelauit aliquis, qui ea à confessore audiuit, teneor seruare sub sigillo, sic etiam tenebor, seruare hæc peccata scripta, quæ iã fuerunt confessa, sub eodem sigillo, cum par sit vtrobique ratio, nam propterea illa peccata, quæ audio ab alio, teneor seruare sub sigillo, quia scio fuisse confessa, & quia vbi primum confessioni subiecta fuerunt, ita affecta obligatione, ac onere sigilli manserunt, vt semper transeant, cum suo onere, & illud exuere, numquam possint, nisi de consensu confitentium, de eorum enim consensu possunt, non solum Sacerdotes, sed etiã quicumque alij, loqui de huiusmodi rebus confessis, vt sæpe diximus, ergo etiã propterea illa peccata, quæ fuerunt confessa, & scripta inueniuntur, affecta ersit prædicto onere, & obligatione sigilli, quia iam confessa sunt, & semel sub sigillo, cesserunt, nam parum refert, quod ego nesciam illa iam fuisse confessa, id enim per accidens est, & tunc incipient, sub sigillo obligare, cum id scriuerim, *hec Fagundez ita et iam pracep. 2. lib. 6. ca. 6. num. 20.*

Nu. 25 Ex his ergo, colligi possunt varij casus, in quibus frangitur, vel non frangitur sigillum, & primo non frangit sigillum, qui de confessionibus, à se auditis, consulit viros doctos, tacita tamen persona, & circumstantia, per quam pœnitens potest cognosci, vnde, qui dum cõfessiones audit, & loco surgit, vt cõsulat virum doctum, & statim regreditur, vt pœnitentem absoluat, vidente ipso viro docto, vel alijs spectantibus, sigillum, facto, violauit, *ita Fagundez pracep. 2. lib. 9 cap. 5. num. 2. vbi num. 3.* ait non frangere sigillum confessionis sacramentalis, illum, qui secretum teneat, sibi manifestatum, sub sigillo confessionis, vt vulgo fit, sine sacramentali confessione, etiam si manifestetur Sacerdoti, & etiam si genuflexo, ac præuio signo crucis, sibi manifestatum sit, imo etiam si, ei dicatur, hoc tibi detego in confessione, & præmissa confessione generali, quæ incipit Confiteor Deo, &c. quia quãdo res, non detegitur, animo vere, se accusandi, adhuc non excedunt limites secreti humani, & sic non magis obligat, quam obligaret iuramentum tegendi secretũ, quæ non obligaret, quoties secretum damnosum, & detrimentosum esset alijs, lex enim naturalis, seruandæ charitatis in proximos, vincit legem seruandę fidelitatis secreti, maius enim, ac fortius est præceptum charitatis, quam fidelitatis, ac religionis, quare licite poteris, imo teneris huiusmodi secretum, etiam iuratum reuelare, si vergat in damnum proximi, aliàs si non vergit, teneris inuiolabiliter obseruare.

Quare fractor sigilli confessionis, indirecte dicetur ille confessarius, qui duorum, vel trium confessionibus auditis, de vno comparatiue, ac respectiue, ad alios dicit. Hic nullũ habet mortale, & si sint fœminæ. Hæc hactenus virginitatis, florem seruauit, & ratio est quia indirecte, significare videtur, alias duas corruptas esse, & alios duos mortalia fuisse confessus, dixi comparatiue, quia si confessus est Franciscam, aut Antoniam, vel Petrum, aut Ioannem, & post aliquod tẽporis spatium, vel statim post ipsam confessionem, accedat aliquis ad confessarium, qui loquatur, cum ipso Confessario, de Francisca, aut de Petro, absolute, non respectiue, ad Antoniam, aut Ioannem, non frangeret sigillum, si de Francisca diceret, hactenus seruasse virginitatem, & de Petro, esse virum probum, aut fidelem *ita Fagundez num. 5.* Item frangeret sigillum, si confessor habens, duos, vel tres pęnitentes vnum nimium laudet, dicens nunquam afferre consciẽtiam peccati mortalis, & alterum illaudatum dimittit, cum suspicione audientium, quia tacite videtur, insinuare aliàs non esse huiusmodi *ita Suar. tom. 4. disp. 33. sect. 3 num. 9.* Nu. 26

Et licet, Confessor non frangat sigillum Nu. 27

lum, dicens Petrum sibi esse confessum, quia hoc commune est omnibus fidelibus, & esse actus virtutis, & ita nulli fit iniuria, & licet dicat confessum esse peccata sua, non fit reuelatio, quia hoc necessario continetur in ipsa confessione, vt asserit *Suarius nu. 9.* tamen cauenda esse, quæ per accidens, sequi possunt, vnde non posset confessarius dicere, Petrũ sibi esse confessum, vel Petri peccata audiui, quando Petrus ita secreto, ei confessus est, vt noluit sciri ab aliquo, vt v. g. à suo confessario ordinario, qui eo cognito suspicaretur, graue peccatum sibi cõfessum, esse *ita Nau. apud Dianam par. 5. tract. 11. resol. 46. fine.*

Nu. 29 Frangit pariter sigillum, directe quidem, & non indirecte, confessor ille, qui de aliquo in hunc modum loquitur, Petrus v. g. mihi confessus est multa, & grauia peccata, quia iam reuelat peccata mortalia in genere *ita Nau. apud Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 5. num. 6.* sicuti cõtra sigillum faceret, qui diceret Petrus, mihi confessus est plura peccata venialia, vt asserit *Hurtad apud Dia par. 5. tra. 11. resol. 49. §. Verum* cuius ratio est, quia reuelat, quod est occultum, nam occultum est penitentem plura venialia fecisse, secus autem si dicat pœnitentem, fecisse seu confessum fuisse, peccata venialia non addendo (Plura) quia tunc non reuelat, peccatum occultum, quia manifestum est eum, qui confitetur, & absoluitur, fecisse, & confiteri ad minus venialia sicuti, nec contra sigillum facit qui asserit, ego absolui Petrũ, quia tũc, non reuelat mortalia in genere, nec venialia in specie *ita Nau. apud Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 5. num. 6* item non frãgit sigillum, si confessor dicat, Petrus nõ habet, nisi materiam venialem, quia nullum mortale in genere, nec veniale, in specie reuelatur *ita Suar. loco supra citato disp. 33. sect. 3 nu. 9.* modo nulla fiat comparatio ad alium, modo supradicto.

Nu. 30 Frangere sigillum docuit *Iacobus Granado apud Dianam par. 5. tract. 11. resol. 50. initio* eum confessarium, qui diceret, Petrus v. g. in confessione, suis minutissimis peccatis, scrupulose, caput meum obtundit, quia quidquid penitenti, est aliquo modo ignominiosum, & gignit erubescentiam, non potest manifestari, nisi violato sigillo, quis autem est, qui non erubescat, aut aliquo modo doleat, si audiat, se ita confiteri, vt caput obtundat confessario suis nenijs, aut se occupare impertinentibus scrupulis confessario, quare huiusmodi loquutiones, non declarant peccata venialia, solum in genere, sed in specie significant nimietatẽ, & defectum, quem non habent multi alij, qui & venialia plura, immo, & mortalia committunt, ergo propter has, & similes rationes, frangit sigillũ, ita *Granado* quamquam contraria sententia sit communis, vt asserit *Diana* quia in tali casu, non manifestatur aliquod peccatũ in particulari, & nomen scrupulosus) communiter denotat hominem timoratum, & qui abstincte vult ab his, etiam quæ licita sunt, sed his non obstantibus, adhuc consulerem confessarios, vt ab his loquutionibus etiam se abstineant.

Reuelat quoque confessionem directe, qui in confessione audiens, publicas meretrices, aut concubinarios, de illis ita dicit, ille, vel illa, grauia peccata mortalia, mihi confessus est, quãtumuis ita sint publica, vt totus Orbis, ea cognoscat, cuius ratio est, quia quamuis confessarius, de huiusmodi peccatis publicis, possit loqui, & testificari, iuxta notitiam, quam extra confessionem habet, tamen nunquam potest dicere, se huiusmodi peccata, ex confessione scire, id enim proprie est reuelare sigillũ, & hoc ipsum odiosum reddit Sacramentum, & alijs formidabile *ita Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 5. numer. 7 quare Suar. tom 4. disp. 33. sect. 3. nu. 6. initio* habet licet res sit publica, si tamen confessor illam nõ sciebat alio modo, non posse de illa loqui, etiam cum illis, quibus est cognita, quia obligatio sigilli, est per se, & scientia aliorum, est per accidens vnde licet fortasse, non fiat nocumẽtum penitenti, quia non infamatur amplius, fit tamen iniuria ipsi sacramento: item hoc erit grauius, si dicat se cognouisse in confessione, quia magis directe, & formaliter frangit sigillum. Quo fit, vt licet hoc, dicat in laudem pœnitentis, nihilhominus grauiter peccet, quia semper esset scãdalosum, etiam inter pios, & doctos, & iniuriosum ipsi sacramento. Nu. 31

Item frangeret sigillum, si confessarius Nu. 32

rius diceret pœnitenti, publice extra confessionem, amice non concedo tibi Eucharistiam, quia habes casum reseruatum, à quo non possum te absoluere, item directe frangeret sacramentalis confessionis sigillum, confessor ille, qui coram alijs diceret, ille est mihi confessus, sed ego illum non absolui *ita Fagundez precep. 2. lib. 6. cap. 5. num. 8. & 9.*

Nu. 33 Non frangunt confessionis sacramentalis sigillum, Parochi, vel confessarij illi, qui vocati ad ministrandam Eucharistiam concubinis, & publicis peccatoribus, ad satisfactionem populi, ita dicunt, hi homines, vt apparet hactenus fuerūt in peccato mortali, & sunt, & publico peccatori, non est publice ministranda Eucharistia, cum autem constiterit publice de correctione illorum, ego illis publice Eucharistiam dabo, idque quāuis ipse eos in confessione audijsset, in his enim verbis, nec reuelatur confessio, nec quidquam falsum dicitur, nec piæ aures offenduntur, nec iuste à confessione retrahentur pęnitētes, *ita Nau. & alij apud Fagundez loco supra citato nu. 10.*

Nu. 34 Negant communiter doctores, frangére sigillum confessarium illum, qui dixerit Ego in confessione audiui hoc peccatum mortale, nominando illud, in ea circumstātia, in qua nullo modo, quis venire in notitiam peccatoris possit, quia non prohibetur hic manifestatio peccatorum absolute, sed manifestatio peccatorum, relatiue, ad peccatorem, vt egregie notauit *Siluester verb. confess. 3. num. 2. quæst. 5.* id est in ea circumstātia, in qua facile, quis potest venire in notitiam eorum, qui peccata commiserunt, quare si confessor Panormitanus, aut Messanēsis, dicat Panormi, vel messanæ, committuntur grauia peccata mortalia, aut talia, vel talia v. g. sūt multi vsurarij, blasphemi, nō frangit sigillū, quia abstracte de peccatis loquitur, ita *Nau. apud Fagundez precep. 2. lib. 6. cap. 5. num. 11.* a qua communiori sententia, nō recedit, deinde *Fagundez num. 12. fine*, sicut nec nos ab hac recedimus, cum sit communior.

Nu. 35 Quamquam contraria sententia, fortasse improbabilis, non sit, maxime, quia deduci potest *ex Suarij doctrina tom. 4. disp. 33. sect. 3. num. 8.* vbi habet. Item maxime cauendum esse, ne offendatur cōmunitas, ad quā talis persona pertinet, vt si dicat religiosum, hoc fecisse, & præsertim nominando religionem, in particulari, quia reuera hoc iam redundat in grauamen notabile pœnitentis, præter iniuriam, quæ fit communitati, vnde *Suar. cum Ledesma quæst. 10 ar. 2.* existimat in rigore loquendo, hoc esse reuelationem sigilli, quod quidem *Suarij* fūdamentum procedit, etiam respectu hominum secularium, etiam si, de eorum peccatis loquamur, in ea circumstātia, in qua peccatores agnosci non possint, & patet quia cum *Suarius, & Ledesma* fateantur frangi sigillum in rigore, quādo de religiosis, sermo est, necesse est etiam, vt id ipsum in secularibus fateantur, non enim sigillum obligat, magis circa has personas, quam circa illas, sed æqualiter circa omnes, quæ quidem opinio, propter has rationes, fortasse improbabilis non est, tamen à communiori non recedo, quare de hoc apud *Fagūdez loco supra citato.*

Vnum tamen velim notetis, quod habet *Fagundez precep. 2. lib. 6. cap. 4. nu. 2.* vbi ingeniose, & optime aduertit. Cauēdum etiam esse Cōfessarijs ne offendāt communitatem, aut religiosam familiā nominando religionem in particulari, aut monasterium, quia præter peculiarē iniuriam, & periculum cognitionis pœnitentis, moraliter loquendo, nunquā id fieri potest, nisi cum magno dedecore, & iniuria communitatis, & ideo *Ledesma quæst. 10. ar. 2. & Suarius allegatus* existimant in rigore loquendo, hoc esse, reuelationem sigilli, & in hanc sententiā inclinare videntur *Diana par. 5. tract. 11 resol. 35. Hurtadus, & alij apud ipsum, contra vero Henriq. & Nau. apud Fagundez* existimant, in rigore, non esse, contra sigillum, posse tamen esse peccatum mortale, aliquando scandali, aliquando infamiæ, totius communitatis, licet enim nullius religiosi in particulari, suspicio esse possit, tamen apud simplices, & rudes homines, generatur maximum scādalum, reuelatæ confessionis, vnde concludit *Fagundez* sed nihilominus existimo opinionem *Suarij* esse admodum rigorosam, & opinionem *Henrici, & Nauar.* Nu. 36

uarri esse probabiliorem, vt considerāti patebit.

Nu. 37 Indirectè, item infringunt, sigillum Sacerdotes, qui inter se, aut cum alijs loquentes, de confessionibus, à se auditis, ita dicunt. Hodie venit ad me, quædā mulier, vel quidam miles, & hoc mihi confessus est, quia quamuis nomina non exprimantur, tamen facile est, per coniecturas, eos cognoscere. Idem dicendū est, de illo Sacerdote, qui ex duobus, aut tribus, sibi confessis, de vno dicat istum absolui, & de alijs tacet *ita Fagundez loco supra citato pracep.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 13.

Nu. 38 Sciens autem per confessionem vinū, in Missa esse venenatum, dicunt aliqui, posse in tali casu, Sacerdotem desistere à celebratione, si nullo modo, alijs fictis causis, se excusare possit, à celebratione, quia Confessarius, vtitur iure suo, & ex vi talis actus, nihil de confessione reuelat, quia cessatio illa celebrandi, est signum indifferens, quamquam opinionem contrariam probabiliorem existimet *P. Gesualdus de Bononijs Capuc. de sigillo Confess. tit.* 8. *cap.* 5. *num.* 18 quia non licet, nec directè, nec indirectè, confessionem reuelare.

Nu. 39 Tandem an confessarius, frangens sigillum, vltra pœnas supra enumeratas, quas incurrit propter fractionem sigilli, aliàs incurrat, & quamquam *Maiolus & Speculator apud Suarium tom.* 4. *disp.* 33. *sect.* 8. *num.* 2. asserant sacerdotem reuelantem confessionem, fieri irregularē, tamen negatiue respondeo dicendum, quia irregularitas, nūquam incurritur, nisi sit in iure clare expressa, hæc autem irregularitas, non deducitur ex iuribus, in quibus impositæ sunt, aliæ pœnæ, neque ex aliquo alio iure, ergo ita *Suar. to.* 4. *disp* 33. *sect.* 8 *num.* 2. vbi etiam ait longe improbabilius etiam esse, laicum audientem confessionem secretam, alterius, sine necessitate, fieri irregularem, si eā reuelet, multo enim minus, potest hoc iure probari, cum nec pœna reuelationis sigilli, in hoc loco habeat Quamuis dignus, profectò sit, aliqua alia extra ordinaria pœna ita etiam *Fagundez prae cep.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *num* 3. & 8. *Diana par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 53. & *alij apud hos.*

Nu. 40 Animaduertas tamen, quod si quis confessarius, extra confessionem loquutus sit, cum pœnitente de peccatis confessis, licet ego cum communiori sententia teneam, fregisse sigillum, & esse puniendum pœna ordinaria, tamen respōdet circa hunc casum *Hurtadus disp.* 12 *de sacr. pœnitentia diff.* 11. *apud Dianam par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 6 huiusmodi loquutionem, non esse contra sigillum, strictè sumptum, quia non est apertio secreti, strictè sumpti, cum fiat ipsi Pœnitenti scienti peccata, de quibus confessarius loquitur; esse tamen contra sigillum, latè sumptum, quia est contra obligationem, nulli dicendi peccata, in confessione tantum nota, quæ dici potest sigillū, seu obligatio, seruandi secretum, idest nulli dicendi, vnde vt habet *Hurtadus* eum, qui sic peccat, contra sigillum, nō esse puniendum pœna imposita reuelātibus confessionem, quia tunc, non reuelat confessionem, reuelatione absolute, & strictè sumpta, sed tantum latè sumpta, quæ non est punienda pęna imposita his; qui absolute, & simpliciter dicuntur reuelare, quare hanc sequutus sententiam, quidam Illustrissimus Episcopus, liberauit quemdam confessariū reuelantem, & alloquentem cum pœnitente de peccatis confessis, de pœna ordinaria, sed puniendum duxit pœna extraordinaria, & hanc sententiam docet etiam *Granado apud Dianam.*

Sicuti si aliquis sacerdos, dicat Ego audiui Petrum in Confessione, & non absolui illum, aut Petrus habet peccata, à quibus eum non possum absoluere, licet talis Sacerdos reuelet confessionē existimat *Bernardus Dias apud Fagūdez pracep.* 2. *lib.* 6. *cap* 7. *num.* 11. in his duobus casibus non esse prædictum sacerdotem, puniendum pœna ordinaria canonum, sed arbitraria iudicum, quia non potest uere dici illum reuelasse, confitētis, & pœnitentis peccata, licet verum sit reuelasse confessionem, & quia iura, *in cap. omnis vtriusque sexus de Pœn. & remiss. & in cap. Sacerdos eodem titulo* imponunt pœnam reuelantibus peccata, & non reuelantibus confessionem absolute tamen hæc opinio, non mihi placet, quia dicta capita ita habent. Caueat autem Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio, quouis modo reuelet peccatorem, Nu. 41

quod perinde est, ac dicere reuelet statum peccatoris, qui autem reuelat confessionem, absolute reuelat statum peccatoris, in peccato mortali, ac proinde ordinarijs pœnis subijcietur.

Nu. 42 Iterum esset inquirendum, quomodo de hoc delicto secretissimo, cõstare possit in iudicio, vt puniri possit, & licet pertineat ad iurisperitos, ostendere, quæ probationes sint necessariæ, ad constandum de hoc secretissimo delicto, reuelationis in iudicio, vt puniri possit reuelator: rarissime vero, aut nunquam Sacerdos, poterit damnari pœna ordinaria sacrorum Canonum, quia audire confessiones est actus iuris dispositione secretus, de quo testes non possunt deponere, & quia si accusetur ab alio, diuerso à pœnitente, & pœnitens mortuus sit, potest dicere, se de licẽtia pœnitentis id fecisse, & sic in iudicio præsumitur legitima excusatio, nisi aliud euidenter probetur *ita Fagundez præcep. 2. lib. 6. cap. 7. num.* 10. vbi habet, quod si sacerdos accusetur, de reuelatione sigilli ab ipsomet pœnitente, & ipse Sacerdos, iure iurando affirmet, se de licentia pœnitentis id fecisse, & Sacerdos sit bonæ, & laudabilis vitæ, & honestæ famæ, licet non plene probet, stat tamen præsumptio pro parte Sacerdotis, & in tantum operatur hæc præsumptio, quod transferat onus probandi in agẽtem, & accusantẽ, quia is debet probare contra quem facit præsumptio, quare optime *Suar. ait tom. 4. disp. 33. sect.* 8. *num.* 4. multum cõferre in hoc vitam, & mores confessoris, nam si sit bonæ famæ, & honestæ vitæ, tunc illi fides adhibenda est, cum actus sit ex se secretus, neque aliter probari possit *vide Dianam par. 5. tract.* 11. *resol.* 62. & hæc de ministro.

QVAERES VIGESIMOSESTO.

Quid agendum de Pœnitente.

Nu. 1 Circa personas, quas obligat Præceptrum annuæ confessionis semel faciendæ, suo proprio Parocho, tempore quatragesimæ *iuxta caput omnis vtriusq. sexus de pœnitentia, & remiss.* aduerte, omnes baptizatos vtriusque sexus, post quam ad annos discretionis, hoc est post perfectum vsum rationis peruenerint, qui sibi conscij sunt peccati mortalis obligari *ita Suar. tom. 4. disp 36 sect. 2. nu.* 1. vbi conclud t omnes baptizatos habentes conscientiam Peccati mortalis non confessi, obligari hoc præcepto, & *num.* 3. de pueris ait quando primum habent conscientiam peccati mortalis, obligari *ita etiam Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 19. num.* 18. *& in Trid. sess. 14. de sacr. Pœnit. cap. 5. num.* 21. *Fagũdez præcep. 2. lib. 1. cap. 3. num.* 10. qui hãc sententiam probat etiam *ex Trid sess. 14. de Sacr. pæn. cap. 5. & canone* 8. cuius ratio est quia, omnes Christi fideles baptizati, sunt subditi Ecclesiæ, ergo illos Ecclesiæ potest suis obligare preceptis, si iusta sint, sicuti de facto obligauit *in cap. omnis vtriusque sexus* cum iustum sit: quod autem iustum sit, patet *ex Trid. loco citato* vbi de fide definit fideles, ad huiusmodi præceptum teneri: nomine autem fidelium, aduerte, religiosos etiam, intelligi, verum cum religiosi sæpe in quatragesima confiteantur, sufficit, quod vna ex cofessionibus pro hac obligatione, applicent, vel ex intentione generali, vel particulari *ita Fagundez.*

Habentes vero, venialia, licet per se non obligentur ex præcepto Ecclesiæ confiteri, *vt ait Barb. in Trid. sess.* 14. *cap.* 5. *num.* 5. tamen non excusantur, nam saltem tenẽtur sistere se, suo Parocho, ac Pastori, vt ei declaret, se non esse sibi conscium, vllius peccati mortalis, quia debet pastori, saltem aliquo modo constare, talem non teneri præcepto confessionis, vt eum ad communionem possit admittere, ita *Suar tom. 4. disp. 36. sect. 2. num.* 9. vbi habet, quãuis aliquis, in toto anno, non peccasset mortaliter, teneri saltem ratione sumendæ Eucharistiæ, suum proprium sacerdotem adire, & dicere se non habere conscientiã peccati mortalis, & ideo sine confessione accedere, cui esset fides adhibenda, quãdo cõtrariũ euidenter nõ cõstaret, *ita etiã Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 19. num. 18. & in Trid. sess. 14. ca. 5. num. 5. Fagundez præcep. 2 lib. 1. cap. 2. n. 8. & 9.* vbi etiam habet teneri Pastorẽ, illud de se affirmanti, credere nisi habeat iustissimas causas, contrarium suspicãdi, *& num.* 10. habet nec consequenter Nu. 2

obli-

obligari innocentes, qui nunquam nec mortaliter, nec venialiter peccauerunt, vt Beata Virgo Deipara.

Nu. 3 Verum in quanam ætate pueri teneantur, huiusmodi obseruare præceptum, & licet aliqui existiment eos non obligari, hoc ecclesiastico præcepto, & alij ante duodecim ætatis annum non obligari asserant, tamen verior, & probabilior, & communior sententia pro certo tenet, huiusmodi pueros obligari, statim post perfectum vsum rationis, modo su pradicto ad confessionem annualem semel in anno, tempore quatragesimæ faciendam, quare omnes pueros, qui sciūt mortaliter peccare, & inter bonum, & malum licitum, & illicitum discernere, statim obligari hoc præcepto docet *Suar. tom 4. disp. 36. sect. 2. num. 3.* vbi habet sicut non potest certa ætas designari, in qua homo peruenit ad vsum rationis, & inter bonum, & malum valet discernere, sed alij citius, alij tardius, ratione vtuntur: ita non potest certa ætas præscribi, in qua homo incipit obligari hoc præcepto, sed regula est quando primum habet conscientiam peccati mortalis *ita etiam* Fagundez *pracep. 2. lib. 1. cap. 3. num. 12. vbi num. 15.* resoluit illam quæstionem an incurrant pœnā iure imposi tam, pueri, qui non dum habent tam perfectum rationis vsum, vt ad communionem obligentur, sed tantum ad confessionem, tempore quatragesimali, & respondet regulariter loquendo, non obligari, quare *Suar tom. 4. disp. 36. sect. 8. num. 5.* ait illos pueros, qui non dum ad communionem obligantur, sed tantum ad confessionem, non incurrere pœnas iure impositas illis, qui ex obligatione annuali quatragesimæ non cōfitentur.

Nu. 4 Collige ex supradictis Reges, & Imperatores, de iure, suis Præsbiteris Parochialibus teneri cōfiteri, nomine enim fidelium ipsi veniunt *ita* Fagundez *præcep. 2. lib. 4. cap. 3. num. 21.* Summum vero Pontificem, teneri obseruare huiusmodi præceptum, quo ad vim directiuā, non vero quo ad pœnas, & vim coactiuam *ita Suar. tom. 4. disp. 36. sect. 2. nu. 5. Fagundez num. 18.* Barb. *de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 19. num. 21.* & tam nos supra.

Illud tamen obiter aduertas, licet nō fit huius loci, quod habet *idem Barb. loco supra citato num. 22* fratres minores, & eos, qui cū eis in priuilegijs communicant, posse Parochis cōtradicentibus, secularium confessiones audire, & hoc ex priuilegio ab Alexandro Quarto sibi concesso, vbi *Barb.* cum doctoribus ab ipso citatis, habent hanc resolutionem procedere, etiam si Episcopi, in licentijs regularibus concessis, dicant, quod eis Parocho renuente, non vtantur, quia ipsi ordinarij, summorum Pontificum, hac in re, concessa priuilegia, tollere, aut limitare non possunt, *vide Fagundez præcep. 2. lib. 1. cap. 5. num 10. vbi num. 1.* asserit licet repugnātibus Parochis, posse Parochianos religiosis mendicantibus, confiteri ex obligatione confessionis annualis, itaut satisfaciant præcepto, modo dicto, illud tamen *num decimo* confitetur, quod si per cōtemptum proprij Parochi, hoc faciant, peccare mortaliter, & non satisfacere præcepto confessionis annuæ, si enim peccant mortaliter, ita confitendo, confessio sacrilega est, & inualida, si autem nulla est, & inualida, quomodo satisfaciet *ita Fagundez*, & nos supra tractantes, de confessione, quare vide, quæ supra diximus. Nu. 5

QVAERES VIGESIMOSEPTIMO,

An Pœnitens si credat, confessarium non impensurum, sibi absolutionem, si fateretur consuetudinem peccandi, vel an si interrogetur, de occasione proxima peccandi, possit vti æquiuocatione, negando cōsuetudinem.

DVbium hoc ab illa pendet quæstione an circumstantiæ notabiliter aggrauantes, sint necessario confitendæ, qui enim putant eas aperiendas esse in confessione, consequenter fatentur, cō suetudinem peccandi, esse aperiendam confessario, eo quia talis consuetudo, circumstantia notabiliter aggrauans fit; qui verò contra circumstantias notabiliter aggrauantes confitendas, non esse censent, ex consequenti affirmant, illam consuetudinem peccandi, explicādam non fore, necessario, nos vero de hac difficultate, sequenti quæsito. Nu. 1

S 2 Dis-

Nu. 2 Difficultas igitur, præsentis Quæsiti in eo sita est, an quando à confessario interrogaretur de consuetudine pœnitens illam manifestare teneatur.

Nu. 3 Ad quod quidem Quæsitum, respondent *Vasq in 3 par. tom. 4 quæst. 93. art. 1. dub. 3. & alij apud Sancium in selectis disp. 9. num. 3.* distinguentes alias esse circumstantias notabiliter aggrauantes, quæ nihil aut parum conducunt ad cognitionem dispositionis, & status pœnitentis, vt quantitas in furto, aut nimia intensio, aut duratio actus, & hæ confitendæ, non sunt, etiam si à confessario petantur, alias vero esse circumstantias, notabiliter aggrauantes, quæ multum, conducunt confessario, ad cognoscendā dispositionem, & statum pœnitentis, & istæ confitendæ, necessario sunt, si de his interrogetur, non ea ratione, qua circūstantiæ aggrauantes, sed quia ius habet cōfessarius, ad explorandam dispositionem pœnitentis, huius generis, est consuetudo peccandi, qua propter eam cōfiteri, tenebitur pœnitens, si à confessario petatur quantumcunque pœnitens, recte sentiat de sua dispositione, ita quōplures doctores, apud *Sancium loco supra citato, & Dianā par. 1. de circumstātijs aggrauantibus tract. 7 resol.* 55. qui in prima sententia, asserunt teneri, pœnitentem confiteri consuetudinem peccandi, si à confessario interrogetur, & posse confessarium, etiam per mensem, plus, vel minus, secundum prudentiam differre absolutionem, assuetis, peccato.

Nu. 4 Verum respondet *Sancius in selectis disp. 9. num. 6.* cōfessarium ius non habere, ad interrogandum de consuetudine peccandi, cum neque illud habeat, vt bis eadem peccata, quis confiteatur, nec ad afficiendum pœnitentem pudore, & dedecore, consuetudine peccandi cognita, sed debet pœnitens statim absolui, si vere dolorem habeat, de præteritis, ac in posterum, vitæ emendationē firmiter proponat, & quidem circa hoc, fides pœnitenti habenda est, sicut in alijs, quæ contra, & pro se dicet *hæc Sancius* quam sententiam aliquorum auctoritate doctorum probat, & præcipue *ex Suar. tom. 2. de religione lib. 3. cap. 8 nu. vlt tract. de iuramento* dicente de quo proposito, credendum est pœnitenti, non obstante quacumque præcedenti frequentia, & inconstantia eius, quia sicuti potuit, mutari in malum, ita etiam in bonum, & ipse est sui accusator desēsor, & testis, & fine ait, non oportere, vt confessor iudicet alium non amplius peieraturum, sed satis est, quod iudicet illum, in præsenti habere, tale propositū, & facere, quod moraliter, potest vt efficax sit, nec huiusmodi humanæ infirmitates, efficacius curari ab homine possunt *hæc Suarez.*

Probat etiam suam sententiam *Sancius ex Sanch. tom. 1. summe lib. 2. cap. 32. num. 45.* ex illis verbis. Secundo dico, quando nihil curæ apposuit ademēdā, admonitusque est sæpe, in alijs confessionibus, posse adhuc, hunc in rigore, statim absolui, si vere doleat de peccatis, ac in posterum emendam firmiter proponat, secundo probat item suam sententiam ex illis verbis *tom. 1. lib. 3. summe cap. 4. num. 16.* scilicet affectis consuetudine iurandi, & habentibus propositū emendationis, non est deneganda absolutio, & circa illud, est habenda fides, ipsi pœnitenti, sicut in alijs, quæ pro se, & contra se dicit. Nu. 5

Et tādem post aliquos doctores, reddit optimam rationem, quia si consuetudinem peccandi, teneretur pœnitens aperire, idem esset, quod obligare illū, peccata legitime confessa, iteru repetere, quod sane nullo præcepto humano, induci potest, saltem quando non interuenit reseruatio, in quo omnes conueniunt, imo licet interueniat reseruatio, non posse pœnitentem obligari ad iterū confitendum peccatum docet *Vasquez tom. 1. de Pœnit. quæst. 93. art. 1. dub. 6. nu.* 14. eo quod quilibet Sacerdos absoluēs, sit vltimus Iudex in illa causa, & peccatum semel absolutum, sit vltimo iudicatum, in hac vita, quare retractat *Vasq. sententiam, quam docuerat quæst. 61. ar. 3. dub. 6. 7. & 8.* Nu. 6

Ex his infertur, id quod supra proposuimus, in prima parte nostri quæsiti; scilicet quod si pœnitens probabiliter credat, confessarium non impensurum, illi absolutionem, si fateretur consuetudinē peccandi, posse æquiuocatione vtendo, negare consuetudinem, vt fiat sensus, cō suetudine careo peccandi, nō absolute, Nu. 7

sed

sed ad confitendum in præsenti *ita Sancius loco supra citato disp.9 num 7.* quam quidem opinionem probabilem existimo, propter rationes supra adductas, quã quam *Diana tract.7.de circumst resol.55* laudans Sancium in hoc tamquam virũ equidem doctissimum, & vt afferenẽ aliquod valde notandum, qui nouum, tamen in fine huius resol.55. trepidat dicens, & concludens, sed an hæc opinio sit tuta in praxi, remitto me iudicio aliorum, cum ipse possit, sicuti, & ceteri doctissimi viri iudicare probabilitate huius Sancij opinionis, quæ fidelium animas consolatur.

Nu. 8 Ex qua *Sancij opinione num.8.& 9.* sequitur non solum pœnitens posse negare consuetudinem peccandi, quandõ credit, non fore, se absoluendum, verũ etiam, si credat absolutionem, se nacturum, cum ad confitenda eadem peccata bis, non sit deuinctus, nec ad patiendũ pudorem, & dedecus ex consuetudine, iam nota oriundum *ita num.8.*

Nu. 9 Idem dicẽdum est de occasione proxima, ineuitabili, tamen sine magno incommodo, & scãdalo, nam in tali casu, potest pœnitens æquiuocatione vti, licet à confessario de tali occasione interrogetur, nam posito vero proposito emendationis, habet pœnitens ius ad absolutionem, & vt confessarius recte suo fungatur officio, nihil conducit scire, sit ne pœnitens in occasione, vel non, dato quod illam vitare nõ potest, eo quod siue cognoscat occasionem, siue non, tenetur tamen confessarius, absolutionẽ dare, hæc optime *Sancius* quæ verba sicut, & cætera valde adnotanda sunt.

Nu. 10 E quibus iam vides, iure optimo existimare *Sancium* virum equidem doctissimum laude dignum, peccatorem cõsuetudinarium, in quocumque peccato dummodo habeat dolorem de peccatis, & firmum propositum cauendi, de cetero esse absoluẽdum toties, quoties, nec posse confessarium, illi denegare absolutionem, quare respondet ad argumẽtum in contrarium, quod potest aduci, nempe absolutionem, in tali casu, differendam esse, vt cautior pœnitens reddatur ad præcauenda peccata, & propter incutiendum timorem, *n. 12.* ait id tamen non intelligo, quod maiores vires inhesuræ sint pœnitenti ad peccata vitanda, si careat gratia sacramentali, & ceteris auxilijs, à Sacramento prouenientibus, quam si eis, & illis induatur. Cumque consilium de meliori bono debeat esse, sane non capio, melius bonũ esse pœnitentis, carere pro aliquo tempore gratia, Sacramenti, quam illa vestiri *hæc Sancius* ex quo deducta sunt *ita etiam Canus apud Fag præcep 2.lib 4 cap. 4 num.7.*

Quamquam *Fagũdez loco supra citato, & alij apud ipsum* contrarium asserant dicentes, moraliter loquendo, semper huiusmodi circumstantiam, necessario esse confitendam, si confessor de illa pœnitentem interroget, quod si non interroget, teneri pœnitentem eam declarare, quantum necesse est, vt confessarius intelligat, statum suæ conscientiæ, quã obrem si huiusmodi statum explicari non possit, nisi explicando consuetudinem, relabendi frequenter, in id peccatum, tenetur eam cõsuetudinem declarare *hæc Fagundez* sed tu tene supradictam *Sancij* sententiam, quam probabilẽ putamus. Nu. 11

Ex Sancij sententia colligi potest vt habetur *disp.9.num.13.* male asseruisse aliquos doctores, loquentes de habente consuetudinem iurandi, quod si pœnitens ter, aut sæpius admonitus, nihil curæ adhibuerit, ad depellandam prauam consuetudinem, & si absolutio simpliciter neganda non sit, erit tamen differenda, quia dum pœnitens est dignus absolutione, tenetur confessarius absoluere, quare *Fagundez in decalogum tom. 1. lib. 2.cap 9.nu.20.& 21. apud Dianam par. 6.tract.7.resol. 49.* ad præsentem casum ita respondet, vel iste admonitus fuit, à confessarijs specialiter, in ipsis confessionibus, vt eam prauam consuetudinẽ auelleret, vel non fuit, sed cum alijs peccatis, simul proposuit emendationem. Si nunquam fuit specialiter admonitus, vt eam consuetudinem iurãdi tolleret, statim absoluendus est, cum acri tamen admonitione, vt se corripiat, & ea euellat. Et ratio est, quia si nunquam fuit à Confessarijs admonitus, non est in tanta culpa. Si autem ter, vel quater admonitus fuit, & aliquid curæ, vel laboris, in ea euellenda apposuit, statim, etiam est Nu. 12

ab-

absoluendus,& non est ei differenda ab solutio,quia ex parte sua aliquid contulit,& si ei differatur forte cadet animo, & à confessione deterrebitur,& labetur in peius.Si post admonitionem,nihil curæ apposuit, dico posse adhuc,in rigore absolui,si vere doleat de tali consuetudine,ac in posterum, firmiter emendationem proponat,quia nullam occasionem extrinsecam habet,propterquam necessario sit, ei deneganda absolutio, sed ex fragilitate humana, in hoc vitiũ sicut,& in alia labitur.

Nu. 13 Quod tamen, non est dicendum de eo,qui concubinam domi habet, cum proximam, & moralem occasionem extrinsecam domi habeat peccandi, vide etiam *Castrum Palaum apud Dianam loco supra citato.*

Nu. 14 Verum an pœnitens, teneatur occasionem proximam vitare, cum suo magno incommodo,& detrimento, itaut confessarius possit illum absoluere, an non.

Nu. 15 Ad maiorem huius Quæsiti explicationem,aduerte duplicem occasionem peccandi distingui posse, vnam proximam,remotam alterã.Proxima est illa, ob cuius rationem aliquod peccatum committitur,in particulari, alias non committendum,si ea abesset, eo quod occasio frequenter,præ manibus offertur peccatori,illum,ad peccatum inducendo,taliter quod potius occasio quærat peccatorem,quã ipse eam: ob quod stante occasione proxima,difficile sit satis à peccando abstinere, est enim natura,obiecti præsentis,efficacius mouere, quam absentis.Remota est illa occasio, quam nisi peccator inquirat, aut non inueniet,aut saltem difficulter,ob quod facilis erit vitatio peccati, *ita Sanctius in selectis disp.*10 *num.*1.*vbi num.*2. habet remotam occasionem,non teneri pœnitentem vitare,aliàs si quis, occasionem arriperet peccandi, ob ambulandum, plateas,teneretur nunquam, e domo exire.Proximam vero vitare,teneri peccatorem,absque controuersia conueniunt,vniuersi doctores.

Nu. 16 Verum an cum magno suo periculo, & detrimento,dissentiunt Doctores, at vt Quæsito satisfaciamus,breuiter dicẽdum puto,posse absolui pœnitentem,dũ proponit vlterius non peccare, & si occasionem habeat proximam, nam nullus tenetur,occasionem proximam vitare,cum magno detrimẽto *ita Sanctius in selectis disp.*10 *num.*11. vbi habet posse absolui mercatores, scribas, & aliorũ officiorum personas,in quibus officijs adest occasio peccandi,dum proponant, vlterius non peccare, vt dictum est, & reddit rationem supra tactam, quia nullus tenetur occasionem proximam vitare,cum magno detrimento,quod sane interueniret officiũ deserendo *vnde Diana par.*2.*tract.*16.*miscell.* 2. *resol.* 45. habet nõ teneri,aliquem occasionem proximam vitare,cum suo magno detrimẽto,vnde confessarius,potest illum absoluere,quia si pœnitens habeat propositum,amplius non peccãdi, non dicitur velle occasionem,sed permittere,ne dãnum incurrat,in vita,honore,aut pecunijs.

Quare in aliquo casu *Sãctius in selectis disp.*10.*num.*20.concedit concubinariũ non teneri e domo expellere concubinam,itaut Confessarius,possit ei licite absoluere,ait enim negandam non esse absolutionem ei, qui suæ concubinæ, quam domi habet, mutuo dedit cẽtum aureos,quorum recuperandorum, spes nulla superesset, si domo illam eijciat. Vel e contra, si femina non recuperatura esset,centum sibi debita,si domum concubinarij desereret,hunc,& alios enumerat casus,in quibus cõcubinarius, non tenetur e domo expellere concubinam,ques apud ipsum legite, & ne tam facile in praxi deducatis,nam vt ait *Diana par.*5.*resol.*108.§ *Sed an hæc tract.*14. quemlibet teneri,salui propriæ spiritualis,consulere etiam cum aliquo temporali,& corporali detrimento. Nu. 17

Et licet occasionem proximam, quis vitare,cum suo magno detrimento, nõ teneatur modo supradicto adhuc difficultas est,num quando nullus apparet profectus,sit impertiẽda toties, quoties absolutio,ad quam quidem difficultatẽ, negatiue respondet *Suar.tom.*4.*disp.*32. *sect.*2.*fine* vbi habet interdum vero differre potest absolutio, & maior aliqua pœnitentia,vel cautio adhiberi, quod si tandem experimento constet,hęc non sufficere,cogendus erit interdum pœni- Nu. 18

tens

tens ad tollendam occasionem, etiam cum graui temporali nocumento, semper tamen magna prudentia necessaria est, vt scandalum vitetur *hæc Suar sed clarius Reg in prax tom. 1. lib. 8. cap. 19. fine* vbi ait omnino autem neganda est, quã do nullus apparet profectus.

Nu. 19 At vero *Sancius in selectis disp.* 10. *nu.* 16. contrariam docet sententiam vbi in fert octauo, filium familias non potentē eijcere domo ancillam, cui sæpe copulatur, fore absoluendum, toties, quoties vere pœnituit, non solum quando aliqua emendatio notatur, vt tenent *Suar. Reg. locis citatis, & alij*, verum etiam quã do nullus apparet profectus; impossibile sane, moraliter non est pœnitentem modo vere dolere de peccato, & proponere cauere, statim vero post reditum ad domum, occasione instante, mutare propositum; cognouit absque dubio, Christus nostram fragilitatem, dum Petro dixit, *Matth. 18. veniam dabis pœnitenti non solum septies sed etiam septuagies septies ita etiam Viualdus par. 1. candel. de absolutione num. 89*, sed inquiro, ait deinde *Sancius* ab his doctoribus an absoluerent ipsi pœnitentem sæpe confitentem eadem peccata venialia, quando nullus apparet profectus? absolutionem sane impenderent: quamuis occasio peccandi non esset abscissa, non solum si in potestate pœnitentis non sit occasionē remouere, imo etiam si posset. Igitur, & impertiri debent respectu mortalium, quando adfuerit dolor, & verum propositum cauendi, in futurum hęc optime *Sancius* quæ lege, & perlege, & tandem tu cogita, & cum magna prudētia, his vellem, te vti.

Nu. 20 Si vero aduersus *Sancium* dicas in tali casu, saltem propter reincidentiam, erit absolutio neganda respondet *Sancius* negando, nam ipse *disp. 9. num. 6. & sequentibus* docet nunquã propter reincidentiam, esse absolutionem negandã, si pęnitens habet dolorem de pręterito, & propositum de futuro.

Nu. 21 Tandem aduertas, quod habet *Sancius disp. 10. num 16.* circa medium nec scire licet satisfacere responsionem *Egidij de Sacramentis de effectis Pœnitentiæ disp. 2. dub. 14. fine*, quod facilius debeat dari absolutio, respectu venialium, quam mortalium, eo quod facile magis commitãtur illa, quam ista, non inquam valet, nam, & si facilius committantur venialia, verum tamen propositum, & dolorem venialium, gerere tenetur pœnitens dum ea subijcit confessioni, saltem quando veniale, quod confitetur esset totalis materia confessionis. At si respectu venialium, reperiri queat verum propositum, & dolor, absque aliquo profectu, quare respectu mortalium, id inueniri non valebit? Dum vero pœnitens vero proposito est affectus, dignus est absolutione, quãtumcumque nulla notetur emendatio. Hoc adeo verum est, quod ea ratione asserant *Suar. & Reg. & alij* negandam iri absolutionem, quando nullus apparet profectus, quod præsumatur fictitium propositum pœnitentis: vellem ab eis audire, quare respectu venialium, non adsit huiusmodi presũptio, & si nullus appareat profectus, & inchoata emendatio interueniat, tamen respectu mortalium? Nec obstat confessarium, nullam concipere spem emendationis, si iudicet aliàs pœnitentem, propositum verum cauendi in futurum peccatum adducere, Pęnitens namque indignus, non redditur absolutionem, ex iudicio, quod à se ipso concipit confessarius, sed ex iudicio concepto de pœnitente hæc *Sancius*.

QVAERES VIGESIMOOCTAVO.

An Pœnitens teneatur, circumstantias notabiliter aggrauantes, aperire in confessione.

Nu. 1 ET licet, ex veteribus quamplurimi doctores, affirmatiue respondeãt, vt sunt *Altisiodorensis, Alensis, Marsilius, Maior, Sotus, Vict. Gae. Suar. Nugnus. Hęrig. & alij non solum apud Dianam par. 1. tract. 7. de circumst. resol. 1. Sancium in selectis disp. 11. num. 2. §. Alij vero sed etiam apud* Fagundez *precep. 2. lib. 4. cap. 2. num. 10.* qui omnes docent, circumstantias notabiliter aggrauantes, peccarum intra eamdem speciē, necessario, sub mortali esse confitēdas, & aliter, nec validã, nec licitam fieri confessionem, quam quidem opinionem, communiorē hoc tempore, & veriorem cęteris putamus cum

cum Fagundez cuius ratio eſt quia, quomodo enim ille ſatisfaciet, integritati confeſſionis, qui præcipuam grauitatẽ, peccati taceret? grauitas enim multũ variat iudiciũ, confeſſoris intra eadem ſpeciem alias rationes, legite apud ſupradictos auctores, & præcipue apud *Fagundez*.

Nu. 2 Tamen opinionem negatiuam, aſſerentem circumſtantias aggrauantes, atque augentes peccatum intra eamdem ſpeciem, non eſſe in confeſſione apperiendas, probabilem iudicamus, & præcipue hanc ſequuntur *D. Tho. in 4. diſt. 16 quæſt. 3. artic 2. quæſtiuncula 5. Fagundez præcep. 2. lib. 4 cap 2. num. 6.* vbi ſatis probabilem vocat hanc opinionem *Reg. in praxi tom. 1. lib. 6. cap. 5. num* 135. *Sanctus in ſelectis diſp.* 11. *numer.* 6. Diana *par. 1. tract. 7 de circumſt. reſol. 1. §. Sed falluntur* vbi probabilem, & tutam in praxi cenſet, & alij quomplures apud hos, & probari poteſt primo *ex Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *& can 7. de* Sacr. *Pœn.* vbi agens de circũſtantijs neceſſario confitẽdis, definit de fide dicens. Colligitur præterea etiam eas circumſtantias, in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutãt *& can.* 7. ſi quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorũ non eſſe neceſſarium, iure diuino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, &c. deinde ſubiungens, ait, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, vbi vides nihil dicere de aggrauãtibus notabiliter; & cum concilium tradat omnia, quæ neceſſaria ſunt ad veram, & perfectam confeſſionem faciendam, & de aggrauantibus taceat, virtute negat, tale præceptum ad illas extendi, & eſſe neceſſario confitendas, ex obligatione diuini præcepti. Secundo quia vt ait *Fagundez loco ſupra citato* ſi teneremur confiteri huiuſmodi aggrauantes circumſtantias, teneremur etiã eas ſcire, quod videtur nimis durum, ergo.

Nu. 3 Quare *Sancius loco ſupra citato num.* 6. circa finem ait quamuis de circumſtantia aggrauante, interrogetur pœnitens à confeſſario, adhuc non teneri pœnitẽtem eas confiteri, quia non habet ius cõfeſſarius, ad interrogãdum aggrauantes circumſtantias, vnde nulla irrogatur iniuria, ſi occultentur, vide nouiſſime *P. Geſualdum de Bononijs Capuc de circũſtantijs pecc. tit 2. cap 2 num. 6.*

Ex hac opinione, reſoluũtur benigne multi caſus; & primo, qui contra naturã peccauit cum mari, vel femina, vel cũ beſtijs huius, vel alterius generis, non eſſe neceſſe confiteri circumſtantiam, maris, vel feminæ vnius, vel alterius generis beſtiæ, ſed ſufficit dicere, peccaui in ſodomia, vel toties in beſtialitate, ter, vel quater, cuius ratio eſt, quia ſpecies illæ ſpecialiſſimæ, quæ ſolum differunt in genere entis, & naturæ, & non in genere moris, & malitiæ, non ſunt confitẽdæ, ſicuti furtum v. g. auri, panni, vel argenti, quæ quidẽ furta, nõ differunt, niſi in genere entis, vnde in genere moris, vnam difformitatem formalem habent quare non ſunt confitendæ *ita Diana par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol.* 2. quamquam quo ad ſodomiam, contrarium teneat *cum Tannero ab ipſo citato* item aduertas, quod habet *Cæleſtinus apud* Dianam *par. 5 tract. 14. reſol.* 56. quod licet hæc circumſtantia maris, vel feminæ, in peccato contra naturam, non ſit aperienda in confeſſione: tamen aperienda eſt, ſi femina ſit coniugata, ratione iniuriæ, quæ fit marito, vel ſi eſſet monialis, aut voto caſtitatis adſtricta, vel conſanguinea, aut affinis. Nu. 4

Infertur ſecundo ſecundum opinionem *Alphonſi de Leone apud* Dianam *par. 3. tract 4. de ſacr. reſol.* 159. *initio, & Caroli de Baucio apud eumdem* Dianam *par. 5. tract. 14. reſol* 56. *§. Quæro ſecundo* in peccato ſodomiæ, non eſſe neceſſario exprimendum in confeſſione, an fuerit agẽs, vel patiens, quia tale peccatum, eſt eiuſdem ſpeciei, & ideo quia magis graue eſt peccatum agentis, quam patientis, maiori pœna punitur, non quia ſint diuerſę ſpeciei, nam magis, & minus, non variant ſpeciem, quare ſi quis verecundiam haberet confitendi ſe, in actu ſodomitico fuiſſe patientem, ſufficit vt dicat toties ſodomiam exercui *ita etiã Ioa. Machadus, & alij apud* Dianam *par. 7. tract. 10. reſol. 8. vbi §. Nota* affert Mazucchellum aſſerentem in peccato ſodomiæ, patientem, non teneri explicare hanc circumſtantiam, quin imo hæc circumſtantia ex parte pœnitentis, eſt circumſtantia minuens, ſed circumſtantię Nu. 5

mi-

nuentes, intra eamdem speciem, non sunt confitendæ ergo, &c.

Nu. 6 Quin imo ex *Machadi sententia apud ipsum resol.23.tract.12.* referi oon teneri propter verecundiam, qui cum vxore commisetit sodomiam, explicare se esse vxoratum, sed posse confiteri, se cōmisisse peccatum coorra naturam *quā quam Sanch.apud Machadum* contrariū sentiat quæ *Sanch* opinio magis mihi placet *item ex Dicastillo apud Dianam tract.12.resol.16.* habet quod si quis, cū virgine, copulam sodomiticam habuerit, non teneri explicare circumstantiā virginitatis, quia cum non violetur integritas virginis, non committitur stuprum, sufficit, vt se accuset, habuisse copulam sodomiticam, cuni femina, quin *ex Caramuele apud Dianam* sufficeret vt se accuset, habuisse copulam sodomiticam, quia sodomia, cum muliere aut cū viro, solum differunt in genere entis, non in genere moris, sicuti frangere ieiunium pane, vel piscibus, item probabile est, committentem sodomiam, cū persona coniuncta, cognatione spiritua li, non teneri circumstantiam personæ aperire, *ita Azor.apud* Dianam *tract.12. resol.17.§.His tamen.*

Nu. 7 Infertur tertio mulieri peccāti, cum Sacerdote religioso, vel cum religioso Diacono, vel subdiacono, satis esse dicere, se habuisse copulam cum Sacerdote, vel cum habente ordine sacro, & non tenetur dicere, illum Sacerdotem, Diaconum, vel Subdiaconum, esse religiosos, sicuti religiosus Sacerdos, vel religiosus Diaconus, &c. quando se accusāt in confessione; non tenetur dicere, se esse religiosos, Sacerdotem, Diaconum, vel Subdiaconum, sed sufficit dicere, se esse v. g. religiosū, vel sacerdotē, aut sacris ordinibus initiatum, quia circumstantia professionis, non mutat speciē, neque inducit nouam obligationem, sed vnum votum solemne, alteri super aditum, magis confirmat eādem obligationem ita *Sanch.tom.2.de matrim.lib.7. disp.27.num.27.* *Lessius lib.4.cap. 3. dub. 12.num.87.vbi §.Hæc sententia* ait valde probabilem esse, hanc opinionem, quā etiam probabilem vocat *Fagundez precep.2.lib.4.cap.3.num. 4. fine ita etiā Diana par.1.tract.7.de circumst. resol.3.*

Infertur quarto, Sacerdotem, vel religiosum professum, satisfacere in confessione, si dicant, se violasse votum castitatis, non manifestando votum solemne, quia votum solemne, à simplici non differt specie. Idem dicendum est, de sacerdote seculari, non enim in confessione tenetur, dicere se habere sacros ordines, sed satis est dicere, se habere votum castitatis, & contra illud toties, peccasse, & hoc etiam dicendum est de femina, vel viro, si carnaliter se commiscuit, cum sacerdote, vel cum religioso professo, satis enim est dicere in confessione, se toties fornicatam esse, vel copulam sodomiticam habuisse, cū viro voto castitatis adstricto *ita Sanch.tom.2. de matr.lib.7.disp.27.à numer.27.vsque ad 32.Fagundez precep 2 lib 4.cap 3.num.6.* circa medium quam nostram opinionē valde probabilem, & securā vocat *Diana par.1.tract.7. de circumst. resol.4* qui pro se citat varios, & diuersos Doctores. Nu. 8

Infertur quinto, sponsum, & sponsā, de futuro, & cum eis carnaliter se commiscentes, quidquid dicāt *Sanch de matrim.tom.1.lib.1.disp 2 num.6. Fagundez precep.2.lib.4.cap.3.num.21.& alij* circa sponsam de futuro, tamen non teneri, confiteri huiusmodi circumstantiam, nam etiam in ordine ad sponsam, huiusmodi circumstantia, non mutat speciē, neq; est adulterium, ita inter alios *Megala, & Henriquez apud Dianam tract.7 loco supra citato resol.5.vbi §.Sed his* probabilem hanc opinionem demonstat, ex *Petro de Ledesma* imo probabiliorem ex *Azorio* quare apud hos. Nu. 9

Infertur sexto, Episcopum, aut Generalem, alicuius religionis fornicantes, non teneri in confessione aperire circūstantiam Episcopatus, nisi fornicatio illa ab Episcopo, seu Generali religionis admissa, ita publica esset, vt scandalum pareret, tunc enim aduersus specialem officij obligationem, delinquerent, qua tenentur subditos, non solum verbo, sed etiam exemplo pascere, atque adeo specialis malitia, ex status, & officij circumstantia contraheretur, eamque est necessario fatenda, vnde si Episcopus v. g. occulte fornicaretur, satisfaceret, non solum tacēdo, se esse Episcopum, sed etiā, Nu. 10

T si di-

si diceret, se habere, tantum castitatis votum *ita Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7 disput 27. num. 33. Filli. tom. 2. tract. 3. cap. 7. nu. 125. Coninch Villal. & alij apud Dianam par. 1. tract. 7. de circumst. resolut. 6.* quamquam contrarium *asserat Fagundez precep. 2. lib 4. cap. 3. num. 8.*

Nu. 11 Aduertas autem, quod habet *Diana loco supra citato* §. *Itaque contra Nugnum* quod licet quando omnes ciues, tenentur ad præliandum, specialiter teneantur milites, & duces, tamen supradictos, non teneri istam circumstantiam explicare, nempe se esse milites, & duces, quia dicta circumstãtia, est solum aggrauans, & ideo non est necessario in confessione aperienda.

Nu. 12 Infertur septimo, religiosũ professũ, emittentem votum de non committenda molitie, vel fornicatione, non teneri declarare, se de hac re, post votum professionis, aut sacrorum ordinum, specialę votum emisisse, sed satisfacere, dicendo, se religiosum esse professum, cuius ratio est, quia per votum solemne castitatis, in professione emissum, & dum sacros ordines suscipit, ad id ipsum tenebatur, & multiplicatio noua votorum, nullam etiam addit circumstantiam aggrauantem, nec se obligauit de nouo, sed veterem obligationem, cum illo voto confirmauit *ita Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7. disp. 27. num. 36.* vbi habet idem dicendum esse de clerico, in sacris constituto, vel religioso Societatis Iesu, non dum professo, aut iam professo, & de quocumque alio, qui votum castitatis fecit, imo, & his omnibus satis erit dicere, se contra votum castitatis, aut contra votum, non se polluẽdi, deliquisse, quia in his sola malitia fractionis voti reperitur, quod enim alterum sit solemne, alterum vero simplex, sola differentia accidentalis est, *ita etiam Fagundez precep. 2. lib. 4. cap. 3. num. 11. Diana par. 1. tract. 7. de circumst. resol 9 & alij apud hos.*

Nu. 13 Infertur octauo quidquid dicant alij, virum, qui prima vice virginitatem amisit, non teneri hanc circumstantiam in confessione aperire *ita inter alios Diana loco supra citato resol. 10. §. Sed contrariam vbi resol. 11.* habet virgines quãdo sponte, primo fornicantur, siue sint, siue non sint sub cura tutorum, & parentum non teneri in confessione istam circumstantiam explicare *ita etiam Suar. tom. 4. disp. 22. sect. 4. in circumstantia. Quid Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. ar. 4. colum. 13. Fagundez precep. 2. lib. 4. cap. 3. num. 13. & alij quamplures apud hos.*

Infertur nono confessarium, qui carnaliter cognouit pœnitentem, non teneri hanc circumstantiam in confessione aperire, quia hæc circumstantia non mutat speciem, sed notabiliter tantum aggrauat, *ita Sanctius in selectis disp. 11. n. 6.* vbi *num. 3.* probat ex administratione sacramenti pœnitentiæ, nullam oriri cognationem spiritualem, neque in ordine ad impediendum matrimonium, neque etiam in ordine, ad prohibendum cõcubitum, speciali malitia incestus, *ita etiam num. 4.* probat neque dari specialem prohibitionem, à iure pontificio, inductam ob reuerentiam sacramenti, *ita etiã Pontius Bonac. & alij apud Dianam par. 1. tract. 7. de circumst. resol. 12.* Nu. 14

Infertur decimo eum, qui commisit v. g. tria fornicationis peccata, cum tribus feminis non teneri dicere, se tres feminas carnaliter cognouisse, sed satis facit dicendo, se ter fornicatum fuisse, nam actus fornicationis, ceteris paribus eamdem habet malitiam, siue commit tantur cum vna, & eadem femina, siue cum diuersis, eiusdem rationis, & conditionis *ita Diana par. 1. tract. 6. resol. 13.* vbi *resol 39. cũ Zerola* habet, quod si quis haberet rem, cum concubina, tota nocte, non tenetur exprimere, hanc circũstantiam, sed sufficit, confiteri numerũ peccatorum, videlicet semel, aut bis fornicatus sum, & hanc sententiam cõfirmat *etiam par. 5. tract. 14. resol. 10.* Nu. 15

Quin imo hanc etiam docens sententiam *Sanctius in selectis disp. 21. num. 13. fine* ait deinde non pauci pęnitentium inueniuntur, qui se per totam noctem, secum in toro habuere feminam, & decies sunt illi copulati, se per totam noctem accubuisse cum femina fatentur, reticentes numerum fornicationum. Cũ potius e contra numerus exprimendus foret, & tacendum, (si voluerint) an accubuerint cum femina, vel nõ, hoc hercle, nec speciem mutat, imo nec aggrauat, vnde optime *Sanctius disp. 1. num. 24.* habet debere pœnitentem in confessio- Nu. 16

ne,

ne,obseruare modum breuem, discretum, vtilem, falsidio carentem, & Primo d beri, cruce signare, deinde percussione pectoris facta, dicat semel peccaui, nec cõfessionem generalem opus est præmittere, saltem integram, præser tim eos, qui frequenter confitentur, vel quando plures expectant, ad confessionem sacramentalem exequendam, statim dicat, quæ commisit deinde §. Omnia habet, omnia peccata eiusdem speciei, imo numero barret, vt adulteria decem, commisi, tria furta feci, & in fine dicat plura non habeo, sunt enim aliqui dicentes, rem se habuisse, cum quadam coniugata sex vicibus, postea cum alia quatuor, postea cum alia decem, quæ omnia vnico poterant verbo proferri, ex quibus verbis iam patet *Sancium* cõfirmare, quæ supra d.cta sunt.

Nu. 17 Infertur vndecimo eum, qui vnica voluntate vult plures homines occidere, aut vnico actu voluntatis, desiderat plures mulieres, licet secundum *Suarij sententiam tom 4. disp. 22. sect. 5. num 35.* vbi habet quapropter licet vnumquodque ex his obiectis per se, posset terminare actum sibi adequatum, & ita posset esse ad alia obiecta plures respectus distincti, tamen vt cadunt sub tali m actum, v.g. occidendi nullum illorum obiectorum, per se sufficit ad terminandũ aliquem respectum, illius actus, sed solũ omnia coniunctim, quare putat *Suar.* eiusmodi obiecta diuersa numero materialiter, & phisice facere tantum, actum peccati grauiorem esse autem vnum obiectum formaliter, & materialiter ideoq; licet singula, si per se sumantur, possint dare malitiam numero diuersã, tamen quatenus omnia coniunguntur, in vno actu, hic, & nunc nullum ex his per se illã confert, sed omnia simul per modum vnius concurrunt ad vnam, & eamdem malitiam, itaque ex hac opinione, sequitur obiecta, diuersa numero, non multiplicare peccata, sed tantum aggrauare, & consequenter secundum hanc sententiam, huiusmodi circumstãtiã, non esse in confessione apperiendã.

Nu. 18 Et hanc opinionem sequutus est *Ioa. Cammuel apud Dianam par. 7. tract. 11. resol 32. initio* vbi sic ait vnitas moralis desumitur, ab actu voluntatis, non à re phisica, quare vnum erit peccatum, vel le vnico voluntatis actu, occidere duos; quia licet hi sint plures, in genere phisico, in voluntate sunt per modum vnius, nam vnius actus, non datur nisi vnum obiectum, vnde licet velle, occidere duos sit maius peccatum, quam velle occidere vnum, non tamen est duplex peccatum, ac proinde cũ occidere p ures, vnico actu, sit solum circumstantia aggrauans sufficeret in confessione, dicere volui, semel occidere, quia non voluerat bis.

Tamen contrariam sententiam tenet *Vasq apud Dianam par. 1. tract. 7. resol. 17.* dicens qui vno actu odij, fertur in decem homines, phisice cõmmittere vnum peccatum, in quo sunt decem malitiæ morales, numero distinctæ, cũ sint decem obiecta integra, quorum quodlibet ex se aptum est constituere vnum peccatum, sunt enim decem iniuriæ, diuersæ numero, quæ fierent decẽ distinctis hominibus sicuti, qui vno icta, occideret decem homines, faceret vnum peccatum phisice, ratione vnius actionis, in quo essent decẽ malitię homicidij *vnde Suar. loco supra citato num. 36.* hanc videtur docere sententiam dicens, quo ad praxim pertinet, non opinor necessitatem confitẽdi hunc numerum, seu circumstantiam personarum pendere, ex hac speculatione, omnino enim hæc circumstantia declaranda est in cõfessione, quidquid sit de illa numerica distinctione *vnde Vasq.* sententiam amplectendam esse ait *Diana*, & in praxi obseruandam. Nu. 19

Infertur duodecimo reliquias gesta re, in actu venerio, quamuis sit aliqualis reuerentia, non tamen continere notabilem deformitatem, necessario confitẽdã *ita Sanch. tom 1. summæ lib 2. cap. 40. num. 28. Diana par. 1 tract. 7. resol 18.* Nu. 20

Infertur decimotertio coniuges, habentes copulam in loco sacro per longũ tempus non peccare *ita Suar. in 3. part. tom. 3. quæst. 83. ar. 3 disp. 81. sect. 4. §. Tertio violatur vers. at vero fine.* Nu. 21

Vnde addo, etiam si non vterque cõiux, sed alter tantum in Ecclesia manere cogatur, ita vt extra illam, nullo modo possit, petere, aut reddere, debitum non videri peccatum mortale, si altero Nu. 22

T 2 con-

coniuge, illuc voluntarie accedente, ac tum matrimonij consument, quia etiã tunc intercedit morale periculum incontinentiæ, neque est verisimile Ecclesiam obligare, cum tanto rigore ad vitã dum illum actum, in Ecclesia, neque etiam ex sola ratione naturali, in hoc apparet irreuerentia, præsertim grauis *hæc Suar. ita etiam Sanch. tom. 3. de matr. lib. 9 disp. 15. num. 12. Fagũdez pracep. 2. lib. 4. cap 4 num. 21. neque esse circumstantiã aperiendam in confessione ait Diana par. 1. tract. 7. resol. 19.*

Nu. 23 Quod vero tempus longum sit, difficultas est, nam *Suar loco supra citato vers. Item* habet si iusta ex causa, in Ecclesia dormiant, tamen breui tempore, vna scilicet, vel alia nocte, vt v.g. si voti causa, in Ecclesia maneant, grauiter peccabunt, coeundo, quia facili negotio possunt se continere, & separare, quo ad torum itaut morale periculum pollutionis, & similis intemperantiæ euitent, & huiusmodi casibus non solum peccat, qui petit debitum, sed etiã qui reddit, quia alter non habet ius, petendi tali tẽpore, & loco quamquam *Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 12. num. 86*. quo ad reddentẽ facilius excuset.

Nu. 24 At vero *Sanch de matr. tom. 3. lib. 9. disput. 15 num. 12. fine* ait quare attenta communi hominum fragilitate, vnum mensem existimarẽ longum tempus, vix enim credo fore vt casus is eueniat. Quia semper sunt in Ecclesijs, cubicula adherentia, & turris, quæ nomine loci sacri minime includi, quo ad actum coniugalem exercendum confugi possit: *Lessius vero lib. 4. cap. 3. dub. 12. num. 86.* quindecim, vel viginti dies *Fagundez vero pracep. 2. lib. 4 cap 4. num. 21. §. Quod vero tempus* credit decẽ, aut quindecim dies esse longum tempus, at vero Ego cum Suario loco supra citato attẽta humana fragilitate, longum tempus, esse quattuor, vel quinque dies, ita etiam *Diana loco supra citato resol. 19. §. Sed ego.*

Nu. 25 Tamẽ aduerte, quosdã Doctores existimare copulam coniugalem in loco sacro, si occulte fiat, etiam si coniuges nõ sint conclusi, non esse peculiare peccatũ sacrilegij, quam sententiam satis videri probabilem existimat *Vasq. 1. 2. disp. 98. cap. 3 num. 6. & illam refert Lessius loco supra citato num 86 § Adde quosdam*, & nõ impugnat, quamquam contrariam sententiam ipse deinde §. sed contraria teneat, tamen hanc sententiam nouissime tenet *Pontius de matr. lib. 10. cap. 10. nu. 15.*

Infertur decimo quarto habere copulam, in oratorio alicuius domus, quamuis de Episcopi licentia, missa in illo celebretur non esse circumstantiam aperiendam, in confessione *ita Sanch. tom. 3. de matr. lib. 9. disp. 15. num. 39. Fagundez pracep. 2 lib. 4. cap. 4. nu. 36. Diana tract. 7. resol. 20.* cuius ratio est, quia huiusmodi oratoria priuata auctoritate, absque Episcopi licentia, erecta sunt, & possunt ad nutum fundatoris, ad profanos vsus redire, quamquam ex Episcopi licentia in eis celebretur, id quod dicẽdum est, si in monasterio, & cellis religiosorum huiusmodi copula habeatur, tunc non esse circumstantiam aperiendam in confessione, quia in huiusmodi loco, licet ecclesiastica immunitate gaudeant, non tamen dicuntur, sacra per ordinem ad feminis effusionem, quia nec Episcopi benedictionem, nec ad diuina deputationem habent *ita Sanch. loco supra citato num. 42 qui cum Corduba, & Henriq.* addit id esse verum, licet Prior conuentus, singulis noctibus benedicat dormitorium, & aqua lustrali aspergat, *& Corduba bene addit ait Sanch.* etiam si, sit altare ad celebrandum, ibi cõstitutum, quia reputabitur, tunc vt priuatum oratoriũ. Nu. 26

At vero si in claustris religiosorum, quæ benedicta sunt, & religiosis sepeliẽdis destinata, huiusmodi copula habeatur, tunc esse sacrilegam, & loci circumstantiam, esse de necessitate in confessione aperiendã *ita Sanch. loco supra citato num. 41. Fagundez loco citato num. 39 vbi num 40.* notat, quamuis attento iure ciuili *l. 2. C. de relig. & sumpt funer.* olim quilibet locus efficiebatur religiosus, si in eo consentiente domino, fidelis sepeliebatur, at secus est, iure canonico attẽto, quare locus ille, nec erit sacer, nec nomine Ecclesiæ, comprehenderetur, quia ad id auctoritas Episcopi desideratur, ita ante ipsum *Sanch. tom. 3. de matrim. lib. 9. disp. 15. num. 43. vbi num. 40.* habet Cemeterium ab Episcopo benedictum, reputari locum sacrum, & effi- Nu. 27

ce-

cere, vt copula in eo habita sacrilega sit, vnde sine huius numeri concludit, quare miror qualiter *Sotus in 4. dist. 32. quæst. vnica ar. 3. col. 3. & alij* asserant nomine loci sacri, non comprehēdi cæmeteria, nec in illis esse violationem, sicut, nec in cameris adiacentibus Ecclesiæ.

Nu. 28 Quid vero, si in sacristia huiusmodi copula habeatur, quamquam aliqui cēseant, sacristiam esse partem Ecclesiæ, ac proinde huiusmodi loci circumstantiam, esse in confessione aperiendam, tamen contraria sententia mihi placet, quia sacristia est, quasi alij cammeræ Ecclesiæ adherens, nec ad idem munus deputatur, sed ad vestium sacrarum custodiam *ita Sanch. loco supra citato num. 31.*

Nu. 29 Infertur decimo quinto tactus quantumcumque turpes, in loco sacro, absq; pollutionis periculo, probabilius esse non habere circumstantiam sacrilegij aperiendam in confessione, ac proinde inter solutos esse peccata mortalia, non tamen ratione loci sacri sacrilegia, inter coniugatos vero non esse peccata, nam cum aliunde sint inter coniugatos liciti, & ex eo loco sacro nullam habeant indecentiam, sequitur nō esse peccata, fundamentum huius superius sequelæ est, quia tunc loci circumstantia, sacrilegium constituit, & in confessione est detegenda, quando actus in eo admissus directe aduersatur sanctitati, aut immunitati loci, scilicet illis ad quæ locus sanctificatus est, vt si ibi posse diuina celebrari, aut mortuus sepeliri, impediat, vel auferat, immunitatem illuc confugientium, aut securitatem rerum, ibi custodiam depositarum, sed illis tactibus nō violatur Ecclesia, nec est violationis periculū, & proinde non impediuntur officia diuina, aut mortuorum sepultura, non ergo sacrilegi erunt, nec loci circūstantia, erit necessario fatenda, concludit *Sanch tom 3. de matr. lib. 9. disp. 15 nu. 21.* & hanc opinionem probabiliorem putat *Fagundez præcep. 2. lib. 4. cap. 4. nu. 21 fine Diana de circumst. tract. 7. resol. 21. § Sed nimis vbi resol. 26* habet pollutionem occultam, aut occultam pollutionem habitam in Ecclesia, probabile esse non esse peculiare peccatum sacrilegij, quia secundum communem aliquorum sententiam, tantum violatur locus sacer, pollutione notoria, vnde cōcludit non esse hanc circumstantiam in confessione aperiendam, licet contrariam sententiam probabiliorem existimet vide *Sanch. tom 3. de matr. disput. 15. lib. 9. num. 11.* qui hanc opinionem non approbat.

Verum vt clarius, præ oculis decisio supradictarum consequentiarum habeatur, explicandum putaui, quid nomine Ecclesiæ, & loci sacri intelligatur, in quo pollutione habita, ipse locus sacer polluatur. Nu. 30

Et quidem certum est, apud omnes locum sacrum, ad hunc effectum, non ita late accipi, sicut ad gaudendum Ecclesiæ immunitate, nam omnia Ecclesiæ monasteriorum, Xenodochi, habitacula, est certum gaudere immunitate Ecclesiæ, cum tamen vt diximus, & dicemus copula in illis, non sit sacrilega, nec ad hunc effectum nomine Ecclesiæ includantur *ita Sanch. loco supra citato nu. 23.* Nu. 31

Nomine igitur Ecclesiæ, quo ad hūc effectum, intelligitur sola Ecclesia consecrata, aut benedicta, quia ante hanc consecrationem, aut benedictionem, non est locus sacer *ita Sanch. num. 24. vbi inter alios citat Henriq.* qui bene addit, vltra hoc desiderari, vt locus ille, sit deputatus, ad officia diuina, aut fideliū sepulturas quare id spatium, dicetur esse intra Ecclesiam, quod pertinet ad interius Ecclesiæ corpus, a tecto interiori, vsque ad pauimentum, & a summa ara, vsque ad parietem oppositum Quare capellæ constitutæ, intra Ecclesiam comprehenduntur, quia vnum corpus, cum ipsa efficiunt *ita Sanch. nu. 25.* vbi bene ait *num. 26.* non violari Ecclesiam, nec esse sacrilegium, si copula habeatur, supra Ecclesiæ tectum, quia locus ille, est extra Ecclesiam, sicuti si quis extra limen Ecclesiæ, copulam haberet, non poluetur Ecclesia, secus autem, si intra lineam, quam attingunt valuæ in liminibus, erit sacrilegium, quia intra Ecclesiam fieri dicitur *ita Sanch nu. 28.* Nu. 32

Infertur decimoquinto eum, qui cōmisit incestum, cum matre, vel filia, aut sorore, vel nepote, quidquid dicant alij, posse non exprimere circumstantiam personæ, sibi iunctæ sanguine, vel affinitate Nu. 33

tate naturali, vel legali, vel spirituali, vnde sufficit dicere, qui cum sorore peccauit, commisi incestum, semel, aut bis, non explicando personam sibi coniunctam, & quamuis grauior sit incestus, cũ filia, vel matre, quam cum sorore, vel nepote, vel consobrina vxoris, tamen quia ista grauitas, auget malitiam, intra eamdem speciem, non est necessario cõfitenda, quia diuersitas graduum, non facit diuersitatem specificam in incestu, vt videre est *D.Tho.2.2 quæst.154 ar.9. in corp.ar. vnde Diana tract.7.resol.31.§. Dicendum est* ait huiusmodi diuersitatẽ graduum, non facere diuersitatem specificam, in incestu, sed esse circumstantiam aggrauantem, quam ipse probabiliter putat, non esse in confessione necessario explicandam.

Nu. 34 Infertur decimosesto quãuis, Iudex laicus, non possit absque sacrilegio, & circumstantia necessario confitẽda, fruẽtes hoc priuilegio, e loco sacro inuitos abstrahere, posse tamen ab eis absque prædicto sacrilegio, & circumstantia intra Ecclesiam, arma auferre *ita Fagundez præcep.2 lib.4 cap.4.num.55.* vbi haber noo posse tamen absque prædicto sacrilegio, & circumstantia, eos ibi vinculis ligare, ne fugiant, est enim hoc directe, contra immunitatem ecclesię, sed de hoc apud ipsum quare.

QVAERES VIGESIMONONO.

An Pœnitens manifestando complicem in confessione, absque necessitate, committat sacrilegium.

Nu. 1 ET licet, magna sit controuersia inter doctores, an sit mortale peccatum, reuelare crimen occultum vni, vel duobus viris prudentibus, qui secreto retinebunt, nam partem negatiuam amplexi sunt *Bannes Salonius, & alij citati apud Dian.in tract.17 & 3. Miscell.resol.22. §. Relinquendo* quæ opinio licet communis, & probabilior videatur, contraria tamen sententia probabilis est *ita Reg. tom.2.lib.24 num.75. vnde etiam Lessiũ lib 2.cap.11.dub 11. num. 68.* quare absolute, & sine restrictione, dicendum est, non esse peccatum mortale, crimen proximi vni, vel duobus, quibus dicere perinde sit, ac si nulli diceretur, quia cũ non adsit periculum diuulgationis, hoc videtur esse, leue damnum, in fama *ita etiam Diana loco supra citato §. Sed mihi* vbi fine concludit, ex his apparet, dictũ pœnitentem manifestando complicẽ, confessario, non peccare mortaliter.

QVAERES VLTIMO.

Quid dicendum de effectibus huius Sacramenti Pœnitentiæ.

EFfectus huius Sacramenti Pœnitentiæ sunt primo remissio culpæ, secundo collatio gratiæ, vel eiusdẽ augmentum in habente iam illam, tertio de attrito facit contritum, quarto remittit pœnam æternam, quam in temporalem commutat, quinto pœnæ huius temporalis, vel etiam partem remittit iuxta legem iustitiæ diuinæ, vel cum peccata remissa confessionis rursus subduntur: sesto restituit omnes virtutes, & totam gratiam deperditam, & instaurat merita omnia *vide Tol.summa lib.3.cap.21.* & hæc de materia, tum remota tum proxima, forma, Confessario, Pœnitente, effectu, Sacramenti Pœnitentiæ, verum vt Eucharistiæ Sacramentum explicemus sit. Nu. 1

DISPVTATIO QVINTA

DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

HAec est quinta, & præcipua huius tractatus Disputatio, in qua disserendum est, de nobilissimo Eucharistiæ Sacramẽto, de quo agit Trid. sess.13.de venerabili Eucharistiæ Sacr. à cap.1.vsque ad octauum, & D.Tho.in 3.par.quæst 73.& sequentes *quoniam vero vniuersa hæc materia*

teria, in multas diuidi possit partes, & nos sigillatim de omnibus tractare non possumus, ideo apud D. Tho. supersit igitur, vt more nostro sub hac Disputatione vnicam ponemus Difficultatem, quare sit.

VNICA DIFFICVLTAS

QVID SIT EVCHARISTIAE SACRAMENTVM.

Nu. 1 EVcharistiæ Sacramentum, quod est omnium præstantissimum, quia in se continet auctorem, omnis gratiæ, & sacramentorum, scilicet Christum dominum, vti habetur *ex Trid. sess. 13. cap. 1. & 3.* potest dupliciter considerari, primo in actione, quod dici solet in fieri, quando scilicet conficitur, & consecratur sacramentum, applicando formam materiæ, in quo conuenit, cum reliquis sacramentis, & sic sumpta Eucharistia, non est Sacramentum, sed sacrificium; alio vero modo sumitur in facto esse, scilicet quatenus, iam est consecratum, hoc enim habet peculiare, & essentiale Eucharistia, quod post actionem, qua efficitur, manet verum, & proprium Sacramentum, corpus scilicet, & sanguis Christi, sub speciebus panis, & vini, reliqua vero Sacramenta, cum essentialiter consistant in vsu, & actione, qua efficiuntur per applicationem formæ ad materiam, ea actione transacta, non remanent, licet maneat eorum effectus *vide Suar. in 3 par. quæst. 73. disp. 49. sect. 2. vers. vnde est hoc igitur annotat.*

Nu. 2 Eucharistiæ igitur Sacramentū, hoc secundo modo sumptum, sunt species sensibiles, panis, & vini, corpus, & sanguinē Christi significātes, & realiter continentes *ita Suar. loco supra citato sect. 1. initio,* quod quidem Sacramentum institutū fuit à Christo domino, prima die Azymorum, in vltima cęna, ea nocte, qua tradendus erat in pane azymo, vt patet *ex Lucæ 22. Matth. 26. Marco 14. illis verbis Marci, & manducantibus illis, accepit Iesus panem, & ait. Hoc est corpus meum, & ex illis Matth. cænantibus autem, Iesus accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens Accipite, & comedite hoc est corpus meum, & ex illis verbis Lucæ, & ex illo Pauli 1. Corinth 11. Similiter, & calicem post quam cænauit dicēs Hic est calix, &c. ita Reg tom. 2. lib. 29. cap. 1. sect. 5. num 9. Barb. in Trid. sess. 13. de Sacr. Euch. cap. 2. num. 2. Fagundez præcep 3 cap. 2. num. 12. & 13 vbi ex sententia Bellar.* habet prius Christum consecrasse panem, quam vinum, & reddit rationem, quia hoc sacramentum institutum fuit, per modum conuiuij, & in cōuiuijs, prius editur, quam bibatur.

Quod quidem Sacramentum, varijs nominibus appellari solet, & vocatur Eucharistia græce, quod perinde sonat, ac bona gratia, item græce Syuaxis, quod latine vertitur communio, his & alijs nominibus appellari solet *apud Fagundez præcep. 3. lib. 1. cap. 1.* Nu. 3

Circa hoc Saeramenaum, multa quæri possunt, & primo quid sit eius materia, secundo quid eius forma, quid minister, quid suscipiens, quid eius effectus, & tandem quid sit missæ sacrificium, ac proinde hanc vnicam difficultatem, in multa duximus diuidere Quæsita quare. Nu. 4

QVAERES PRIMO.

Quid sit materia, huius Sacramenti Eucharistiæ.

MAteria huius sacramenti, duplex est, Remota vna, vt est panis, & vinū: Propinqua altera, vt sunt species, seu accidētia sacramentalia, post confectum sacramentum, quia in hoc Sacramento materia propinqua, est in facto esse, & non in fieri sicuti in alijs sacramētis *vide Suarium in 3 par. quæst 74. disp. 42. in principio Reg tom. 2. lib. 26. cap. 3. n. 11. Fagundez præcep. 3. lib. 2. cap. 1. num. 1.* de pane igitur, & vino videbimus, qui nam Nu. 5

nam panis,& quodnam vinum,materia illius sit.

Nu. 2 Solus igitur panis triticeus, est vera, & propria, ac sufficiens materia Sacramenti Eucharistiæ,ita vt in alio,quocūque pane,nec fiat sacramentum,nec cōsecrari possit hæc conclusio est D. *Tho. in 3. par. quæst.* 74. *ar.* 1. *in corp. ar.* vbi probat panem,& vinum esse materiam, conuenientem huius Sacramenti,*& ar.* 4. *vbi in corp. art.* probat quod circa materiam huius Sacramenti, duo possunt considerari,scilicet quid sit necessariū, & quid conueniens, & habet (necessarium quidem est, vt sit panis triticeus) sine quo non perficitur sacramentum. Non est autem de necessitate sacramēti, quod sit azimus, vel fermentatus, quia in vtroque confici potest. Conueniens autem est vt vnusquisque seruet ritum suæ Ecclesiæ, in Sacramenti celebratione,hæc D.*Tho.* sed nos de ritu celebrationis infra hanc etiam sententiā, tenent *Suar. in 3 par. quæst.* 74. *disput.* 44. *sect.* 1. §. *Dicendum vero*, qui habet hanc conclusionem esse,iam hoc tempore, tā certam,vt sine temeritate,& erroris periculo, negari non possit *ita* Fagundez *precep.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. vbi panem triticeum, esse de necessitate Sacramēti,non autem præcepti,sentit *cōtra Gat.* qui aiebat panem triticeum, esse de necessitate præcepti,non vero de necessitate Sacramenti, atque adeo *iuxta Gaet. sententiam* peccatum esse mortiferum, in alio pane non triticeo,consecrari, fieri tamen Sacramentum, & consecrationem validam tamen *Suar. supra allegatus,& alij* credunt sermonem ibi esse; de necessitate Sacramenti,alioqui enim nihil certi haberemus,in materijs Sacramentorum, cum pari ratione dicere possemus, aquam naturalem in baptismo,esse de necessitate præcepti, non de necessitate sacramenti,quod non est dicendum ita optime *Fagundez loco supra citato.*

Nu. 3 Verum probari potest,solum triticeum panē,esse de necessitate Sacramēti, quia solus panis triticeus, est panis simpliciter,vsui hominum accōmodatus, in quo Christus consecrauit,item vt patet ex congruentijs *D. Tho. loco supra citato ar.* 4. solus panis triticeus, est satis accommodatus ad effectum huius Sacramenti,significādū vti probat *Suar. in 3 partem quæst.* 74 *art.* 5. *disp.* 44. *sect.* 1. *n.* 4 *fine* quare ex hordeo,milio,typha, spelta,vulgo scaglio,seu scagliola,& alijs similibus spicis, non tam humanus panis fit,quam belluis accommodatus, & si ad humanum vsum fit,est propter necessitatem,necessitate enim, & inopia cogūtur homines,illum edere *ita Suar. loco supra citato num* 5. & patet etiam, quia Christus solum in pane,politicorū hominum vsui accommodato, Sacramentum hoc instituit,vt patet per omnes euangelistas, nomine autem,panis, in sacra scriptura, solus panis triticeus intelligitur *ita Fagundez præcep.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. *vers. Christus autem.*

Vnde nomine panis triticei intelligimus,omnem panem,confectum ex grano,quod re uera constat esse triticum, quamuis aliter nominetur *ita Suar. loco supra citato disp.* 44. *art.* 4. *sect.* 1. § *Secundo sequitur* Reg. *tom.* 2. *lib.* 29 *num.* 20. §. *Secūdum est* Fagundez *præcep.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. Nu. 4

Panis igitur,vt sit materia,ex qua cōficitur Sacramentum debet esse, necessario ex farina tritici,& ex aqua naturali confectus *ita D. Tho. in 3 par quæst.* 74 *ar.* 7. *ad tertiam* vbi habet. Quia vero admistio aquæ,ad farinam, est de necessitate huius Sacramenti, vt pote constituens substantiam panis,si farinæ admisceretur aqua rosacea,vel quicunque alius liquor,quam vera aqua, non posset ex eo confici Sacramētum, quia nō esset verus panis,ita etiam *Suar. loco supra citato quæst.* 74 *sect.* 2. *initio* Fagūdez *loco supra citato num.* 13 *& alij* cui farinæ si misceatur,alia alterius seminis, in maiori quantitate,quod non est triticum, & aquæ,similiter alterius liquor, ita vt ammittat speciem panis,non conficitur Sacramentum,si tamen minor quantitas misceatur,licet Sacramentum sit validum,tamen grauiter peccat, qui id sciente fieret,sine necessitate, & vero, si permixtio fiat in æquali quantitate dicitur etiam amittere speciem panis, & non conficitur Sacramentum *ita D.Th. loco supra citato art.* 3. *ad tertium* vbi habet. Ad tertium dicendum, quod modica permixtio,non soluit speciem, quia id, Nu. 5

id, quod est modicum quodammodo absoluitur à plurimo, & ideo si sit modica admixtio, alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit ex inde confici panis, qui est materia huius Sacramenti. Si vero sit magna permixtio, speciem mutat. Vnde panis, ex inde confectus, non erit debita materia huius Sacramenti *hæc D. Tho. ita etiam Suar. in 3. par. quæst. 74 disp 44. sect. 1. §. Quarto sequitur Reg. tom 2. lib. 29. nu 20. §. Quartum est Fagundez pracep. 3. lib. 2. cap. 1. num. 9.*

Nu. 6 *Panis* itē debet, esse coctus solo igne *ita Suar. in 3. par. quæst. 74. disp. 44. sect. 2. §. Dico secundo Reg. tom. 2. lib. 29 num. 21. §. Secundum est*, & primo debet esse coctus, ad excludendam pastam crudam, quia cruda massa, sicut non est panis à quo homines in cibum vtantur, ita nec est materia sufficiens, ad hoc Sacramētum, quia Christus in pane vsuali, instituit hoc sacramentum. Secundo debet esse coctus, solo igne, ad excludendam coctionem à Sole, frictionem in oleo, seu butiro, & ratio est, quia alioquin, nō esset vsualis panis, sed esset placenta, aut quid simile *ita Suar. loco supra citato §. Dico tertio Fagundez pracep. 3. lib. 2. cap. 1. num. 10. circa medium.*

Nu. 7 Ab vero massa, & pasta cruda, specie differat, & distinguatur, à pane cocto, dubitant Theologi, quare negant nonnulli, quia sicut caro cruda, non distinguitur specie, à cocta, ita nec massa cruda, à massa cocta: contraria tamen sententia vera est, quam tenet *D. Tho. in 2. dist. 7. quæst. 3. ar. 1. & 3. par. quæst 75, ar. 6. ad primum Suar. in 3. par. quæst. 74. sect. 2. §. Dico secundo, Fagundez pracep. 3. lib. 2. cap. 1. num. 11.* & ratio est quia sicut farina distinguitur, specie à tritico, sic etiam massa cruda, distinguitur specie à pane, cocto igne: item cum massa, & farina, sint materiæ facile trāsmutabiles, valde credibile est, nimio calore ignis, substantialiter mutari, sicut cum panis per actionem naturalis caloris, in aliam speciem, chylum scilicet conuertitur vti ait *Suar.* ita massa cruda, per calorē ignis, in aliam speciem, panis cocti, mutatur, nam diuersa accidentia cernuntur in farina, & tritico, & in massa cruda, & pane cocto *ita Fagundez loco supra citato num. 11.*

Nu. 8 Ad rationes contrariæ sententiæ: respondet *Fagundez in fine num 11.* carnes crudas, differre specie, à coctis, & massam crudā, à pane cocto, licet enim ars, quæ adhibetur in coquendis carnibus, & panibus simpliciter, & per se, & virtute propria, non possit producere formam substantialem, tamen quando vtitur instrumentis naturalibus, applicando actiua passiuis, eam potest producere, sic ignis applicatus massæ, & carnibus, per artem, poterit in eas introducere formas substantiales, specie diuersas, sicut introducit, in alias materias, facile transmutabiles, imo etiam duras, nam ex materia ligni, actione ignis, generantur cineres, & alia huiusmodi.

Nu. 9 Et tota hæc responsio, desumitur *ex D. Tho 3. par. quæst. 75. ar. 6. ad primum* vbi habet. *Ad primum ergo dicēdum, quod nihil prohibet, arte fieri aliquid, cuius forma non est accidens, sed forma substantialis, sicuti arte possunt produci ranæ, & serpentes, talem tamen formam non producit ars, virtute propria, sed virtute naturaliū principiorum Et hoc modo producit formam substantialem panis, virtute ignis decoquētis materiam ex farina, & aqua confecta.*

Nu. 10 Ex his collige, omnem panem confectum, ex grano, de quo constat, non esse triticum, ex hordeo, milio, oriza, & ex leguminibus, veluti ex fabis, castaneis, amygdalis, ciceribus, & ex radicibus arborum, plantarumue, nullo modo esse materiam aptam, nec in ea fieri Sacramentum, siue à Sacerdote aliquo, per ignorantiam, aut scelus in materiam illius assumatur, *ita Suar. in 3. part. quæst. 74. disp. 44 sect. 1. §. ex hoc ergo Fagundez precep. 3. lib. 2. cap. 1. nu 7.* vbi habet idē dicendum esse, si panis conficiatur, ex quibuscunque alijs granis, ex spicis productis, de quibus constat non esse triticum, constabit autem id, primo ex communi modo loquendi, ex colore, figura, & proprietatibus, ex communi vsu, & hominum appellatione, & patū refert, quod ex illis, veluti ex milio, hordeo, & maizio apud aliquas regiones, panis fiat vsualis, id enim fit in defectu tritici, ob inopiam, & quantumuis apud illas regiones, panis sit vsualis, tamen non est simpliciter, & absolute vsualis, sed in de

fectum tritici, vſualis appellatur *hæc Fagundez.*

Nu. 11 Collige ſecundo, licet aliqui aſſerant, validum eſſe ſacramentum, in pane confectum, ex aqua roſacea, licet grauiſſime peccaret, qui hoc tentaret efficere, cuius rationem reddunt quia, panis confectus, ex aqua roſacea, eſt eſſentialiter, & vere panis, & ſolum ab eo differt in odore, & melius reficit hominẽ, quam ſi eſſet, ex aqua naturali cōfectus, tamen non eſt vera materia, huius ſacramenti, quia licet huiuſmodi panis confectus, ex aqua roſacea, ſit eſſentialiter, & vere panis, tamen non eſt panis vſualis, qui in alimentum communiter aſſumatur, quare ex hoc ſolo principio, & fundamento, non eſt vera huius Sacramenti materia, ſicuti ob eamdem cauſam, non eſt etiam materia huius Sacramenti, panis, aqua maris, confectus, ac ſubactus *ita Fagundez præcep.3.lib.2. ca. 1.num.14.circa finem.*

Nu. 12 Sed ſi quæras, an panis, in quo admixtio ſalis ſit, vera ſit materia, huius Sacramenti ita ut ex eo valide, fiat Sacramẽtum reſpondet *Fagundez præcep.3 lib. 2. cap. 1.num.15.cum Suario tom.3.in 3.par. diſp.44.ſect.2.§.Dico primo*, fieri ex eo validum Sacramentum, non tamen licite, ſed eſſe peccatum mortale, in eo pane, conſecrare, quia eſt contra morem, Eccleſiæ latinæ, quæ in azimo pane, ſolet conſecrare, abſque ſale, probat autem *Suar.* hanc opinionem, ex eo, quod græci vere conficiunt Sacramentum, in pane fermentato, qui non nullam ſalis admiſtionem habet: item fermentatus panis, eſt panis vere communis, & vſualis, vnde concludit eſſe tamen grauiſſimũ peccatum lethale, in Eccleſia latina, in fermentato, aut in azimo, cum ſale coctο, conſecrare.

Nu. 13 Hinc fit, vt peccet lethaliter latinus, ſi conſecraret in fermentato, & græcus in azimo, quia quiſque conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ violaret, conſecratio tamẽ valida eſſet *ita ex D.Tho.in 3.par. quæſt. 74.ar.4.in corp.* vbi habet. Non eſt autẽ de neceſſitate Sacramenti, quod ſit azimus, vel fermentatus, quia in vtroque confici poteſt, conueniens autem eſt, vt vnuſquiſque ſeruet, ritum ſuæ Eccleſiæ, in Sacramenti celebratione, ita etiam *Suar in 3.par.quæſt.74 diſp.44.ar. 4.§.Dico tertio.& §. Quarto dico*, & licet *D.Tho.loco ſupra citato* non dicat peccare mortaliter peruertentes in hoc, ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem: ac ritum, ſed tantum peccare, dicens deinde. Vnde ſicut peccat Præsbiter, in Eccleſia latinorum, celebrans de pane fermentato, ita peccat Præsbiter Græcus in Eccleſia græcorum, celebrans de pane azimo, quaſi peruertens, Eccleſiæ ſuæ ritum, tamen ex rei grauitate, colligendum eſt, peccatum eſſe mortale, nam vt habet *Suar.loco ſupra citato §. Quarto dico in ca. litteras de celeb.miſſ.* punitur quidam Sacerdos, qui in fermentato conſecraſſet, hæc autem pœna eſt priuationis officij, ac beneficij, quæ cum grauis ſit, mortalem culpam ſupponit, ita *Fagundez præcep.3.lib.2.cap.2.num.5.*

Vnde *Ioa.de la Crux citatus apud Dianam tract.6.par.3. miſcel.reſol. 99.* aſſerit & græcum Sacerdotem, teneri ſeruare, morem ſuæ Eccleſiæ etiam ſecluſo ſcādalo, & cum neceſſitate, vt ob communicandum infirmum, nō diſcedere priuata auctoritate, à rationabili vſu, ſuæ Eccleſiæ, in re graui, vt eſt illa, peccatũ mortale eſt *ita etiam Fagundez præcep.3. lib.2.cap.2.num.5 fine.* Nu. 14

Et ante hos, proponens huiuſmodi dubium *Suar.tom.3.in 3.par. quæſt. 74. diſp.44 §.Vnum vero*, an ſcilicet liceat latino Sacerdoti, in Eccleſia latina, conſecrare in fermentato, propter aliquam occurrentem neceſſitatem, v.g. ne proximus, ſine viatico decedat, vel ne totus populus, diu ſacrificio priuetur, reſpondet nulla ratione, eſſe talem licētiam, concedendam, quia licet præceptum communicandi, in articulo mortis, ſit de iure diuino, & præceptum cōficiẽdi, in azimo, ſit humanum, tamen illud primum præceptum affirmatiuum eſt, & ideo non obligat pro ſemper, ſed quando commode, & cum debitis circumſtantijs, fieri poteſt: debite autem hoc, non poteſt confici, in Eccleſia latina, ab ſolute id prohibente. Nu. 15

Et licet *Nugnus citatus apud Dianam reſol.99.ſupra citata* teneat contra communem opinionem, negatiuam ſententiam dicens. Peccare mortaliter græcũ non ſeruantem conſuetudinem ſuæ Eccle- Nu. 16

clesiæ, videtur mihi tamen rigorosum hoc dicere, quia cum nostra consuetudo sit melior, non videtur res grauis, quod ille sequatur, vel non sequatur consuetudinem suæ Ecclesiæ: imo credo, quod si esset apud nos, aliquis Sacerdos grecus, quod melius faceret si consecraret in azimo ita ille qui refellendus est, cum sit contra communem opinionem vti optime asserit Diana loco supra citato §. Sed hæc.

Nu. 17 At vero Græcus existens apud latinos, & latinus existens apud græcos in suis Ecclesijs existentibus, apud ipsos, vnusquisque, debet seruare suum ritũ, itaut græcus in Ecclesia græca existente, apud latinos, debet vti fermentato, & latinus in Ecclesia latina existente, apud græcos debet seruare vsum azimi, quia perinde est, ac si singuli versarentur in sua Ecclesia *ita Suar in 3 par. tom. 3. quæst. 74. sect. 3. §. Illud vero*, vbi etiam habet non licere Sacerdoti latino, in huiusmodi templo græcorum, quod in Ecclesia latina existit, quamuis in eo greci ritus seruentur a græcis, in fermentato consecrare *ita etiam Fagundez præcep. 3 lib. 2. cap. 2 num. 8.* vbi etiã habet neque etiam licere alijs fidelibus latinis, ibidem in eodẽ fermẽtato, cõmu-

Nu. 18 nicare ita cità *Dia. loc. sup. cit. §. Et tandẽ.*

Latinus iter agens, per græciam, aut græcus per occidentẽ, potest (vbi nullum est scandali periculum) retinere suum ritum, quamuis, si conformaret se Ecclesiæ, in qua versaretur, non esset dãnandus *ita Suar. loco supra citato* vbi etiã habet licere latino Sacerdoti, si versetur in terris grẹcorum, & in templis eorum celebret, consecrare in fermentato, & consuetudini eorum conformari, siue aliquis diu, & tanquam incola, inter grẹcos habitet, siue vt hospes, ac peregrinus illàc pertranseat, & idem est, de omnibus consuetudinibus humanis, ieiunandi, seruandi festa, & similibus, tenetur enim vnusquisque peregrinus, & aduena iuxta meliorẽ opinionẽ, illius ecclesiæ seruare ritũ, in qua actu versatur.

Nu. 19 Illud vero valde notandum est, non esse audiendum *Ledesmam citatum apud Suar. loco supra citato §. Illud vero*, docentem, non solum posse licite, sed etiam teneri sacerdotem grecum transeuntẽ, per Ecclesias latinas, in azimo, consecrare, & peccare si aliter faciat, verum hæc opinio *Ledesmæ* vti optime notat *Suar.* est rigorosa pro peregrinis, & iter agentibus, & ideo non est sequenda ita etiam *Fagundez præcep. 3. lib. 2 cap. 2 nu. 9* quare potest Sacerdos latinus, transiens per greciam celebrare, vel ritu grẹcorum, vel ritu latinorum, & similiter græcus transiẽs, per loca latinorum, vti optime colligit *Diana loco supra citato resol. 99. §. non est igitur ex Suario, & Fagundez.* Nu. 20

Illud etiam tandem notandum est, quod asserit *Fagundez loco supra citato præcep. 3. lib. 2 cap. 2. num. 6.* teneri scilicet Christianos omnes latinos, in Ecclesia latina, in azimo communicari, non solum ex obligatione præcepti, sed etiã ex deuotione, & animi affectu, non solũ propter scandalum, sed etiam quia Ecclesiæ consuetudo, obligationem inducit, id quod etiam dicendum est, de fidelibus grẹcis, in fermentato communicari teneri, vnde *ex Suar. 3. par. disp 44. sect. 3 § Quarto dico* asserit *Fagundez* contra facientes, peccare mortaliter his igitur dictis. Nu. 21

Quæres tamen, quæ nam sit conuenientior materia, consecrationis, panis ne azimus, an fermentatus. Nu. 22

Verum vt clarius hæc res, intelligatur notanda sunt aliqua, quæ notauit *Fagundez præcep. 3 lib. 2 cap. 2. num. 11.* quorum primum est mensem Martij, qui apud nos, ordine, tertius mensis est anni, fuisse primum hebreorum mẽsem, iuxta illud Exodi 12. *mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni*: secundo hebreos solitos fuisse supputare, dies mensium per lunas itaque prima luna, seu nouilunium, erat prima dies mensis, secunda luna. seu secundus dies lunæ, erat secundus dies mensis, tertia, tertius, &c. tertio diem naturalem, qui apud aliquas nationes, incipit à media nocte, vsque ad mediam noctem sequentem, & apud alias, ab ortu solis, vsque ad alium ortum, & apud non nullas alias, à meridie, vsque ad meridiem; apud hebreos incipiebat, ab occasu solis, quando luna incipiebat apparere, vsq; ad alium occasum, quarto hebreos solitos fuisse, celebrare, sua festa à vespera, vnius diei, vsque ad vesperam, alterius

 diei

diei subsequentis, scilicet ab initio sui diei naturalis, sic enim scriptum erat *Leuit.* 33. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra* quinto apud hebreos in diebus, quibus Pascha celebrabant, duplex festum occurrisse, alterum dicebatur festum Phase: alterum azimorum, illud erat immolatio Agni, quam faciebant decima quarta Luna ad Vesperam, seu ad occasum, in memoriam illius singularis, beneficij, quod Deus populo hebreorum in Egypto contulit, cũ illorum primogenita liberauit, & primogenita Egyptiorum, manu Angeli occidit, eo quod Egyptij, primogenitũ suum populũ hebreorum, male in captiuitate Egyptiaca tractauerint, quem quidem Agnum, vt colligitur *ex Exod.* 12. commedebant hebrei stantes, & festinantes, & quasi iter facturi, tenentes baculos, & calciati, & vestibus præcincti, & ad fibulam alligati, & erat cibus præparatorius, & breuis ritus ad cenam cõmunem, quam celebrabant de more suo recũbentes, & lotis pedibus, ac extersis, vt habetur *ex Ioa.* 13 *& Luca* 22. *recumbentibus vndecim discipulis cum Iesu in cena, & Marco* 14. *& lotis prius, ac extersis eorum pedibus, &c.*

No. 23 Aliud erat festũ azimorum, quod durabat per septem integros dies, & incipi bat, à vespera decimæ quartæ lunæ, vsque ad finem vigesimæ primæ, quibus diebus Iudei azimos comedebant, & vacabãt multis generibus sacrificiorum, vnde cum ex obligatione eiusdem legis *Exod.* 12. deberent Iudei comedere agnũ, cum azimis, per illos septem dies, a fine decimæ quartæ lunæ, vsque ad finem vigesimæ primæ, nõ inueniebatur, in domibus Iudeorum fermentatum.

No. 24 Ex quibus iam vides hebreos, decima quarta luna ad vesperam duas cœnas celebrasse, primam, qua agnum paschalem immolabant, secundam, quæ erat communis, & sequebatur, & de more illius gentis fiebat statim, post illam agni, his igitur annotatis Duplex est opinio circa propositum dubium, altera Græcorum, latinorum altera, Græci contendunt Christum dominum, in fermentato consecrasse, latini in azimo, & consequenter aiunt Græci conuenientiorem materiam consecrationis, esse panem fermentatum, & probant suam opinionem præcipue ex illo *Ioa.* 13. vbi habetur Christum ante diem festum Paschæ cœnasse cum discipulis, in qua cena sine dubio instituit, hoc Sacramẽtũ, nam post illam, habijt in ortum, at vero iudei incipiebant, vti azimis, in ipso die Paschæ, vt habetur 12. *Exodi* quod celebratur decima quarta luna ergo Christus hoc Sacramentum instituit, in pane fermentato, hoc & alijs argumentis, conantur Græci confirmare suam sententiam.

Verum latini, & cum latinus sim, latinorum veram sequar opinionem, sæpe Christum cœnasse decima quarta luna, ad vesperam, sicut lex præcipiebat, & consequenter consecrasse Christum in azimo, quia eo die, non inueniebatur fermentatus panis, ex obligatione legis, in domibus Iudeorum, quare iam patet conuenientiorem materiam consecrationis, esse panem azimum, & non fermentatum *ita D. Tho. in 3 par. quæst.* 74. *ar.* 4. *Suar. in 3 par quæst.* 74. *sect* 3. §. *Dico primo, Fagundez præcep.* 3. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 13. vbi Suar. inter alia habet, quin imo quamuis Christus cenasset 13. luna vt Græci volunt, verisimilius esset, in azimo consecrasse, quia licet Christus antecipasset tempus, tamen seruaturus erat omnes ceremoneas illius Paschæ, ergo sicut credendum est, vsum esse lactucis agrestibus, in illa cœna, ita est credendum, vsum esse pane azimo, sicut lege erat præscriptum. No. 25

Ad Græcorum vero argumentum respondet *D. Tho. in 3 par. quæst.* 74. *ar.* 4. *ad primum* quod solemnitas Paschalis incipiebat in vespera quartæ decimæ lunæ, (intelligit autem vesperas, quæ immediate antecedunt, diem decimũ quintum) & tunc Christus post immolationem Agni Paschalis, hoc Sacramẽtum instituit, & quia hic dies decimus quintus, erat primus dies Paschæ, ideo à Ioa. dicitur habita cœna ante diem festum Paschæ, scilicet ad vesperas, lunæ decimæ quartæ, in quibus incipiebat prima dies azimorũ, & propterea ab alijs tribus Euangelistis, expresse dicitur Christus instituisse, hoc Sacramentum, prima die azimorum, quod sufficeret, in contrarium contra Græcos ad obstẽ- No. 26

den-

dendum Christum in azimo consecrasse, vnde consequenter *D. Tho. supra qu. 46. ar. 9. ad primum* docuit Christum do minum non fuisse passum luna quarta decima ad cuius vesperas, Christus cęnam fecit, sed luna quinta decima, quod probat *ex Math. 26 & Mar. 14. & Luc. 22.* qui omnes dicunt Christum instituisse, hoc Sacramentum, prima die azimorum, azima autem, vt patet loco citato *Exodi* incipiebāt in vesperis post lunam decimam quartam, & consequē ter cōstat decima quarta luna, Christū cænam fecisse, & decimaquinta eum esse passum *hac D. Tho.*

Nu. 27 Demum panis, nō debet esse corruptus, si enim panis, vel farina sit corrupta, ita vt speciem mutet, iam non est panis, nec materia Sacramenti, vnde nec licite, nec valide, in eo fiet Sacramentū *ita Suar. in 3. par. tom 3. disp. 74. disp. 44. §. Dico quarto* vbi habet sæpe vero difficile est, iudicare, an panis sit substantialiter, corruptus, nec ne ideo *D. Tho hic ad quartum* recte docet diligenter consi derandam esse mutationem, accidentium, coloris, saporis, & an facile fiat dissolutio, seu resolutio, quasi in cineres, nā illud est maximum corruptionis signū *hac D. Tho. hic ar. 3. ad quartum.* In Praxi vero ait *Suar.* seruandum esse, vt quādocunque sunt signa corruptionis, non fiat consecratio propter reuerentiam, tāti sacramēti, quod maxime verum est, quando tot sunt signa, vt saltem reddāt materiam dubiam.

Nu. 28 Quare ex his colligit *Fagūdez præcep. 3. lib. 2. cap. 1. nu. 17.* quotiescunque materia est dubia, satis est vt practice, & moraliter nunquam in ea sacramentū conficiatur, quia est res grauissima, & huic Sacramento summa reuerentia, & summa omnino veneratio debetur, vnde neque quatenus est, in præcepto humano, & Ecclesiastico, cum non sit Sacramentum necessarium necessitate salutis simpliciter, nulla videtur posse occurrere causa moraliter sufficiens, ad conficiendum illud, in materia dubia, & incerta, *ita etiam Suar. in 3. par. quæst. 74. sect. 1. §. Tertio sequitur* imo etiam addit Fagundez neque quatenus est in præcepto diuino, & quatenus medium necessarium ad salutem, posse vnquam in materia dubia, & incerta, aut valide, aut licite confici, etiam in opinione, quę docet tale medium necessarium esse, non licite, propter periculum nullitatis, & irritationis, & propter irreuerentiam sacramenti, non valide, quia & si hoc Sacramentum sit præceptum diuinum, necessarium necessitate salutis, iustis impositum, non obligat tamen, nisi quando reuerenter, ac decenter sumi potest: in materia autem dubia, non potest reuerenter, ac decenter sumi vnde perinde tunc est, ac si nunquam tale præceptum daretur, signum ergo est in ea materia dubia, & irreuerenti, non fieri Sacramentum, valide, si quidem cum ea irreuerentia, noluit Christus, præceptum necessarium, necessitate salutis imponere *hac Fagundez*, & hæc de pane vt autem materiam calicis, ex qua conficitur Christi sanguis, explicemus

QVAERES SECVNDO.

An vinum vitis, vuis expressum, sit materia, huius Sacramenti.

Altera pars materiæ, ex qua hoc Sacramentum confici debet, est vinum. Nu. 1 Vinum autem debet esse ex vite, & vuis maturis compressum: est de fide, & expresse definitum *in concilio Florentino* vbi expresse definitur materiam esse vinum vitis *ita Suar. in 3 par. tom 3. disp. 45. sect. 1. §. Omissis erroribus*, vbi hoc probat inter alia *ex concilio Aureliano 4. cap. 4.* vbi dicitur non esse in calice offerendum, aliud quam, quod in mādatis, Christus tradidit, quod magis explicās, dicit esse illud vinum, quod ex fructu viniæ nascitur, ita etiam *Fagundez præcep. 3. lib. 2. cap. 3. num. 1.* vbi etiam habet, vnde nec licite, nec valide conficitur Sacramentum, in vino artificiali facto, ex pomis moris, tritico hordeo, palmis, aut radicibus arborum, *ita etiam Suar. sect. 1. citata §. Dices* quare de vino eodem modo, ac de pane loquēdum est, si enim ita sit mixtum aqua, vel aliquo liquore, vel ita sit corruptum, vt desinat esse vinum, non conficitur sacramentum.

Ex his collige siue vinum sit album, Nu. 2 siue rubrū, aut nigrum, semper esse materiam Sacramenti Eucharistiæ, & licet

Arist.

*Arist 4.metheororum ca.*10.dicat vinum album,& nigrum videri specie differre,tamen aliqui Doctores id explicant, de diuersitate accidentiali,sola enim differentia coloris,non satis indicat substātialem diuersitatem, vt inter homines albos,& nigros videre licet *ita Suar. in 3.par.tom.3 disp 45 sect.* 1. §. *Dices Reg. tom.2.lib* 29.*num.*23.§. *Primum est Fagundez pracep* 3.*lib.*2.*cap.* 3.*num.*2. imo *Suar.*citatus habet etiam si substantialiter differant,ad rem theologicam non referre,satis est,si absolute, & simpliciter vinum,sit ex vuis maturis expressū, quare *Fagundez* loco supra citato habet, oportet enim vt succus ille, & liquor vuarum,sit expressus,& maturus, vt vinum sit in substantia genti politicę, & vsui humano accomodatum, ex vuis enim immaturis, materia sacramenti, nec decens nec valida est.

Nu. 3 Ex hoc patet non esse materiam, huius sacramenti acetum,licet enim ex vuis sit expressum,tamen quia fit ex corruptione substantiali vini,& in alteram degenerauit speciem *ita D. Thom. in 3. par.tom 3.quast.*74.*art.*5.*ad secundum*,& ideo sicuti de pane totaliter corrupto, non potest confici hoc Sacramentum, ita neque de aceto ait *S.Doctor*,Potest tamen confici de vino acescenti, sicut,& de pane,qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens *ita D. Thom. & ideo Arist.lib.* 8. *metheor.cap.* 6. *citatus à Fagundez pracep.* 3.*lib.*2.*cap.*3 *num.* 3. ait acetum ita se habere ad vinum,vt cadauer ad animal, constat autem secundū meliorem opinionem philosophorum, cadauer specie distingui,ab animali viuente *ita etiā Suar. loco supra citato dist.* 1.§.*Quarto ex dictis Reg.num.*25.§. *Sextum est.*

Nu. 4 Vnde fit agrestam, non esse materiā nec licitam,nec validam,est autem agresta,succus ille,qui ex vuis immaturis exprimitur,cuius ratio est, quia huiusmodi succus ex vuis immaturis, non est vinum,neque est materia potabilis per modum vini vnde *D Tho. loco supra citato ar.*5.*ad tertium* ait agrestam esse, in via generationis,& ideo, non dum habet speciem vini,& propter hoc de ea, non potest confici hoc Sacramentum, ita etiam *Suar. loco supra citato sect.* 1.§. *Vnde fit primo, & alij*

Succus vuarum,intra ipsas vuas,etiā maturas,prius quam exprimatur,non est materia,nec potest in ipsis vuis consecrari,*ita ex D.Tho.loco supra citato art.* 5.*in corp.& ad tertium fine* habet Non tamen debent vuæ integræ, huic Sacramento misceri, quia iā esset ibi aliquid præter vinum,quare in vuis, antequam exprimantur,nec licite,nec valide,consecrari potest, debet enim vinum esse vuis expressum,itaut sit potabile, at vero succus,& liquor ille, prout continetur in vuis maturis, non est potabilis, quod est necessariū in materia calicis, & sanguinis *iuxta illud bibite ex hoc omnes ita Suar.in* 3.*par.quest.* 74. *sect.* 1.§. *Vnde fit secundo*,Reg.*tom.*2.*lib.*29 *nu* 24. §.*Tertium est*,assignat etiam aliam rationem,nam sumens vuas,in quibus succus ille,tamquam pars continetur, non dicitur potare, sed comedere, *item ex cap. cum omne de consecr. dist.* 2. habetur præceptum ad consecrationem sanguinis Christi,vino admiscendā esse aquā, quę humori adhuc in vuis existenti,admisceri non potest *ita etiam Fagundez loco supra citato nu.*4. *& alij.* Nu. 5

Mustum ex vuis maturis recenter expressum,& non dum purum, & satis coctum,potest necessitatis tempore cōsecrari,vt habetur *ex cap. cum omne: de consecr.dist.*2. vbi dicitur si necesse sit, posse botrum,in calice exprimi,& aqua misceri, & ita confici Eucharistiam, cuius ratio est mustum in substantia, est vinum potabile,ex vite vt habet *D Th. quast.*74.*ar.*5.*ad tertium* vbi habet mustum autem iam haber speciem vini,nā eius dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio à naturali calore, vt dicitur *in* 4.*metheo.lib.* 4. *cap.*3. & ideo de musto potest confici hoc sacramentum, item mustum inebriare solet,& vinum, in sacris litteris appellatur *Act.* 2. *musto pleni sunt isti Isaias* 49.*quasi musto sanguine suo inebriabuntur* ergo nihil deest illi, vt sit materia, de substantia Sacramēti, nam illa imperfectio,quam habet ante decoctionem,sufficit quidem vt peccatum sit,in illo conficere, absque necessitate,& quidem ex suo genere graue *vt ait Suar.in* 3.*par.disp.*45.*sect.*1.§. *Tertio sequitur*, quod quidem peccatum ex suo Nu. 6

suo genere mortale vocat *Fagundez præcep. 3. lib. 2 cap. 3. num. 5.* & propter Ecclesiæ consuetudinem, & propter irreuerentiam Sacramenti, quia mustum solum differt, à vino accidentaliter, vinum enim est, sed nõ omnino perfectũ, vnde satis est, quod interdum sit potabile, ita etiam *Reg. loco citato num. 24. §. Quartum est.*

Nu. 7 Quid vero dicendum de illo vino, quod apud nos vulgari vocabulo dicitur (Acquata) quia illud non exprimitur ex vuis, sed postquam iam vuæ sunt expressæ, illis miscetur aliqua quantitas aquæ, ex qua mistione post elapsos aliquos dies, fit huiusmodi vinum, vnde non videtur habere substantiam vini, sed aliquam eius similitudinẽ, vel qualitatem, atque ideo *Plineus lib. 4. cap. 1.* ait non appellari iure vinum, vnde *Sil. verb. Euch. 1. num. 4.* dicit simpliciter nõ esse materiam, nec licitam, nec validam huius sacramenti, & huic sentẽtiæ licet multi adhereant, & præcipue *Suar. in 3. par. tom. 3. disp. 45 §. Hic vero*, vbi habet reuera vinum non esse, frequentius loquendo, & hanc non esse materiam, tamen non potest sit *Suar.* hoc generaliter definiri, quia varijs modis fit huius modi vinũ, quod apud nos (Acquata) vocatur, sed iudicandum de illa erit, iuxta maiorem, vel minorem expressionem vuarum, & quantitatem aquæ, ex quarum rerum mistione, hic liquor fit, vt dixi semper tamen erit graue sacrilegium in hac materia, conficere propter dubium, & irreuerentiam.

Nu. 8 Verum aduerte quod habet *Fagundez præcep. 3. lib. 2 cap. 3. num. 6.* hoc prudenter, & attente considerandum esse, ex circumstantijs, & mixtionibus, nam in Etiopia ex defectu vini assumunt, Catholici, & Patres Societatis Iesu vuas, non ita passas, & eas aqua superinfundũt, quo ad vsque lentescant, & postea exprimunt, ex quibus fit vinum, in quo consecrant, vnde ait *Fagundez* in hac re non esse præcipitandum iudicium: sed id prudenter, & attente considerandum esse ex circumstantijs, & prædictis mixtionibus vti supra diximus.

Nu. 9 Vinum passum, vel coctum, non est materia huius Sacramenti, quia huiusmodi vinum, simpliciter negat *Arist. 4. lib. Methe. cap. 9 & 10.* esse vinum, licet vocetur vinum coctum, cuius ratio est, quia per decoctionem illam, & applicationem ignis, speciem vini mutat, itẽ non est vinum vsuale, nam homines illo non vtuntur per modum potus, sed per modum esculenti, *ita Fagundez loco supra citato num. 7.* vbi ait idem dicendũ esse de aqua vitæ, quæ ex vino distillatur.

Vinum congelatum, an sit sufficiens materia, duplex est sententia prima negat, quia vinum congelatum, quatenus congelatum est, non est potabile, sed potius commestibile: item per congelationem, vinum substantialiter corrumpitur, quia perdit colorem, saporem, & similes qualitates, & iuxta hanc sententiã si vinum congelatur, post consecrationem, desineret ibi esse sanguis Christi, & si vinum congelatum non dum consecratum, iterum liquefiat, non esset sufficiens materia, quia iam corruptũ fuit, & per solam liquefationem, non potest iterum ad formã vini amissam redire, & hanc sententiam defendunt *Armilla verb. Euch. nu. 19 Ledesma quæst. 15. art. 5. dub. 1. Alanus lib. 1. de Euch cap. 11. & alij citati apud Suarium in 3 par. tom 3. quæst. 74. disp 45. sect. 1. §. Solum dicendũ.* Nu. 10

Secunda sententia docet, & affirmat esse materiam sufficientem, non tamen conuenientem, & ideo in vino congelato, valide fieri posse consecrationem, nõ tamen licite, neque absque sacrilegio, propter irreuerentiam illius, quia vinũ consecratum, si congeletur, retinet cõsecrationem, & sanguinem Christi, vt expresse supponitur *in Missali Romano in defectibus Missæ* vbi habetur si contingat, in calice, vinum consecratum, congelari, debere liquefieri, & consumi tãquam verum sacramẽtum, & ratio est, quia reuera non est substantialiter corruptum, hanc sententiam docent *Sil. verb. Euch 2. quæst. 10. Angelus verb. Missa num. 23 & alij citati apud Suar. loco supra citato §. Secunda sententia item Sa verb. Missa Sotus, & alij citati apud Fagũdez præcep. 3. lib. 2. cap. 3. num. 9.* Nu. 11

His igitur allatis sententijs, licet hæc secunda magis placeat *ipsi Suario loco supra citato §. Secunda sententia* tamen vt illam explicet aduertit, aliud esse loqui Nu. 12

de

de vino iam consecrato, & postea congelato, aliud de vino congelato ante cõsecrationem, & rursus illud considerari potest, vel in illo statu, vel si iterum liquefiat, his igitur annotatis primo loco certum existimat bonus senex vinum consecratum, etiam si congeletur retinere consecrationem, & Christi sanguinem, vt videtur supponi *in Missali Romano in defectibus Missæ loco supra citato* cuius ratio est quia reuera non est substantialiter corruptum, quia si postea liquefiat, habet qualitates, & effectus vini, est ergo vinum, si autem fuisset corruptum, non posset per solam liquefationem ad vini naturam redire.

Nu. 13 Secundo ex superius dictis infert, si vinum cõgelatum ante consecrationẽ, postea liquefiat illud posse esse materiã consecrationis, id quod censet fere certum, vnde auctores secundæ sententiæ, addunt nullum esse peccatum, in huiusmodi vino consecrare, quod *Suar.* tenet esse valde probabile quia reuera nullũ est dubium, esse vinum, cõsultius tamẽ existimat, non consecrare in illo, si fieri potest, vnde si contingat in Missa, inuenire congelatum vinum ante consecrationem, etiam post oblationem, optimũ esse cõsilium mutare, & iterum offerre, ac postea consecrare, at vero *Fagundez præcep 3. lib. 2. cap. 3. num. 10. fine* credit non solum esse optimum consilium, sed necessario id faciendum esse, nam forte, etiam materia dubia, non est sufficiens materia, nec in ea nalide consecrare potest, aut Sacramentum effici, si dubium sit practicum, & non speculatiuum, hęc optime *Fagundez* licet dicat propter rationes supra dictarum opinionum, manere saltem uinum congelatum, materiam dubiam, huius Sacramenti, & utrãque opinionem manere probabilem, & cum in materia dubia, & incerta, nunquam practice, & moraliter sacramentum confici possit, concludit *cum Suar. loco supra citato §. Vnde tertio fine* non licere in uino congelato consecrare propter dubium.

Nu. 14 Concludit igitur *Suar. §. Vnde tertio*, uinum congelatum, esse sufficientem materiam, quia illud est uinum uitis, & consequẽter per se est materia potabilis, accidentiarium enim est, quod sub illa dispositione, potari non possit, satis uero est, quod ex se, & ab intrinseco habeat naturam, & formam potabilem, & illud extrinsecum impedimentum, facile tolli potest, sola scilicet liquefatione, sicut panis, qui ita induruit, vt dentibus frangi non possit, per se comestibile est, & duritìes impediens, ne cõmedatur facile tollitur, madefactione, qui nihilhominus, esset materia sufficiens consecrationis, quia retinet panis substantiam, & per se manducabilis est, ita & congelatum vinum, quamuis per accidens potabile non sit, tamen, secundum interiorem suam naturam, potabile est, maneat igitur, sufficientem esse materiam. Nihilhominus tamen concludit *Suarez* & optime non credo licere, huiusmodi materiam consecrare, propter dubiũ; est enim contraria sententia, vt cumque probabilis, quare *Reg tom. 2. lib. 29. num. 25. §. Addit* idem concludit, ante consecrationem autem inuentum cõgelatũ, debere primo liquefieri, aut quod decentius est, mutari antequam consecratio fiat, nam alioquin grauiter peccatur, ex communi sententia.

Qui sine aqua consecraret, licet peccet mortaliter, & sacrilegium committat, tamen conficit sacramentum, quia aqua est de necessitate præcepti, non autem sacramenti, & conclusio certa est de fide, vt patet *ex Trid. sess. 22. vbi habetur monet deinde sancta Synodus, præceptũ esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo, misceerent, tum quia Christum dominum ita fecisse credatur, &c. ita etiam D Tho. in 3 par. quæst. 74. ar. 7. vbi in corp. art.* concludit, & ideo cõsequens est quod appositio aquæ non sit de necessitate Sacramenti *ita etiam Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 45. sect. 2. § Dico tertio, & alij* ex quo præcepto deducimus id quod supra diximus, nempe peccare mortaliter, contra facientes *ita Fagundez præcep. 3. lib. 2. cap. 4. num. 3. in principio.* Nu. 15

Aduerte aquam immissam vino, longe probabilius, & tutius esse, non conuerti in sanguinem, nisi conuertatur prius in vinum, misceri autem ab Ecclesia, etiam hoc fine, vt conuersa in vinum demum conuertatur in sanguinem, & propterea modicissimam adhiberi ita Nu. 16

do-

docent D. *Tho. quæst. 74. art. 8. Suar. disp. 45. sect. 4. §. Nihilhominus, Fagundez præcep. 3. lib. 2. cap. 4. num 6. vbi num.* 10. ait dari præceptum, quo aquam modice in vinum infundere obligamur, quod qui dem præceptum, vt habet *nu.* 11. esse præceptum humanum, & non diuinũ, & ante ipsum docuit hanc sententiam *Suar. loco supra cit. sect. 2. §. Nihilominus* vbi testatur hoc præceptum, cum sit Ecclesiasticum, esse per Ecclesiam dispensabile, imo addit *Ledesma citatus a Suario* vrgente necessitate posse etiam sine dispensatione, mixtionem aquę omitti, quod (& merito) non probat *Suar* quia res est multo grauior, quam consecrare sine vestibus sacris, vnde si hoc fieri non potest, vrgente necessitate, neque etiam fieri poterit, hæc aquæ omissio, eadem necessitate vrgente, quamuis autem ad dat *Suar.* probabilius esse simpliciter Sũ mum Pontificem dispensare posse, circa huiusmodi præceptum, practice tamen existimat, vix posse occurrere occasionem, & causam rationabilem, vt talis dispẽsatio licite cõcedatur, quia hęc mixtio est res facillima, & quæ, vbique, ac semper sine in conuenienti fieri potest.

Nu. 17 Iterum aduerte, quod si casu aliquo fiat, vt ante consecrationem aqua non sit in vinum conuersa, manere in sua substantia, & nunquam conuerti in sanguinẽ *ita Suar. disp. 45. sect. 4. §. Nihilhominus fine Fagundez præcep. 3. lib. 2. cap 4. num. 8.*

Nu. 18 Neque dicas si daretur casus, in quo non sit aqua conuersa in vinum ante cõ secrationem; & non conuerteretur in sãguinem, sed remaneret in sua propria specie, tunc sequerentur duo absurda, Primum, quod forma verborũ, esset falsa, secundũ, quod non deberet adorari, totus ille potus sensibilis, post consecrationem sequela patet quia, & primo quo ad primam partem nam in consecratione, particula illa (hic est) denotat totum illum potum sensibilem, qui est in calice, cuius pars esset illa aqua, quæ non per accidens, sed per se apposita fuit, igitur tota illa materia debet conuerti in sanguinem, secũda pars probatur, quia si aqua remaneret sub eius accidẽ tibus, non esset sanguis, & cõsequenter non illud totum adorari deberet, quod tamen est contra Ecclesiæ intentionẽ.

Ad quod quidem argumentum licet non sit huius loci, tamen respondeo nullum sequi prorsus absurdum, etiam cõcesso illo casu, & quidem primum absurdum non sequitur, quia particula illa (hic) ex intentione Christi, & Ecclesiæ, cui se conformat Sacerdos, non significat nisi substantiã latentem sub accidẽtibus vini, non autem sub varijs accidẽtibus, cuiuslibet alterius rei, quæ sit ibi per accidẽs, qualis esset aqua, licet enim per se, & ex instituto aqua misceatur vino, tamen per accidens est, & contra institutum Ecclesiæ, vt tempore cõsecrationis, non sit conuersa in vinum, quare idem iudicium est, de illa, ac de quouis alio licore, vel corpore, quod per accidens reperiretur in calice, vel in pane, tempore cõsecrationis, particula enim illa (hic) vel (hoc) non denotat, nisi id, quod est sub accidentibus panis, & vini, tantum; nullo ergo modo est falsa forma consecrationis. Nu. 19

Similiter neque aliud absurdum sequitur, nam Ecclesia non proponit adorandum totum illum potum, aut panẽ secundum omnia, quæ per accidens reperiri possunt in illo, sed solum secundũ id quod latet sub accidentibus panis, & vini, & quia ex instituto Ecclesiæ, nihil debet esse in calice, tempore consecrationis, quod non sit vinum, ideo absolute totum illum potum proponit adorãdum, post cõsecrationem, & hoc voluit *D Tho.* semper ergo intelligitur, quod adoratur Christus secundum quod latet in illo potu, & in illo pane, siue aliquid sit in istis, in quo non lateat, siue non sit; per accidens tamen est semper si respiciamus institutum Ecclesiæ, vt aliquid sit in illis, in quo nõ sit Christus. Nu. 20

Sed vt ad rem nostram deueniamus, huiusmodi præceptum admiscendi aquam vino ab Apostolorum temporibus emanasse fatemur, & ab ipsis Apostolis fuisse impositum, ad imitationem facti Christi Domini ita tenet *Fagundez præcep. 3. lib. 2. cap. 4. num.* 12. vbi affirmat Alexandrum tamen fuisse primum, qui hoc præceptum tradidit scripto, quare *nu.* 13. affirmat veram, & certam sententiam esse illam, quę docet Christum do- Nu. 21

X mi-

minum consecrasse in vino, aquæ mixto *ita etiam D. Tho. in 3 par. disp* 44 *art.* 8. *Suar. tom.* 3 *in* 3 *par. disput.* 45. *sect.* 2. *S. Verior sententia* cuius rationem reddit, quia Christus consecrauit poculum, & calicem, quem hebrei politice solebãt ebibere, hebræi autem more gentis politicæ, & temperatæ vinum priusquam biberent modica aqua temperabãt, *iuxta illud Prouerbiorum* 9. *Sapientia ædificauit sibi domum miscuit vinum* maneat igitur dicendum Christum dominum, vti potu temperatissimo, atque adeo vino aquæ mixto.

Nu. 22 Infertur ex his, aquam debere esse naturalem, & elementalem, imo est necessario, non necessitate Sacramẽti, sed præcepti *ita D. Tho. in* 3. *par. quæst.* 74. *ar.* 7. *ad tertium* vbi habet quia admixtio aquæ ad vinum, non est de necessitate Sacramenti, non refert quaotum ad Sacramenti necessitatem quæcũque aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis, cuius ratio est, quia eo modo, quo mixtio aquæ est necessaria, eo etiã modo necessaria est mixtio aquæ naturalis, sed mixtio aquæ, absolute, & simpliciter nõ est necessaria, necessitate Sacramenti, sed tantum necessitate præcepti, ergo, eo etiã modo necessaria erit mixtio aquæ naturalis *ita etiam Suar. in* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 45 *sect.* 3. *initio Fagundez præcep.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4 *num.* 14. vbi habet lethaliter peccare, si quis aquam rosaceam, vel alium licorem, vino admiscerer, sacramentum tamen valide conficeretur item peccatũ lethale committere, qui calici consecrando, aquam calidam, etiam veram, & naturalem immiscuerit, quia contra consuetudinem ecclesiæ efficiet, valide tamen Sacramentum conficiet *ita etiam Suar. loco supra citato.*

Nu. 23 Verum circa quantitatem aquæ ait *Fagundez loco supra citato num.* 15. nihil posse certius definiri, quam quod oporteat, esse modicissimam, vti facile conuerti possit, in vinum *ita habet D. Thom. in* 3 *par quæst.* 74 *ar.* 8. *in corp.* vbi docet adeò modicum apponi debere de aqua, quod conuertatur in vinum, circa quæ verba D *Tho.* omnes conueniunt aquã, non solum modicam, sed & modicissimam esse debere, modo supradicto id enim determinatum est *ex concilio Florentino* illis verbis cui scilicet vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet, ratio autem mystica est, quia aqua significat fragilitatem populorum, vinum autem Christi sanguinẽ, eiusque infinitum valorem, & virtutẽ, vnde aqua debet esse longe minor, ad significandã minoritatem illam populi, quare sufficient vna, vel duæ guttæ ordinarie, possunt tamen esse quinque, vel sex iuxta vini quantitatem, sempertamẽ adhibendum est, quantum fieri potest minus.

Neque dicas *ex Concilio Triburiensi cap.* 19. permittitur vt duæ partes vini, & tertia aquæ misceantur, non est ergo necesse, vt modicissima aqua adhibeatur, non inquam hoc dicas primo, quia communis responsio est, permissionem hanc fuisse restrictam *in Florentino supra citato sub Eugenio* 4. vbi dicitur miscendum esse paulum aquæ, & aquam modicissimam, secundo quia neque *in eo concilio* præceptum est, vt tertia pars aquæ misceatur, sed vt non excedatur, vt patet ex ratione ibi allata, quia ait *concilium* maior est maiestas sãguinis Christi, quæ significatur per vinum, quam fragilitas populi, quæ significatur per aquam, igitur ex mente *concilij* si modicissima esset aqua multo magis, hoc mysterium significaretur, solum ergo voluit eo loco *concilium* determinare, ne excedatur ad summum tertia pars, alioqui graue peccatum committeretur. Nu. 24

Neque dicas, Christum non esse verisimile, hoc modo miscuisse aquam, sed prout ad temperandum potum vsualẽ communiter adhiberi solet, & prout in vino ordinarie poni, & bibi solet, ab homine sobrio, primo quia illa vini mixtio non fuit ad ordinarium potum, sed ad mysteriorum, quare *Suar in* 3. *par. tõ.* 3. *disp.* 45 *sect.* 3 §. *Sed dices*, ait Christum non instituisse hoc Sacramentum, inter cœnaodum, cœna vsuali, ac si rem communem, & vulgarem ageret, sed antea inchoatam illam, singulari attentione, & reuerentia, prout mysterium postulabat. Vnde fit non oportuisse, vt vteretur, in mysterio vino mixto modo vsuali, sed modo mystico, prout, nunc in sacrificio fit, & hoc modo intelligendi sũt Nu. 25

Pa-

Patres, quando vocant hunc calicem mixtum, seu dilutum, & temperatum aqua, loquũtur enim de mystica, & significatiua mixtione *hæc Suarez*. secundo quia siue hoc sacramentum instituerit, & vinum consecrauerit, ante cœnam illam magnam, & vsualem, vti asserit *Suar.* siue in ipsa cœna, semper tamen singulari attentione, & reuerentia, vinum consecrasse credendum est, prout tantum misterium postulabat, vnde credibile est, ipsum non apposuisse tantam, quantam alioquin, in communi potu adhibuisset, quia etiam ipse mysteriosam hanc aquæ mixtionem faciebat, vt patet *ex illis Euangelistarum verbis Qui pridie, quam pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cęlum benedixit, fregit, deditq; discipulis suis, dicens Accipite & manducate* adiunctis illis. *Similiter, & calicē, &c.* quare conclude *cum Fagundez loco supra citato num. 15. fine* temperauit ergo Christus dominus vinum illud, quod consecrauit, non modo vsuali, & vulgari, sed modo mystico, prout nunc in sacrificio fit.

Nu. 26 Infertur item huiusmodi mixtionē faciendam esse, tempore sacrificij, & in ipso sacro calice *ita D. Tho. in 3 par. qu. 74. ar. 8. ad tertium* itaque non sat erit, quod domi, vel doleo fiat, vel in vascello, antequam misteria, vel preparatio ad illa inchoeatur, quia illa non esset sacra ceremonea, nec sacrā haberet significationem *ita Suar. in 3. par. quæst. 74. disp. 45. sect. 2. §. Tertio quod, vnde, Reg. tom. 2. lib. 29. num. 27. §. Quartum* ait grauiter peccare, qui aliter faceret *item Riccardus citatus apud Suarium* ait aquam debere infundi in calice iam habente vinum ad consecrationem deputatum, ex intentione ministri, rursus, & hoc ante calicis oblationem, vniuersalis Ecclesię vsus ostendit, & grauiter peccaret, qui voluntarie hoc omitteret. Si tamen ex negligentia accidat, & ante consecrationē aduertatur, statim adhiberi debet. Si vero facta iam sit consecratio omittēda est mixtio; quia iam cessauit ratio, & tempus præcepti, & significationis, nec est iam aqua sanguini domini miscenda, de eo autem, quod aliqui in principio Missæ talem mixtionem faciunt, vt facilius aqua in vinum conuertatur, alij post Euangelium, nihil occurrit dicendum, nisi securum quemque fore, si in eo sequatur Ecclesiæ suæ consuetudinem approbatam *ita Reg. loco supra citato*. In Missali tamen Romano dicitur fieri debere, post Euangelium, facta hostię oblatione, & hic modus est satis tutus, & sufficiens.

Verum an ordo consecrationis, sit de iure diuino, vt scilicet prius cōsecretur panis, quam vinum vide *Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap. 3. num. 19.* vbi credit esse de iure diuino, vt scilicet prius consecretur panis, quam vinum, & ad minimū, esse graue sacrilegium, huiusmodi ordinem immutare, consecrando prius vinum, quam panem, contra totius Ecclesiæ consuetudinem, conforme Christi domini facto ac verbis *ita Suar. in 3. par. disp. 75 sect. 6 §. Sed quæret aliquis* vbi habet licet aliquis posset, non omnino sine causa dubitare, an inuersio talis ordinis, sit non solum peccaminosa, sed etiam contra substantiam sacramenti, vnde dubium non est, quin hoc sit graue sacrilegium, nihilhominus tamen nō video sufficiens fundamentum, ad dicēdum sacrificium, in quo prius sanguis quam corpus consecretur, non habere veram rationem, huius sacrifitij, quia in re reperitur totum id, quod Christus instituit, & præscriptus ordo, non videtur ita necessarius, ad prædictam significationem, seu mactationem mysticam, in eodem momento, in quo vltima consecratio absoluitur, quacumque, illa sit sufficienter repræsentatur separatio sanguinis, à corpore, seu animæ à corpore. Neque ad hanc repræsentationem, necesse est, vt corpus prius tempore antecedat, nam si per possibile, vel impossibile, simul possent verba vtriusque formę proferri, & vtriusque speciei consecratio simul finiri, nihilhominus verum fieret sacrificium *hæc Suarez vnde Fagū dez loco supra citato num. 19 fine* concludit nihilhominus verum fieret sacrificium, & tamen mutaretur ordo, ergo ordo prolationis verborum, non est de essentia sacrificij, vt patet, quamuis sit de iure diuino quod ius, & ex facto Christi, & ex continua, ac inuiolata Ecclesiæ obseruatione patet. Nu. 27

X 3 Tan

Nu. 28 Tandem ad illam autem quæstionē, an scilicet sit iuris diuini, an humani, quod Sacerdos in vtraque specie panis, & vini celebret, bipartita est sententia. Prima docet esse iuris humani, ac canonici, & ex ea bene inferunt, posse Summum Pontificem, vrgente iusta, & graui causa dispensare, vt Sacerdos in altera tantum specie panis, aut vini consecret, ac sacrificium Missæ peragat, cum supra omne ius humanum, ac canonicū sit.

Nu. 29 Secunda vero sententia docet, esse iuris diuini, consecrationem sub vtraq; specie panis, & vini, doctores huius sententiæ legite *apud Fagundez pracep. 1. lib. 3. cap. 5. num 3. & videtur ita etiam sentire Suar. in 3. par disp. 75. sect. 6. §. Dico ergo, secundo* dum dicit vt hoc misterium absolute, & simpliciter, sit verum sacrificium, prout a Christo, est institutū, essentialiter requiri vtriusque speciei cōsecrationem, verum cum non sit huius loci, omnia diffuse pertractare, auctores, & rationes, tum huius, quam primæ sententiæ legite præcipue *apud Fagundez loco supracitato nu. 2. & 3* quare hęc secunda sententia magis mihi placet cū fauere videatur pro hac par. *D. Thom. multis in locis 3. par. quaest. 80. art. 12. ad primum & quaest. 82. ar. 4 ad tertium, & quaest. 83. ar. 6. ad primum*, & maxime quia Christus dominus sub vtraque specie panis, & vini consecrauit, & deinde præcepit nobis, vt eodem modo offeramus dicens Hoc facite in meam commemorationem, & ita Ecclesia semper intellexit, & seruauit, vti asserit *Suar. loco supra citato §. Secundo probari potest.*

Nu. 30 Item quæri potest, posito quod sit iuris diuini, vti nos asserimus, consecratio panis, & vini, an possit Summus Pontifex in ea dispensare, ita vt verum fiat sacrificium, & Sacramentum sub vna tātum specie panis, vel vini, & licet non nulli asserant negatiue, quia Summus Pontifex non est supra ius diuinum, vt in eo dispensare posset, tamen dicendū est, quamuis sit de iure diuino quod Sacerdos in duplici specie sacrificet probabilius esse posse Summum Pontificē ob publicam, & vrgentem necessitatē, & iustam causam dispensare, vt in altera tantum specie panis, vel vini sacrificium, & Sacramentum fiat verum, & proprium, ita complures Doctores citati *apud Fagundez pracep. 1. lib. 3. cap. 5. n. 6.* qui etiam hanc tenet opinionem, & validas pro hac sententia assignat rationes, quarum prima est, quia iam Innocentius Octauus cum Noruegijs ex causa dispensauit, vt in altera tātum specie panis celebrent, secundo quia Christus Dominus, in altera tantum specie panis consecrauit, cum communionem dedit discipulis, euntibus in Emaus, vt ex Luca 24, ex quo habemus exemplū Christi domini, sub vna tantum specie, & sub vtraque specie, signum ergo est essentia Sacramenti posse consistere, nō solum in vtraque specie, sed etiam in altera tantum, ac proinde non destruere Summos Pontifices essentiam sacrificij, si ex causa dispensent, vt sacrificium Missæ sub vna tantum specie fiat, verū vt causas assignemus sufficiētes, ad hoc vt Summi Pontifices dispēsare possint, vt sub vna tantum specie sacrificium Missæ celebretur.

In primis sufficiens causa dispensandi esset, quando in aliquo Regno, aut ampla Regione deesset omnino vinū, & in quā asportari vix possit, aut asportatum conseruari, quin acescat, & congelescat, & ne ingens prouincia, aut multa illius oppida, tanto sacrificio, & vtilissimo Eucharistiæ Sacramento, & iugi præsentia Christi priuētur, & hāc causā approbant multi Doctores citati *apud Fagundez loco supra citato num. 9.* Nu. 31

Verum animaduerte, numerare aliquos Doctores, nonnullos casus in quibus ius diuinum celebrandi, sub vtraq; specie non obligat, & dicunt in illis posse licite sacrificium Missæ fieri sub vna tantum specie panis quorum. Nu. 31

Primus est, quando Sacerdos per inaduertentiam, aut errorem solum panē consecrauit, & oblitus præparationis vini, non potest absque magna offensione populi astantis aliquis mitti, qui illud quærat, & ad Sacerdotem in altari manentem, & expectantem adferat, in hoc casu existimant *Maior in 4. dist. 9. quaest. 3. & Adrianus in eodem 4. quaest. 6. de Euch.* posse Sacerdotem licite Missæ sacrificium perficere, in panis tantum specie, absque vini consecratione, & id probabile Nu. 32

bile existimat *Azor. citatus apud Fagundez pracep. 1. lib. 3. cap. 5. num. 10.* cuius rationem reddunt, quia præceptum diuinum, de sacrificando in vtraque specie, non tam seuere obligare, & cum tāto detrimento Sacerdotis, qui facile accusari potest de in curia, & deponi, & cum tanto populi scandalo *vnde Fagūdez loco citato* assentitur huic sententiæ, si scandalum populi sequatur, secus si scādalum cesset, raro autem cessabit in eo casu.

Nu. 34 Secundus casus est quem aducit *D. Tho. in 3 par. quaest. 82. ar. 4. ad tertium* vbi habet, quod si miraculose corpus Christi in altari, sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non esse sumendum, & licere Præsbitero, absque vlla alia consecratione sacrificium perficere, ait enim de hac quidē hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere, de illa vero, quā Christus in ara Crucis obtulit, secundū se nulli edere licet. Nec propter hoc Sacerdos, trāsgressor efficitur, quia ea, quæ miraculose fiunt, legibus non subduntur.

Nu. 35 Et propter eamdem rationem ait *D. Tho. in 3. par. quaest. 83. ar. 6. ad tertium*, quod si musca, vel aranea in calicem, ante cōsecrationem ceciderit, aut etiā venenum deprehenderit esse immissū, debet effundi, & abluto calice, denuo aliud vinum poni, consecrandum. Si vero aliquid horum, post consecrationem ceciderit, debet animal caute capi, & diligenter lauari, & comburi, & abluto cum cineribus, in sacrarium mitti; si vero venenum, ibi esse deprehenderit immissum, nullo modo debet sumere, nec alijs dare, ne calix vitæ vertatur in mortem, sed debet diligenter, in aliquo vasculo, ad hoc apto, cum reliquijs cōseruari, & ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere, à consecratione sanguinis, & sacrificium perficere hæc *D Tho.*

Nu. 36 Vbi aduertas, quod habet *Fagundez loco supra citato num. 13* tunc non licere, eas species veneno infectas, igni tradere, quādiu probabiliter credūtur continere corpus Christi, sed vel illas, vel illarum ablutionem, stupa, vel lino imbibitas, seruare decenti loco, deinde siccā stupam, vel linum, igni tradere, & conuertere in cineres, quas in sacrarium, vel subtus terram, debet Sacerdos mittere.

Tertius casus, si post consecratum panem, propter subitam hostium incursionem, Sacerdos absque probabili vitæ periculo, sacrificium perficere non possit, licitum erit tunc finire sacrificium, in vna tantum specie, quia non est credendum, in eo casu præceptum diuinū, de consecrando, in vtraque specie obligare, ita *Azor. citatus apud Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap. 5. num. 14. vbi num. 15.* cōcludit Summum Pontificem non posse dispensare, vt sacrificium missæ, fiat in consecratione panis, & in consecratione aquæ, loco vini, cuius ratio est, quia mutatur materia, quod facere Ecclesia nō potest. Nu. 37

QVAERES TERTIO.

Quænam sit forma, huius Sacramenti.

POstulat hoc Quæsitum, vt agamus de forma, consecrationis panis, & vini forma autem consecrationis panis est. Hoc est enim corpus meum, de qua agit *D. Tho in 3. par. quaest. 78. artic. 2. & Suar. in 3. par. disp. 59. sect. 1. § vltimo ex his, & alij communiter*, forma autem consecrationis vini. Hic est enim calix sanguinis mei, de qua agit *D. Tho art. 3. & Suar. in 3. par. disp 60.* particula (enim) in vtraque forma, non est de necessitate, & essentia formæ, est tamen de præcepto, Ecclesiæ Romanæ, & de consuetudine illius, à tempore Apostolorum, & D. Petri, ad nos continuata, & inuiolata obseruatione emanente, vnde peccaret mortaliter, qui illud scienter omitteret, sacramentum tamen validum efficiet, ita inter alios *Fagundez præcep. 3. lib. 2. cap. 6. num 2. & cap 7. num. 4.* nam Christus dominus in consecratione panis vsus fuit, his verbis. Hoc est corpus meum, & semel tantum, ea protulit cōtra eos, qui asserunt Christum bis protulisse, illa verba probat *D. Thom. in 3. par. quaest. 78. ar. 1. ad primum, & Suar. in 3. par. disp. 58. sect. 1. §. Dicendum est, tamen, Fagundez præcep. 3. lib 2. cap. 6. num. 6.* si Nu. 1

cuti,

cuti,& in consecratione calicis, verum est,Christum dominum vsum fuisse,his quattuor verbis Hic est,calix,sanguinis mei,quæ sola præcise sunt, de essentia sacramenti ita D.Tho in 3 par.quæst.78. ar.3.Suar.in 3 par.disput.60.sect.1.initio Fagundez loco supra citato cap.7.num. 3.

Nu. 2 Ex his collige,omnia illa verba, quibus Ecclesia vtitur,& huic formæ addiderit,Noui,& æterni testamenti, misterium fidei,qui pro vobis,& pro multis effundetur,in remissionem peccatorum, neque ad essentiam,neque ad substantiam pertinere,vt habet Suar. in 3. part. disp.60.sect.1.§ Secunda opinio vbi hanc sententiam vocat communiorem antiquorum scholasticorum sententiam, & §.Qua circa vbi habet sola illa verba. Hic est, calix sanguinis mei, esse de essentia, necessitate, ac substantia, huius formæ,& in illis solis, esse totam efficaciam,atque adeo in vltimo instanti,prolationis eorum,persici transubstantiationem vini,ita etiam Fagundez loco supra citato num.3.sed esse de necessitate præcepti Ecclesiæ,præsertim, vt omnia illa verba in latina Ecclesia proferantur, in consecratione sanguinis ita Suar. §. Addo vero,quam communissimam sententiam vocat,quare,quialiquod verbum illorum,vel per contemptum, vel scienter, vel voluntarie omiserit mortaliter peccaret,Sacramentum tamen esset validum ita Fagundez loco supra citato nu.4. cum frangat Ecclesiæ præceptum, in re graui,& num. 5. vbi etiam demonstrat illa verba antecedentia, quæ in canone Missæ,ante consecrationem dicuntur, scilicet simili modo, postquam cenatũ est,accipiens,& hunc præclarum calicẽ, in sanctas,ac venerabiles mauus suas, item tibi gratias agens,benedixit,dedit que discipulis suis,dicens accipite,& bibite,ex eo omnes,non esse de essentia formæ,sed partim esse de præcepto, partim de consuetudine,& ceremonia Ecclesiæ,illa sunt de præcepto quia sunt dicta à Christo Domino,Accipite, & bibite,ex eo omnes, & reliqua de more Ecclesiæ, & consuetudine, & similiter peccabit mortaliter,qui illa, vel partim illorum scienter,& voluntarie omiserit.

Nu. 3 At vero cum Euangelistæ,varias assignent formas,nam Lucas 22. hac vtitur forma. Hic est, calix, nouum testamentum,in sanguine meo, & D.Paul.1. Corin.11.ijsdem etiam verbis vtitur,& testatur ibi, se ita accepisse à Domino Marcus vero cap. 14. ista forma vtitur. Hic est, sanguis meus noui testamenti, Matth. 26.ista.Hic est enim,sanguis meus,noui testamenti, at vero Ioannes hanc rem prætermisit, quia iam, erat satis explicata à tribus Euangelistis, in qua ergo forma istarum consecrauit Christus, respondet Suar. in 3.par.disp.60.sect.2.§.Sed quares de Christi autem facto,non satis constare an ipse vsus fuerit vno vel altero dicendi modo,quia in sacra scriptura, vterque habetur,quamquam enim ipse alterutro tantum,dicendi modo vsus fuerit, tamẽ cum idem fit sensus,salua historiæ veritate,potuit illius factum, vtroque modo referri. Verisimile autem est, vsum fuisse voce(Calicis)quia præter Lucam,& Paulũ,traditio Apostolica, hoc magis indicat, ita etiam Fagundez de Ecclesiæ præceptis præcep.3.lib.2.cap.7.num. 14.

Verum,quam ob causam, Ecclesia addiderit formæ essentiali consecrationis,aliquas particulas,quæ non sunt de essentia illius, & vtrum conuenienter eas addiderit,respondet Suar. in 3.part. disp.60 sect. 3.initio primo Ecclesiã eas addidisse,quia omnia illa verba, quibus illa modo vtitur in consecratione calicis,dicta fuerunt à Christo Domino,licet non omnia ad essentiam consecrationis pertineant,sed illa tantum, quæ ac tenus diximus:an vero dicta fuerint, eo ordine,quo in canone proferuntur, respondet Suar.sect.3.§.Dicendum vero est, non esse certum,quia neque scriptum, neque traditum,neque oportet,vt quæ referuntur eodem ordine,gesta sint,vnde,& Euangelistæ in ordine referendi hæc,& alia verba,varij sunt,& Clemens Papa loco supra citato, illo ordine indicat,fuisse dicta,sed hoc ad veritatem, & substantiam misterij non refert ita etiã Fagundez præcep.3.lib.2.cap.7.nu.15. Nu. 4

Secundo conuenienter, illa omnia verba,fuisse coniuncta in forma consecrationis, vt respondet Suar. loco supra citato sect.3.§.Dico secundo, quæ conclusio certa vocatur ab ipso Suario, quæ primo sufficienter probatur ex vsu Eccle- Nu. 5

siæ,

siæ, secundo quia in formis aliorum Sacramentorum, interdum aliqua verba adduntur, ab Ecclesia, ad maiorem ornatum illatum, & ad excitandam maiorem deuotionem, & reuerentiam in nobis, vel expressiorem significationem mysterij, vt in forma absolutionis solet adiungi, inuocatio Trinitatis, & similiter in forma extremæ unctionis, adduntur etiam aliquę particulæ, quia illa omnia sunt verba Christi, & magis explicãt effectum, dignitatem, & excellẽtiã, huius Sacramenti, & sacrificij, inde est, quod optime fuere ordinata ab Ecclesia, edocta à Spiritu Sancto, ad maiorem scilicet reuerentiam, tanti mysterij, ita etiam *Fagundez loco supra citato cap. 7. nu. 16.*

Nu. 6 Mutatio cuiuslibet dictinnis, informis cõsecrationis, erit mortale, & si maneat, tamen idem formæ sensus, & ratio est, quia propter talem mutationem, exponit se periculo, non consecrandi, & nouum ritum, quem absque auctoritate, in re graui, introducit *ita Fagundez precep. 3. lib. 2. cap. 7. num. 9.* vbi excusat ab eo peccato, si ignoranter, vel inaduertenter, id faciant, quare si quis, loco huius pronominis, hic) ponat hoc, vel hęc, & mutat genus, conficit Sacramentum, licet semper propter Ecclesię consuetudinem, committeret sacrilegium, talẽ mutationem faciendo, *ita Suar. in 3. par. quæst. 78 sect. 2. initio ita etiam Fagundez precep. 3 lib 2. cap. 7. num. 10.* vbi huius rei reddit rationẽ, quia licet hæc mutatio sit, contra regulas grammaticæ, non mutat tamen sensum formæ, & obstendit materiam præsentem, quę consecratur.

Nu. 7 Verbum vero (est) est de essentia formæ, & loco illius, nullum aliud verbum, conuenientius apponi potest, vnde si quodcunque aliud apponatur, qua lecumque sit illud, non conficietur Sacramentum *ita Fagundez.*

Nu. 8 Particulam illam (enim) iam supra diximus, non esse de essentia formæ, huius Sacramenti, sed esse de præcepto Ecclesiæ.

Nu. 9 Particula vero (calix sanguinis) exponenda est, circa quam, primo dubium non est, quin loco illorum, poni possit, sola vox (sanguis) in recto, dicendo, Hic est sanguis meus, sicut *Matthæus, & Marcus* dixerunt quia illis verbis, sufficienter significatur conuersio vini, in sanguinẽ Christi, quo circa, non immerito dubitabitur, cur Ecclesia latina, præter missa hac forma *Marci, & Matthei*, quæ clarior est, quam illa, qua modo vtitur, Hic est enim calix sanguinis mei, istam elegerit, respondet *Suar. in 3. par. quæst. 79 sect. 2. §. Solum ergo*, primo sufficere Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vt credamus, conuenientissimum fuisse, vti his verbis, secũdo quia *Paulus 1. Corin. 11. & Lucas cap. 22* nomen (calix) & nomẽ (sanguis) apposuerunt, quidem non in recto, sed in secto casu, dicendo Hic est calix, nouum testamentum, in meo sanguine, & verisimile est, D. Petrum huiusmodi uerba Romanæ Ecclesiæ tradidisse, uerum legite *Suarium vbi sect. 2. §. Sed Quæres* ait licet, non sit mutatio substantialis, mutare illa uerba. Hic est calix sanguinis mei, in hęc. Hic est, sanguis meus, quia uerisimile est, Christum fuisse, hac forma usum, ut *ex Mattheo, & Marco* colligi potest, nihilhominus tamen, in Ecclesia latina existimat, non posse fieri hanc mutationem, sine graui peccato, non solum propter scandalum, sed etiam propter Ecclesię consuetudinem, & traditionem, a qua non licet in re tam graui discordare.

Sicut i §. *Tandem quæres* censet *Suar.* uerius esse, non esse mutationem substãtialem, si quis mutaret usitatam formã, in illa uerba *Lucæ* Hic est calix, nouum testamentum, in sanguine meo, uel in illa *Pauli* Hic calix, nouum testamentũ est, in meo sanguine, tamen graue esset peccatum illam mutationem facere, propter traditionem Ecclesiæ, & propter rationes supra tactas. Nu. 10

Et propter hanc rationem dicas, licet ualeat ista forma, in qua, loco calicis poneretur, uas, aut poculum, dicendo, Hoc est uas, aut poculũ sanguinis mei, scilicet continens sanguinem meum, cũ hæc locutio eamdem retineat significationem, & eundem contineat sensum, atque illa. Hic est calix, sanguinis mei, tamen graue esset peccatum, illam mutationem facere, contra Ecclesiæ ritũ, utitur enim Ecclesia, nomine calicis, nõ uasis, aut poculi *ita Fagundez precep. 3. lib.* Nu. 11

lib.2.cap.7.num.11.fine vbi num. 12. habet similiter peccare contra reuerentiã sacramento debitam, si quis animaduertenter,& voluntarie dicat sanguinẽ, vel sanguine, aut sanguini, aut quid simile, quamquam Sacramẽtum sit validũ, cum remaneat idem sensus, in quo à Christo domino dictum fuit, hoc nomẽ, & idem dicendũ est, de hac voce (mei) semper Sacramentum erit validum, siue dicatur mei, siue meum, aut meo, vel mea, cum idem sensus maneat, modo dicto *hac* Fagundez.

Nu. 12 Sed Quæres, quid si Sacerdos diceret. Hic est calix, sanguinis Christi, an hæc forma valeat, respondet Fagundez *præcep.3.lib.2.cap.7.nu.12.* non valere, nec Sacramentum confici, quia cum proferat verba consecrationis, nomine Christi,& in persona Christi, videtur tunc significare, ex modo,& vi verborum, sanguinem non esse suum proprium, sed alicuius tertiæ personæ, *vbi num.13.* asserit nunquam loco sanguinis, poni posse vinum, quia tunc non fiet Sacramentũ, cum vinum non sit, sanguis Christi, sed conuertatur, in Christi sanguinem, ex vi verborum consecrationis, quæ in persona Christi Sacerdos profert. Vnde hæc propositio est falsa, vinum est sanguis Christi, hæc autem vera, vinum cõuertitur in sanguinem Christi, aut ex vino fit sanguis Christi, hæc ingeniose Fagundez.

Nu. 13 Verum, an calix sumatur methaphorice,& metonymice, pro vino in eo cõtento, non pro sanguine, vt sensus sit. Hoc est vinũ, sanguinis mei, idest quod conuertitur, vel concursum est in meũ sanguinem vide *Fagũdez loco supra citato,& Suarium to.3.in 3.par.disp. 60.sect. 2.S.Secundo solum ergo* vbi habet cauendum est, asserere calicem sumi, metonymice, pro contento, & non pro sanguine, sed pro vino, verum apud hos, de his,& alijs particulis, & vtrũ Ecclesia, conuenienter addiderit huic formæ, aliquas particulas *vide Suarium sect.3. loco supra citato* vbi singillatim omnes illas particulas explicat.

Nu. 14 Tandem ex his duabus materijs, & formis partialibus consecrationis, efficitur vnum,& integrum Sacramentum Eucharistiæ,& licet sub qualibet specie sit totus Christus, nõ tamen omnia, quæ sunt ipsius continentur, eodem modo nam sub speciebus panis, solum continetur corpus Christi, ex vi verborum consecrationis, quibus ipsum corpus expresse significatur, per concomitantiam vero, seu ratione connaturalis cõnexionis, sunt sanguis, anima, diuinitas, & tota Trinitas, & essentia, capilli, vngues, humores. Sub speciebus vero, vini, ex vi,& significatione verborum, est solus sanguis, corpus autem, & reliqua, per concomitantiam,& hæc de forma, vt autem personã ministri explicemus.

QVAERES QVARTO.

Quis nam sit, minister huius Sacramenti.

ANte omnia, vt distinctius procedamus, animaduertendum esse puto, duo scilicet esse in primis considerãda. Vnum esse ipsam consecrationem, & confectionem Sacramenti. Alterum vsum,& illius collationem, vnde duo esse debent ministri, alter consecrationis,& confectionis Sacramenti, alter vero collationis eiusdem ita colligitur *ex D.Tho.in 3.par.quæst.82. artic.1.in corp.* vbi concludit,& ideo dicendũ est, quod proprium est Sacerdotum, conficere hoc Sacramentum, ecce minister consecrationis,& confectionis huius Sacramenti, *& ar.3.in princ.corp.* habet respõdeo dicendum, quod ad Sacerdotem pertinet, dispensatio corporis Christi, ecce minister collationis *ita etiam Suar. quæst.82. in commentarijs articuli primi* Fagundez *præcep.3.lib.3.cap.1.nu.1.* quare minister consecrationis,& confectionis huius Sacramẽti, solus est Sacerdos, itaut nullus alius, qui careat charactere sacerdotali,& Sacerdos nõ sit, possit valide consecrare, & conficere corpus,& sanguinem Domini nostri Iesu Christi, vt de fide definit *Trid.sess.23.cap.1.* docens Sacerdotium, ab eodem Domino Saluatore nostro, institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus, in Sacerdotio potestatem traditam esse, consecrandi, offerendi,& ministrandi corpus,& sanguinem eius,& licet *Trid.* non dicat expressis verbis nullum aliũ, posse vere,& valide consecrare, & conf- Nu. 1

fice-

ficere hoc Sacramentum, præter Sacerdotem, tamen ex verbis cōcilij satis expresse colligitur, ait enim *concilium* Sacerdotium institutum esse à Christo, atque Apostolis eorum successoribus, in Sacerdotio potestatem traditam esse, consecrandi & offerendi, ex quibus verbis satis excluduntur, omnes alij, qui Sacerdotes non sunt, & charactere Sacerdotali carent, quare iam patet, quo ad primum, huius Sacramenti ministrum, verum vt ministrum collationis explicemus.

Nu. 2 Respondeo dicendum, ex iure diuino, solos Sacerdotes, habere ordinariam potestatem administrandi sacram Eucharistiam vt habetur *ex D Thom. in 3. par. quæst. 82. art. 3.* Et licet in hoc articulo non addat hoc esse de iure diuino, tamen sensus D. Thomæ hic est, vti probat *Suar. in 3. par. disp. 72. sect. 1. § Dico primo* vbi hoc probat præcipue *ex Trid. sess. 13. cap. 8.* vbi traditione Apostolica, descēdere dicit, vt laici à Sacerdotibus communionem accipiant, nam semper hic mos fuit in Ecclesia obseruatus, & patet quia vt ait *Suar.* nunc loquimur de potestate ordinis, non iurisdictionis, de qua infra, hoc posito, probari potest supradicta propositio, quia solus Sacerdos sacrificat, & consecrat, & Deo offert ergo ad illum solum, etiam spectat, quæ Deo obtulit, populo ministrare, & eo iure, quo obtulit: obtulit autem iure diuino, ergo ad eum spectat iure diuino, Sacramentum hoc, populo ministrare: secundo quia actus dispensandi, & conferendi Sacramentum Eucharistiæ, est actus ordinis, non iurisdictionis, vt habetur *ex Trid. sess. 23. cap. 1. loco supra citato* vbi ostendimus Sacerdotibus, ex vi Sacerdotalis ordinis, traditā fuisse à Christo domino, potestatem consecrandi, offerendi, ac ministrandi hoc Sacramētū, ergo ratione ordinis Sacerdotalis, solis sacerdotibus conuenit, & ad eos solum spectat; ex officio, & auctoritate iure diuino, hoc Sacramentum, populo ministrare, ac conferre, verum legite *Suar. loco supra citato §. Atque hinc etiam Fagundez loco citato num. 1. vbi num. 4.* probat licet solis Sacerdotibus iure diuino, data sit potestas conferendi hoc Sacramētum, ex officio, & auctoritate, non tamē est necessarium, vt semper per se ipsos illam exequantur, imo ex dispensatione Ecclesiæ, per alios id facere possunt, vti olim, ex dispositione Ecclesiæ, dum fideles sub vtraque specie communicabāt, Diaconi iussu Sacerdotū, ministrabant, ac conferebant laicis per fistulam argēteam sorbentibus, potum sanguinis ex calice.

Hæc olim, at vero nunc, iuxta præsentem praxim Ecclesiæ, soli Sacerdotes possunt per se dispensare hoc Sacramētum, in casu vero necessitatis, possunt id committere, tantum Diacono, non subdiacono, nec laicis *ita expresse Suar. in 3. par. disp. 72. sect. 1. §. Dico tertio ita etiā D. Thom. in 3 par. quæst. 82. art. 3. ad primum* vbi habet. Ad Primum ergo dicendum, quod Diaconus, quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de eius officio, vt scilicet dispenset sanguinem, nō autem corpus, nisi in necessitate, iubente Episcopo, vel Presbitero *Fagundez precep. 3. lib. 3. cap. 1. nu. 5. & alij* cuius ratio est, quia supposita consuetudine, quæ hodie viget in Ecclesia cōmunicandi populum, sub vna tantum specie panis, ad maiorem reuerentiam tanti Sacramenti, spectat vt à solis Præsbiteris, Eucharistia ordinarie dispensetur, & vt in necessitate dispensetur infirmis à Diacono, tantum, ex licentia Episcopi, vel Parochi, nam dispensatio sanguinis, quæ olim, per Diaconos fiebat, *vti ex D. Tho. ad primum loco supra citato* colligitur iam cessauit: item nullibi in casu necessitatis, hoc posset committi Diacono, per Episcopum, aut Præsbiterum, est specialiter ab Ecclesia prohibitum. Nu. 3

Verum an necessaria sit, iusta causa, vt hæc facultas concedatur, & vt is cui conceditur, ea legitime vtatur, nam *Sil. verb. Diaconus* significat præceptum Episcopi, vel Præsbiteri sufficere, etiam si nulla subsit causa, tamen respondet *Suar. in 3. par. disp. 72. §. Dico tertio*, & optime necessario requiri iustam causam, ad concedēdam hanc facultatem, quia iura, quæ concedunt hanc facultatem, expresse requirunt rationabilem causā, ergo nulla iusta causa intercedente, iniquum, & contra iura esset tale mandatum, ergo non obligaret, imo neque ei Nu. 4

Y obe

obediri posset, addit *Suar.* quando certo constaret, nullã interuenire huiusmodi causam, secus vero esset, quando hoc non constaret, quia tunc parendum esset superioribus, vel credendum Episcopo, aut Præsbitero causanti impedimentum, quamuis inferiori esset ignotum, maxime quia nõ oportet, hanc causam esse extremam, sed moralem, vt quod Sacerdos sit debilis, uel infirmus, uel quid simile, quo fit si præter Diaconum, sint alij Præsbiteri, qui possint, uel uelint Eucharistiam ministrare, non posse Episcopum, aut Præsbiterum id committere Diacono, neque Diaconũ illud acceptare, quia iam cessat omnis necessitatis ratio, & fortasse ob hãc causam, fere nunquam hoc munus, per Diaconos exercetur, quia nunquam moraliter loquendo talis occurrit necessitas, est enim magnus Sacerdotum numerus Diaconi uero pauci sunt, & breui tẽpore, in eo solo gradu consistunt, & ubi cõtingit unum tantum esse sacerdotem, uix reperietur unquam, quod Diaconũ habeat, qui sibi ministret *hæc Suarez.*

Nu. 5 Quid uero facturus sit Diaconus, quã do urget necessitas communicandi infirmum, & nullus adest Sacerdos, qui uel id per se faciat, aut facultatem faciẽdi Diacono tribuat, uel certe si adest, neutrum prestare uelit, sed hominem potius deserere, ut sine uiatico moriatur, respondet *Bonus Senex loco supra citato §. Difficultas vero* in primo casu, si tanta sit necessitas, ut moraliter timeatur proximum, sine uiatico discessurũ, tunc Diaconum posse illud dispensare, uel quia tunc præsumitur interpretatiua uoluntas pastoris, uel certe quia pro tali casu, iure communi censetur illi talis facultas concessa.

Nu. 6 Verum circa hoc aduerte, quod licet *Suar. loco supra citato* id concedat in periculo mortis, & in extrema necessitate at uero *Tol. lib. 2. cap. 28 num. 2.* absolute asserit, id licere Diacono, quando necessitas esset, ut si quis infirmatur, & Sacerdos non adest, uel non potest, ubi uides, non requirere *Tol.* extremam necessitatem, & quod timeatur proximi periculum, & quod sine uiatico discessurus sit, uti aiebat *Suar.* quare *Fagundez præcep. 3. lib. 3 cap. 1. num. 8. ex sententia Tol. & Henri apud ipsum citatorum* colligit ad hoc præstãdum sufficere necessitatem, seu infirmitatem proximi, licet non ita sit extrema, imo sufficere maximũ solatium quod ex communione, & susceptione Eucharistiæ, accipiet infirmus, & hæc de primo casu.

At vero in secundo casu, quãdo idest in necessitate extrema, & in proximo periculo mortis, si improbus Parochus, vel Episcopus præsens, nolint hanc licẽtiam Diacono concedere, nec velint, id per se efficere, sed velint prorsus infirmum, sine viatico discedere, licet *Sil. citatus apud Suar. in 3. par. disp. 72. sect. 1. §. Difficultas vero est vers. At vero* negatiue respondeat, quia Diaconus non potest hoc facere, nisi vt instrumentum *Præsbiteri*, aut Episcopi, in hoc autem casu, morale instrumentum esse non potest, cum principale agens, illud non moueat tamen *Suar. cum Soto* affirmatiue respondet, quando necessitas tanta est, vt viaticum sit ægro ministrandum, quia præsentia Sacerdotis, sua potestate abutentis, pro absentia reputanda est, secundo recurrendum est, velle Episcopum in eo casu, eam concedere, aut Papam, si Episcopus neget, vel certe, si necesse sit, ad Christi voluntatem, quæ in eo casu, censetur dedisse huiusmodi facultatẽ, semper autem supponendum esse ait *Suar.* & nullum esse graue scandalum, & satis constare sacerdotis, vel superioris voluntatem, hanc facultatem negantis esse iniquam, nam si fortasse aliquam iustam, & rationabilem, suæ negationis causam habeat, tunc cessaret, ratio præsumptionis, eiusque voluntati merito parendum esset. Nu. 7

Item dicendum est, munus hoc ministrandi Eucharistiam, non esse committendum inferiori clerico, infra Diaconum, & multo minus laico, *ita communiter omnes Suar. in 3. par. disp. 72. sect. 1. §. vltimo*, & patet quia hoc suadet Ecclesiæ consuetudo, nam nunquam legimus hoc Sacramentum fuisse ministratum, per Subdiaconos, ne dum per inferiores maxime laicos, quibus etiam sacra vasa, prohibitum est tangere, multo ergo magis Eucharistiam tradere, quid vero dicendum sit, de casu necessitatis, & ne proximus, sine viatico, moriatur, inclinat Nu. 8

nat *Suarius* id licitum esse, tamen nonnulli, & præcipue *Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 1. num. 10. & 11.* censent etiam in casu necessitatis, non licere, ministrare Eucharistiam Clerico inferiori, infra diaconum, aut ei hanc licentiam dare, & multo minus laico, & redit rationem quia ministratio Sacramenti etiam in casu necessitatis est actus auctoritatiuus ordinis sacerdotalis, qui in necessitate solum conceditur Diaconis priuatiue, & non alijs.

Nu. 9 Et licet, ex Christi institutione sacerdotibus, quibuscunque competat ordinaria potestas administrandi Sacram Eucharistiam, modo supra dicto, vti etiam *tenet Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 20. num. 1.* tamen Ministrum administrantem huiusmodi Sacramentum, non esse quemlibet sacerdotem, sed solum illum, qui habet iurisdictionẽ respectu illorum, quibus illud dispensat, vel qui ab illo facultatem habet *ita Suar. in 3. par. disp. 72. sect. 2. §. In præcedente Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 2. num. 11. Barb. de off. & potest. Parochi part. 2. cap. 20. num. 2.* hæc conclusio est certa, & recepta ab omnibus, cuius ratio est, quia pascere gregem Christi, nõ est munus, cuiuscunque sacerdotis, sed proprij pastoris, propterquod etiam actus publice concionandi, hoc ius aliquo modo requirit, quia est actus pascẽdi oues, ergo multo magis requiritur, in dispensatione huius Sacramenti, quod & est potissimus animæ cibus, & maiorem dispositionem in suscipientem requirir *ita optime Suar.*

Nu. 10 Vnde, qui sine iurisdictione, vel facultate ab habente iurisdictionem concessa, Eucharistiam ministrat, mortaliter peccat, cuius ratio est, quia vsurpat alienum ius, in re grauissima contra voluntatem saltem præsumptiuam Parochorum, & pacem communem, & bonum regimen Ecclesiæ interturbat *ita Suar. loco supra citato §. Hinc sequitur* vbi habet intelligendum autem hoc esse, ex genere suo, quia si intercedat bona fides, & interpetratiua, seu præsumpta voluntas pastoris, probabili causa excusari poterit peccatum, vel omne, vel saltem mortale, ita *etiam Tol. in summa lib. 2. cap. 28. num. 1. Fagundez loco supra citato num. 11. & alij apud hos.*

Vbi aduertas differentiam, quæ est inter hoc sacramentum, & Pœnitentiã, nam in confessione necesse est, vt antecedat iurisdictio, quia ab illa pendet substantia actus, & ideo non sufficit ad illã ratihabitio de futuro, nec præsumptio consensus, postea præstandi, sed requiritur præcedens voluntas dandi iurisdictionem, hic vero, iurisdictio non requiritur ad substantiam actus, sed ad debitum ordinem, & modum, & ideo sufficere poterit probabilis spes, & præsumptio voluntatis pastoris, qui approbaturus creditur, quod gestum fuerit *hæc Suar. vnde Fagundez loco supra citato nu. 12.* etiam habet hoc idem quod dicitur de Sacramento Pœnitentiæ, dicendum esse de matrimonio nam etiam in administratione huius, requiritur licentia, & iurisdictio ad substantiam, & valorem actus, modo quo requiruntur ad edministrationem Pœnitentiæ, verum alijs Sacerdotibus, qui absque licentia saltem interpretatiua, propriorum Parochorum, Eucharistiam administrant, vltra peccatum modo supradicto, sit aliqua pœna, vel censura iure statuta, respondet *Suar. in 3. par. disp. 72. sect. 2. §. Sed inquires* sacerdotibus secularibus, nullam censuram esse iure impositam, *ita etiam Fagundez loco supra citato num. 13.* de religiosis vero infra. Nu. 11

De licentia vero Parochi, valet simplex Sacerdos, Sacramentum Eucharistię in Ecclesia Parochiali, administrare, etiam si ab Episcopo non sit expositus ad sacramenta ministranda, iuxta formam *Concilij Trid* quia ad id non est necessaria, actualis iurisdictio, seu potestas ad absoluendum, sicuti ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed tantum potẽtia ad distribuendum, seu communicandum sacram Eucharistiã, quam habet simplex sacerdos. Vnde, hac facultate ministrandi, recte potest vti quilibet religiosus presbiter, quia *in Trid.* non au fertur à sacerdotibus simplicibus hæc potestas, si habent ad id licentiam, à Sede apostolica, aut Parocho *ita Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 20. nu. 6. Suar. in 3. par. disp. 72 sect. 2. §. Duo vero.*

At habens facultatem, administrandi huiusmodi sacramentum, & si in pecca Nu. 12

to mortali administret mortaliter non peccat, siue in Missa, siue extra Missam alijs Eucharistiam administret, cuius ratio est, quia, qui ministrat Eucharistiã consecratam, non est Minister Dei ad iustificationem proxime, sicuti in alijs sacramentis, sed est tantum, veluti applicans actiua passiuis, in alijs autem Sacramentis, Sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, non autem in hoc, non enim est idem conficere, & alijs ministrare ita inter alios *Vasq. Petrus Ledesma Nugnus Ioa. de la Crux, & alij citati apud Dianam par. 2. resol. moral. tract. 14. de celebratione missarum resol. 23.* quamquam contrarium doceant *Suar. in 3 par. disp. 72. sect. 4. §.* Quarto Fagũdez *præcep. 3. lib. 3. cap. 3. num* 10. *Reg. tom. 2. lib. 29. num. 16. & alij* sed Tu tene opinionem superius allatam, quam probabilẽ putat *Diana*, & nouissime sequutus est *Barb. de off & potest.* Parochi *par. 2. ca. 20. num.* 17. vbi habet, licet Parochus Eucharistiam administrando, si habeat cõscientiam, peccati mortalis, debeat preparare se, ad gratiam, per confessionem, vel saltem per contritionem, nõ peccare tamen mortaliter sic in peccato mor mortali ministrantem.

No. 14 Aduerte tamen, potestatem hanc administrandi, hoc Sacramentum cum iurisdictione, duplicẽ esse. Ordinariam, & Delegatam. Ordinaria residet in Episcopis, in Papa, in Parochis, Delegata vero residet in his, quibus ordinarij Pastores per facultatem, vel priuilegium illam concedunt, vnde his omnibus, & illis solis licita est, hæc dispensatio *ita Suar. in 3. par. disp. 72 sect. 2. §. Secundo dicendum* Fagundez *præcep. 3. lib. 2. cap. 2. n.* 15. vbi concludit hanc potestatem delegare posse Papam, in toto orbe, his Sacerdotibus, quibus voluerit, siue sint religiosi, siue non, Episcopi in sua tantum diœcesi, & alij Parochi in sua tantum Parochia de iure,

No. 15 Quid vero dicendum, de religiosis præsumentibus, ministrare Eucharistiã secularibus, clericis, aut laicis, sine pastorum licẽtia, an vltra peccatum incurrant, aliquam pœnam, vel censuram respondet *Suar. in 3. par. disp. 72. sect. 2. §. Sed inquires* cõtra huiusmodi religiosos, latam esse excommunicationis censurã ipso iure, & Papæ reseruatam, vbi aduertas, ad hoc, vt ab ipsis huiusmodi censura incurratur, necesse est, vt transgressio ex præsumptione fiat, nam qui ex ignorãtia, id facit putans sibi licere, vel ex ratihabitione probabiliter præsumpta, non incurrit hanc censuram, nam verba *Clementinæ religiosi &c. Qui præsumpserint*, hanc vim habent, ex quibus Clementinæ verbis colligitur, hanc censuram comprehendere solum religiosos, qui ministrãt Eucharistiam secularibus Clericis, aut laicis, non vero eos, qui eã administrant alijs religiosis, sine suorũ Prælatorum facultate, item hanc censuram non comprehẽdere, eos religiosos, qui rectores, aut Parochi sunt secularium *ita Suar.* qui etiam habet, hanc censurã, incurrere, etiã religiosos, si præsumpserint, Eucharistiam ministrare, siue in necessitate, & per modum viatici, siue extra illam, siue publice, siue occulte, cuius ratio est, quia licet poterat, id efficere licite, si sine præsumptione, administrauerint, ex bona fide, & ratihabitione de futuro, at cum per præsumptionem administrent, animo vsurpandi ius alienum, merito talis actus externus, ea cẽsura castigatur, & punitur *ita Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 2. num. 14. circa mediũ quamquam Bonacina de sacr. disp. 4. quæst. 5. puncto 1. num. 10. citatus apud* Barbos. *de off. & potest.* Parochi *par. 2. cap. 20. nu.* 7. credat excusandos religiosos, communicantes in articulo mortis: cogente scilicet necessitate infirmos, sine licentia proprij sacerdotis, sed de hoc infra.

Et licet per priuilegia, quarumdam religionum, à Summo Pontifice concessa, post dictam Clem. primã, possint regulares, non requisita licentia Parochi, omnibus Christi fidelibus, sacram Eucharistiam, in suis tẽplis, per se, vel per alios sacerdotes, ministrare vt patet ex priuilegio *Nicolai V. Sixti 4. & Leonis* X. non tamen possunt ingredi, alterius Parochiam, vt Eucharistiam fratribus, ac sororibus tertij ordinis tribuant *ita Barb. loco supra citato num.* 8. possunt etiã regulares id ipsum committere, alijs Sacerdotibus secularibus, in suis Ecclesijs ministrantibus, ex priuilegio *Iulij secundi*, & simile priuilegium habent etiam religiosi Societatis Iesu cõcessum *à Paulo* No. 16

lo

lo 3. vti refert Fagundez pracep. 3. lib. 3. cap. 2. num. 16. quin imo Miranda citatus apud Barb. *loco supra citato* ait non esse necessarium, quod huiusmodi *Præsbiteri* seculares sint expositi, & approbati ab Episcopo, vt in religiosorum Monasterijs, possint Eucharistię Sacramentũ ministrare.

Nu. 17 Item refert *Fagundez pracep. 3. lib. 3. cap. 2. num. 16 instta* per priuilegia quarumdam religionum à Summo Pontifice concessa, posse regulares, per se ipsos, vbique terrarum, quouis anni die, ministrare Eucharistiam secularibus, excepto (solo die Paschatis Resurrectionis) vt patet *ex comprndio mendicantium* §. 5. & licet habeant huiusmodi priuilegia, tamen semper Pontifices excipiunt diem Paschatis, seu diem Resurrectionis, in quo die specialiter exigunt Pontifices Parochi, aut Episcopi licentiam, uti etiam patet ex priuilegio *Nicolai V. & Xisti IV. & Leonis* X. in quo etiam hanc exceptionem, diei Paschatis, apponunt, quare cum difficultatem habeant huiusmodi priuilegia.

Nu. 18 Quæres, an huiusmodi verba, intelligenda sint, de ipso tãtum die Paschatis, & Resurrectionis, ita ut solum eo die, nõ possint licite religiosi Eucharistiam ministrare secularibus, in suis Ecclesijs, & templis, siue communicent ex deuotione, siue ex obligatione, & animo implẽdi Ecclesiæ præceptum annuale, & reliquo tempore paschali, possint, tam ex deuotione, quam ex prædicta obligatione, an vero sint intelligenda, itant non possint administrare secularibus Eucharistiam, in suis proprijs Ecclesijs, quando ipsi seculares communicant, animo implendi præceptum: possint vero ex deuotione, etiam in ipso die Paschatis, & licet circa hanc difficultatem, sint, qui asserant excipi tantum diem ipsum materialiter paschatis, itaut transacto die Paschatis, posse regulares administrare Eucharistiam secularibus, etiam ad implendum præceptum, & adducunt *decisionem Sacra Congr. Concilij sub die 2. Martij* 1619. cuius declarationis verba ita se habent *Fuit dubitatum an die Paschatis fratres possint administrare populo, sanctissimam Eucharistiam S. Cong. censuit non posse, stãte quod, in priuilegio* Eugenij *IV. hoc eis interdicitur expresse pro illa die.*

Tamen verior sententia, docet verba priuilegij intelligenda esse formaliter, non de ipso die Paschatis, sed quod non possint religiosi, ministrare Sacramentum Eucharistię, in suis templis, secularibus, quando illi communicant, in eis adimplendum præceptum, communionis annualis, tempore Paschatis, siue illud Pascha comprehẽdat octo, vel quindecim dies, siue de more alicuius regni, comprehendat etiam totum illud tempus, quod intercedit à prima die quatragesimæ, vsque ad dominicam in albis, ita *Suar. in 3. par. disp. 72. sect. 2. §. Cen eo igitur* vbi habet excipi solam communionem, qua impletur hoc præceptum, in Paschate, siue fiat, primo die siue quolibet alio sufficiente, & è contrario, si præceptum iam impletum est, in Parecia, ante illum primum diem, vel postea implendum est, non censet *Suar.* esse per se, exceptum primum diem Paschatis, in quo minus in eo possint religiosi, vti suis priuilegijs, & ministrare hoc Sacramentum *ita etiam Fagũdez pracep. 3 lib. 3 cap. 2. num.* 18. qui etiam excipit solũ illam communionem, quæ fit ex obligatione huius præcepti, quocumque die, fiat, vnde si ante diem Paschatis, iam satisfactum est, obligationi præcepti, licite posse, seculares communicare, ex deuotione in Ecclesijs mendicantium, ipso die Paschatis, quia non tam verba materialia prinilegiorum, quam mens Pontificum spectanda est, voluerunt enim Parochis prospicere, vt certi esse possint de suorum subditorum communione, si eos videant Paschali tempore, in sua Parochia communicantes, si autem Parochiani in Parochia sua, semel communicent tempore paschali, nihil omnino Parochis adimitur, & si iterum eodem durante tempore Paschali in alia Ecclesia, sacram communionem accipiant, ita etiam *Layman citatus apud Barbos. de off. & potest. Parochi par. 1. cap 20 nu. 10.* Nu. 19

Verum an regulares, virtute suorum priuilegiorũ, possint ministrare Eucharistiam vagis, aduenis, & peregrinis, in die Paschatis, ad implendum præceptũ, annuæ communionis, licet negatiue respondeat *Peregrinus citatus apud Dianã par. 2. tract. 2. de dubijs regularium resol.* Nu. 20

12.

12. qui inter alia habet, poſſe hos confluere ad Eccleſiam Cathedralem, & matricem, quia videtur eſſe Parochia vniuerſalis, totius diœceſis, tamen non mihi diſplicet contraria ſententia: quã inter alios docuit *Sanch. de matr. tom. 1. lib. 3. diſp. 23. num* 17. vbi infert, quamuis, nec per religionis priuilegia, nec virtute Bullæ Cruciatæ, liceat miniſtrare Euchariſtiam, niſi ſoli Parocho reſpectu ſuorum Parochianorum, in die Paſchatis, eo quod excipiatur illa dies, in priuilegijs, & in bulla, licere tamen priuilegiorum talium, aut bullæ virtute, miniſtrare vagis, aduenis, & peregrinis, qui in eo oppido, minime habitationis Parochiam contraxerunt, quia nec habitarunt, nec animum habitãdi habent, maiori anni parte. Probatur quia ea limitatio diei Paſchatis, fuit in Parochorum fauorem, quo eis nõ inferretur iniuria, omneſque ea die ad propriam Parochiã confluerent, ſed in hoc caſu, non irrogatur iniuria Parocho, cum vagi parochia præſcripta careant, peregrinique à propria diſtent, nec ea, in qua breui tempore hoſpitantur, ſit propria, ergo exceptio illa, non comprehendit hunc caſum, ſed manebit reſpectu horũ, priuilegiũ generale, miniſtrandi Euchariſtiam.

Nu. 21 Et confirmat ſuam ſententiam quia *Clem. 1. de priuilegijs* excommunicantur religioſi, miniſtrantes Euchariſtiã, abſque Parochi licentia, tamen aliqui Doctores, dicunt nomine Parochi, eam licẽtiam conceſſuri, non intelligi eius Parochiæ præfectum, in quo breui tempore hoſpitantur, peregrini, ergo huic Parocho, non irrogatur iniuria, nec etiam parocho proprij domicilij, cum Peregrini, & viatores ex generali vſu dum abſunt à Parochia poſſint, vbi reperiuntur fateri, & Euchariſtiam recipere ergo virtute bullæ, & priuilegiorum religionis poteſt eis etiam in die Paſchatis miniſtrare Euchariſtiam.

Nu. 22 Secundo probat etiam ſuam ſententiam, quia ex tacita licentia proprij Parochi abſentis, miniſtratur Euchariſtia his peregrinis, ergo cum ea licentia non ſit reſtricta, ab ipſo Parocho, nec vſu, poterunt recipere Euchariſtiam, à quocũque, qui aliàs poterat miniſtrare: item quãuis *Clemen. prima de priuilegijs* interdicatur religioſis, ſub excommunicatione ne miniſtrent eo die Euchariſtiam, ſine licentia proprij Parochi, tamen ea exceptio, diei Paſchatis, fuit introducta, in fauorem Parochianorum, & vt ſaltẽ eo die, & tempore, omnes Parochiani ad ſuam parochiam confluerent, ſed in hoc caſu, nulla ſit iniuria Parochis, cum huiuſmodi vagi, & peregrini, non ſint ſui parochiani, & propria parochia, in eo oppido careant ergo,

Nec obſtat ait *Sanch. decreuiſſe Eugenium* 4. huiuſmodi vagos, & peregrinos adipiſci incolatum, ad Sacramenta, & Euchariſtiã tempore paſchali, licet ibi modico tempore ſteterint, quia hoc cõceſſit in fauorem peregrinorum, ad tollendos eorum ſcrupulos, non tamẽ eos obligauit, vt alienis Parochis ſubijcerẽtur, ſed reliquit eos iuris communis diſpoſitioni. Nu. 23

Nec obſtat ait demum *Sanch.* aliquos dicere, teneri peregrinos confluere ad Eccleſiam Cathedralem, & matricem, quaſi ſit Parochia vniuerſalis totius diœceſis, ſed hoc inquit non obſtat, quia verius eſt, non teneri ad Eccleſiam matricem confluere, ſed poſſe in qualibet oppidi Parochia, ſacramenta percipere, quando in nulla parochia, habitationem requiſitam, vt cenſeatur illa propria, cõtraxerunt, quia nullo iure, probatur Eccleſiam Cathedralem, eſſe communem totius diœceſis hæc *Sanch.* quem adducunt pro hac ſententia *Fagundez praecep. 1. lib. 1. cap. 8 num. 5. Diana loco ſupra citato reſol.* 12. Nu. 24

Demum, quidquid dicant alij, poſſe religioſos recte, & licite in articulo mortis, non ſolum ex priuilegio particulari, ſed etiam de iure communi, ſeu potius de priuilegio, iure communi inſerto, ſecularibus Euchariſtiam adminiſtrare, deficiente Parocho *ita Fagundez praecep. 3. lib. 3. cap. 2. num. 20. vbi fine* ait hanc opinionem tenẽdam, & ſine ſcrupulo ſequendam eſſe, cum ſit magis pia, & conſentanea pietati Eccleſiæ catholicæ, his igitur dictis, vt aliqua adnotemus, non ſolum circa miniſtrum conſecrationis, verum etiam circa miniſtrum collationis. Nu. 25

QVAE-

QVAERES QVINTO.

An plures Sacerdotes,possint vnam, & eã dem hostiam consecrare.

Nu. 1 TAngit hoc dubium D *Th.in 3. par. quæst.82.art.2.* propter ordinariã consuetudinem quando noui ordinati, Episcopo ordinanti cõcelebrant, & omnes simul eamdem formam proferunt, & eamdem hostiam consecrant, quare iure optimo quærimus hic, an hic modus consecrandi, sit licitus, & validus, & an plures Sacerdotes possint simul, eamdem hostiam consecrare, id quod multis modis accidere posset, & Primo si vnus, vnam partem consecrationis nõ totam, & alius aliam, & sic de cæteris dicat. Secundo si duo, vel plures, integre proferant, totam formam, cum vera intentione consecrandi, & alter eorum prius tempore, illam absoluat quã alij. Tertio si duæ, vel plures formæ, simul, & in eodem instanti, absoluantur.

Nu. 2 Respondet ad hoc Quæsitum *Suar. in 3.par.disp.61.sect.4.§.Prior pars* certum esse primo, quo ad primam partem nostri Quæsiti, nõ posse plures ministros, concurrere ad consecrandum hoc Sacramentum, vt causas partiales, ex parte formæ, itaut, vnus proferat partem formæ, alius aliam partem, quia tunc nullus illorum proferret formam integram, neque ex verbis diuersorum hominum, vna forma cõponi potest, quia in persona Sacerdotis consecrantis, repræsentari debet persona Christi, & ideo vna esse debet, sicut Christus est vnus, aduertenter dixit *Suar.* ex parte formę, quia ex parte materiæ fieri potest, vt vnus consecret partem, vnius hostiæ, alius vero reliquam partem, si vterque certam, ac definitam partem, sua intentione designet, tunc vero illi, non sunt causæ propriæ partiales, quia vnusquisque, suam consecrationem, vt integra causa perficit, tamen vt asserit *Fagũdez præcep.3 lib 3 cap 2.num.2.* fieri non posse, vt omnes valide consecrent, partialiter eamdem hostiam, vel eamdem partem hostiæ proferendo, vnus vnam partem formæ & alius aliam, & idem etiam patet, in forma Baptismi, quia si vnus diceret, Ego te, & alter diceret Baptizo, & alter adderet, In nomine, & vltimus diceret, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, profecto non esset valida hæc forma baptizandi, cum sit contra Christi institutionem.

Quod vero attinet ad secundam Quęsiti partem, respondet *Suar. loco supra citato §. Dico secundo,* si duo, vel plures Sacerdotes, integre proferant formam, & vnusquisque habeat intentionem consecrandi, si tamen alter eorum prius tẽpore absoluat formam, quam alius, ille prior consecrat, & alij non consecrant, & hæc sententia verissima est *apud Suar.* quamuis nonnulli, ex antiquioribus contradicere videantur, cuius ratio est, quia, integra forma consecrandi, cadẽs super debitam materiam, cum primum perficitur, constituit, seu conficit Sacramentum ergo forma postea superueniens, nihil potest efficere, quia iam inuenit factum, tum etiam quia, iam non cadit super debitam materiam, quia materia consecrationis, non est res prius cõsecrata, sed panis, vel vinum, antecedẽs iam patet quare. Nu. 3

Vt tertiæ Quęsiti parti satisfaciamus, dicendum est cum *Suario loco supra citato §. Dico tertio* si duo, vel plures proferant eamdem formam, & simul, & in eodem instanti, eadem forma, absoluatur ab omnibus, omnes efficere eamdem consecrationem patet, quia omnes illæ formæ, proferuntur à debitis ministris supra debitam materiam, & debita intentione, ergo vel omnes efficiunt, eamdem consecrationem, & sacramentum, vel nullam, quia non est maior ratio de vna, quam de alia, at non est dicendum nullam efficere, quia ibi concurrunt omnia necessaria, ad confectionem Sacramenti, & nihil contra eius essentiam, reperitur, ergo singulæ efficiũt ita etiam *Fagundez proximo loco citato num. 4.* Nu. 4

Ex his collige quid dicendum, quando multi simul noui ordinati, cum Episcopo ordinante consecrant eamdem hostiam, quis eorum conficiat Sacramentum, nam vt ait *Suarez in 3.par. disput.61.sect.4.§. Ex his* ratio difficultatis est, quia humano modo loquendo, non possunt omnes illæ formæ, in eodem instan- Nu. 5

stante phisico absolui, ex quo videtur sequi consuetudinem Romanæ Ecclesiæ in ordinādis de nouo sacerdotibus, & modum consecrandi, omnes simul, cum Episcopo esse contra rectam rationem, quia exposita est multis periculis. Primo vt Episcopus, qui est principaliter sacrificans, nihil conficiat, secundo vtà multis proferantur verba, super materiam consecratam, vel tertio vt multi inaniter, ac frustra verba proferant, nihil efficiēdo, quare propter hæc, multi, multa dixerunt, quando sunt, qui hāc Romanæ Ecclesiæ consuetudinem improbauerunt, asserentes licet Romana Ecclesia, vt particularis quædam Ecclesia, illam seruet, tamen non obseruari in vniuersa Ecclesia, nam in Maguntina aliter ordinantur, vt refert *Gabr. citatus apud Suar. & alij vnde Suar.* respondet nullo modo sentiendum esse illam consuetudinem esse malam, simpliciter loquendo, & huiusmodi modum consecrandi esse malum, per se loquendo, tū propter Ecclesiæ Romanæ auctoritatē, à tot sæculis, & Pontificibus approbatā, tum quia plures aliæ Ecclesiæ, illum obseruant, quare alij, vt hanc consuetudinem defendant, varie ad Quæsitum respondent.

Nu. 6 Verum breuitatis causa, Respondeo dicendum quando multi, simul cum Episcopo ordinante, consecrant eamdem hostiam, si omnes simul, & in eodem instanti, verba consecrationis absoluant, licet omnes consecrant, & efficiunt simul sacramentum, vti supra diximus *ex Suar in 3 par. disp. 61. sect. 4. §. Dico tertio*, tamē quia humano modo loquēdo, non possunt omnes illæ formæ, in eodem instanti phisico absolui, ideo dico si Episcopus, prius absoluit, vt communiter fit, ille solus consecrat, & non alij quia iam inueniunt materiam consecratam, & Episcopi recta intentio nō debet, ab illorum intentione, & consecratione pendere.

Nu. 7 At vero si aliquis, ex nouis Sacerdotibus, forte prius formam absoluat, quam Episcopus, tunc nonnulli asserunt, illū nouum Sacerdotem, non consecrare, & similiter nullum illorum, si prior Episcopo absoluat, quia omnes se referunt ad Episcopi prolationem, & sub ea conditionata intentione, formam proferūt, vt nolint perficere consecrationem, si prius ipsi, quam Episcopus, verba finiant, & non opus esse, vt hanc intentionē conditionatam expresse habeat, sed sufficere virtualem, quam omnes habent cum ad ordines accedunt.

Nu. 8 Alij vero dicunt, solum Episcopum consecrare, & proferre verba formaliter, & cum intentione consecrandi, cæteros vero materialiter tantum, sine intentione consecrandi, sed solum in signum potestatis, sibi à Christo concessæ, & in memoriam illius cœnæ, in qua Christus Apostolos ordinauit, & cum eis cęnauit, & probant quia illi non cōmunicant, sub vtraque specie, atque adeo, non communicant, vt sacerdotes sacrificantes, & missam celebrantes, ac proinde non sacrificant, nec Sacramentum conficiunt, & hic modus explicandi est *Gae. quæst. 82. art. 2 citati apud Suar. in 3 partem disp. 61. sect. 4. §. Aliorum ergo, qui §. Quo circa*, tandem hunc vltimum explicandi modum approbat, dicens sibi placere *Gae.* consilium vt scilicet hi sacerdotes, intendant proferre verba, meliori modo, quo possunt, huiusmodi autem existimat, in primis, vt nullo modo præsumat, præuenire Episcopum, in consecrādo, quia reuera hoc est magnum incommodum, & contra intentionem Ecclesiæ, deinde habeant intentionem conditionatam, seu potius disiunctiuam, vel consecrandi simul cū Episcopo, si possunt, sin minus tantum materialiter, verba proferendi, & ita euitantur incommoda omnia, quæ inferebantur *hac Suar. vnde Henriq. citatus apud Fagundez præcepto 3. lib. 3. cap. 2. nu. 5. fine* concludit sed quia res dubia est, an semper Episcopus cōsecret, licet posterius prolationem perficiat curent initiati, qui celebrant vt generali intentione velint facere, quod facit Ecclesia, & Christus dominus faciendum instituit verum, vt melius explicetur consecrātis intentio.

QVAERES SEXTO.

Quenam intentio in consecratione requiratur.

Et

Nu. 1 ET ne totidem idem repetamus, iã supra diximus, triplicem posse esse intentionem, vnam habitualem, quæ non est sufficiẽs, alteram actualem, quæ est optima, tertiam demum virtualem, quæ est sufficiens modo supradicto: itẽ vt materia aliqua maneat consecrata, requiritur, quod Sacerdos applicet, & determinet suam intentionem, ad certam materiam, quod perinde est ac dicere, requiritur, vt quãtitas determinetur per intentionem, ita communiter omnes, & præcipue quomplures Doctores citati *apud Fagundez præcepto 3. lib. 2. cap. 5. nu. 9.* vbi habet ex hoc sequi, quod si Sacerdos accipiat, vel habeat coram se decem formulas, & ex illis intendat, consecrare quinque tantum, non determinando per intentionem, saltem, illas quinque, quas consecrare vult, nullam ex illis decem manere consecratam, quia cum certum sit, quinque non esse consecratas, & ignoretur, quæ sint, nec appareat maior ratio de vna, quam de alijs profecto, nulla ex illis decem consecrata erit, vnde fit, si extra calicẽ maneãt guttæ vini, in pede scilicet calicis, aut in altari micæ panis, quamuis præsentes sint, non maneant consecratæ, quia intentio sacerdotis, non se extẽdit ad illas, fertur enim ad vinum contentũ intra cuppam calicis.

Nu. 2 At vero si accipit, vel habet coram se, vel iubet apponere decem hostias, vel viginti, & casu inuenit octo, aut viginti duas, putans esse decem tantum, aut viginti tantum, omnes consecrat, quia intentio eius virtualis, erat consecrare totum id, quod præsens erat, nisi contrarium determinet, similiter si accipit duas hostias, putãs esse vnam, ambas consecrat *ita Fagundez loco supra citato num. 10. ita etiam Præpositus cum Marcero apud* Dianam *par. 5. resol. 19. §. Aduertendum est*, qui etiam hanc sententiam sequuti sunt dicentes, quod si Sacerdos, qui ante se habet duas hostias, putat se vnicam habere, & intendat vnam consecrare, nihil determinando, vtramque futuram consecratam, idem dicendum est de particulis, quod est valde notãdũ ad tollendos scrupulos vt ait optime *Diana.*

Hinc sequitur etiam, si sacerdos habeat in altari, & petra aræ hostiam, vel Pisydem cum formulis, vel eas secum deferat consecrandas, & postea tempore oblationis, oblitus Pisydis, hostiam tantum offerat, etiam Pisydem manere oblatam, quia intentio illius, erat falsẽ virtualis offerre omnem illam materiã, quam præsentem habebat, pari ratione, si vtrumque obtulit, & hostiam, & Pisydem, & tempore consecrationis, oblitus Pisydis, & formularum sumat præ manibus hostiam, illam consecret, manent etiam formulæ consecratę, quia intentio Sacerdotis ad omnem illam materiã se extendebat *ita Fagundez loco supra citato num. 11. & precep. 1. lib. 2. cap. 7. nu. 15.* quod est valde notandum, cum huiusmodi casus, in praxi frequentissime accidere potest hæc vera sunt.

Sed difficultas est, an si Sacerdos in sacristia habuit intentionem, consecrãdi particulas, positas in Pisyde, quę nõ fuit à Sacrista, vel ab ipso posita super corporale, sed in cornu altaris, an particulæ illæ sint consecratæ, respondet ad hanc difficultatem *Suar. in 3. par. tom. 3. disp. 43. sect. 6.* negatiue. cuius rationem redddit, quia intentio necessaria ad confectionem Eucharistiæ, non est quncũque modo intelligenda, sed solum si materia, habeat præsentiam debitam, & legitimam, quam iuxta morem Ecclesiæ conuenienter, & sine peccato habere debet, verum illa non est conueniens, sed plane illicita, vt reponatur ad latus altaris, extra sacram pallam ergo, &c. & confirmari potest, quia si interrogatus fuisset, sacerdos ante missam, vtrum vellet tali loco, panem consecrare, absque dubio dixisset, se nolle, imo malle, omnino non celebrare, quia id esset manifestum peccatum, & hanc sententiam docent, & tenent *Gauantus apud Dianam par. 3. tract. 6. resol. 103, Marcerus de sacr. quæst. 74. art. 2. num. 3.* *Diana non solum loco supra citato, sed etiam par 5 tract. 14. resol. 19. §. Sed ego.* Nu. 3

Quamquam his non obstantibus, cõtrariam sententiam, probabilem esse putant *Tannerus in 3. par. D. Thom. disput. 5. quæst. 2. dub. 2. num. 76. Ioa. Præpositus in 3 par. D. Thom. quæst. 74. art. 2. dub. 2. nu. 19.* qui absolute, tamquam probabilẽ, docuit hanc contrariam sententiam li- Nu. 4

cet *Tannerus* cum formidine illam sequutus sit, vnde communiter talem sacerdotem, excusat à peccato *Ios. Praepositus* quia inaduertenter fuerunt particulæ illæ positæ, super altare, quas vere consecrat cum habeat virtualem intentionem, has formulas consecrandi, quãquidem sententiam, non audet *Diana par. 5. loco supra citato* tamquam improbabilem damnare,

Nu. 6 Quod si huiusmodi particulæ, pro cõmunicandis laicis, dentur Sacerdoti, nõ solum post offertorium, verum etiam, post præfactionem, ante consecrationẽ, possunt oblatione dictarũ particularũ, mente concepta, vrgente aliqua causa iusta, etiam post præfactionem, ante cõsecrationem, consecrari cuius ratio est, quia oblatio particularum, neque de necessitate sacrificij, neque ex vi legis præceptiuæ, coniungi debet, cum grandioris hostiæ oblatione, sed sufficit vtrasq; simul tempore consecrationis, in eodẽ corporali reperiri, vt omnes verba consecratoria æqualiter recipiant, ita *Marchinus, Megalius, & alij apud* Dianã *par. 6. tract. 6. resol. 7.*

QVAERES SEPTIMO.

An simplex Sacerdos, nullo impedimẽto detentus, peccet mortaliter, non celebrãdo, modo communicet in Paschate, nec adsit scãdalum, aut contemptus.

Nu. 1 PEccare mortaliter respondent aliqui, non infimæ classis Doctores *apud* Dianam *par. 2. tract. 14 de celebratione Miss. resol. 19. initio* at vero ipse, cum Bonac. & alijs contrariam sententiam probabilem putat, vbi §. *Nota vero* habet Doctores pro contraria sententia citatos, docere simplicem Sacerdotem, ter, aut quater celebrantem, in anno, & præcipue in die Natalis, Resurrectionis, Pẽtecostes minime peccare mortaliter, nec teneri alijs vicibus celebrare *vide Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap. 13. num. 10.*

Nu. 2 Verum aduerte, nunquam esse licitũ sacerdoti, celebrare absque communione, & consequenter teneri semper consumere celebrando, ita expresse D. *Tho. in 3 par. quæst. 82 artic 4. in corp* vbi expresse cõcludit, & ideo necesse est, quod Sacerdos, quoties consecrat, sumat integre hoc Sacramentum, quia vt habet *D. Tho.* Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium, quicũque autem sacrificium offert, debet sacrificij esse particeps, & ideo necesse est quod Sacerdos quotiescũque celebrat, ac consecrat, sumat integre hoc Sacramentum, ita etiam *Suar. ibi in comment.* vbi habet quo ad illam particulam (integre) non esse mentem *D. Tho.* necessarium esse Sacerdotem sumere totum, quod consecrat, sed sumere vtramque speciem, & hoc vocat integre, & hoc satis probatur si supponamus, vtramque speciem esse de essentia huius sacrificij, quia oportet Sacerdotem participare de eo, quod est essentiale in sacrificio *ita Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 2. num. 9.*

Aduertas iterum, quod habet *Diana loco supra citato resol. 22.* sacerdotem excommunicatum, celebrantem, nõ committere duplex peccatum, non præmissa confessione, scientem se teneri vinculo peccati, & censuræ, cuius rationem reddit, quia talis sacerdos excommunicatus, celebrans non facit contra duas obligationes, specie distinctas, quia in hoc casu lex humana positiua, prohibet id quod lege diuina prohibitum erat, ob eamdem rationem, vnde concludit ideo Sacerdos, neque vt duo peccata, neque vt circumstantiam aggrauantem, eiusmodi circumstantias confiteri tenetur, & hanc sentẽtiam probabilem vocat quamquam *Suar. in 3 par. disp. 66. sect. 1. §. Dices ergo vers. sed quidquid* contrariam teneat sententiam. Nu. 3

Sicuti etiam aduertas, quod habet *idem doctissimus Diana loco supra citato resol. 24.* sacerdotem in peccato mortali celebrantem, non peccare tripliciter, nempe quia indigne consecrat, indigne offert, & indigne sumit corpus *ita etiam Fagundez præcep. 2. lib. 3. cap. 5. num. 8.* vbi expresse habet, licet qui celebrat in peccato mortali, multis titulis peccet, nẽpe quod consecrat, quod offert Deo, quod ministrat sibi, & sumit sacramentum in mortali, tamen vnum tantum peccatum mortale facit, quia consecrare, offerre, ministrare, & sumere sacramentum, sunt actus subordinati ad rectam Nu. 4

sump-

ſumptionem, diuerſi enim actus, quando alij alijs ſubordinantur, non efficiunt diuerſa peccata hæc optime, & ingenioſe *Fagundez*.

Nu. 5 Quare ex his collige, ſacerdotem celebrantem in peccato, non committere duo peccata, vnum ſcilicet quia celebrat in peccato, alterum quia omittit confeſſionem illius peccati, quia confeſſio in illo tempore, obligat in ordine ad cõmunionem, & vbi eſt vnum propter aliud, eſt vnum tantum *ita Bona. apud* Dianam *loco ſupra citato* §. *Nota etiam.*

Nu. 6 Quid vero facere debeat ſacerdos, qui in altari recordatur alicuius peccati mortalis, & non poteſt excitari ad cõtritionem eliciendam, ad hanc difficultatem reſpondet *Hurtadus de ſacr. diſp.* 8 *de Euch. diff.* 1. *Sic* ſi contingat, vt quis in altari exiſtens recordetur alicuius mortalis non confeſſi, & cuius non habuit, neque habet contritionem, & quãdo recordatur, eſt adeò propinquus cõmunioni, vt pro temporis anguſtijs, nequeat moraliter, ſeu abſque nimia difficultate, ad contritionem excitari, niſi pro tempore aliquo, aliqualiter notabili cum graui nota ſui honoris, ad eam eliciendam detineatur, tunc iſte talis, ab eo peccato excuſabitur, communicando in eo malo ſtatu, quia non eſt contra irreuerentiam Sacramenti debitam, in eo ſtatu accedere, ne notam grauem honoris, incurrat hæc *Hurtadus* at vero *Petrus de* Ocbagauta *apud Dianam part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 98. §. *Sed*, exiſtimat Sacerdotem celebrantem, in tali caſu debere, elicere actum contritionis, quia ad eum eliciendum, ſemper eſt paratum *D*ei auxilium, quæ opinio mihi videtur probabilior, nã *D*eus ſemper eſt paratus præbere auxilium ſuum, ita etiam *Diana loco ſupra citato*, At vero ſi ante Miſſam confeſſus ſit, & poſtea celebrando, peccatum mortale in confeſſione oblitum, in mentem venit ſecundum opinionem *Dianæ par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 48. non tenetur elicere actum contritionis, quia iam iuſtificatus fuit per virtualem pœnitentiam vnde poteſt miſſam ſequi, & poſtea confiteri ſuo tempore peccatum oblitum.

QVAERES OCTAVO.

An Parochi teneantur, quotidie celebrare, & pro ſuis ouibus aliquas Miſſas, applicare.

ET licet *Sotus apud* Suar. *in* 3. *par. diſput.* 36. *ſect.* 1. §. *De beneficijs* aſſerat Parochos ratione beneficij teneri quotidie ad offerendum ſacrificium, pro ſuis ouibus, ratio eius eſt, quia Parochus tenetur quotidie, ad ſacrificandum in ſua Eccleſia, per ſe, vel per alium, ergo etiã tenetur pro ſuis ouibus, offerre; tamen reſpondet Suar. *loco ſupra citato verſ. hæc vero* verius eſſe non habere Parochos huiuſmodi obligationem, ſaltem ad ſacrificandum quotidie, pro ouibus. Nu. 1

Quare communiter reſpondent Doctores Parochos teneri, vel per ſe, vel per alios ſacrificare, ſingulis diebus dominicis, & feſtis, quibus ſui Parochiani, miſſam tenentur audire *ita* Suar. *loco ſupra citato verſ. Deinde dicitur* Fagundez *præcep.* 1. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 8. Barb. *de off. & poteſt:* Epiſc. *par.* 2. *alleg.* 24. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *de celeb. Miſſ. reſol.* 16. *& alij apud hos.* Nu. 2

An vero, ratione officij, & muneris paſtoralis, tenentur Parochi alijs diebus præter dies dominicos, & feſtos ſacrificare, ad quod quidem dubium reſpondet Fagundez non auderem appellare reum peccati lethalis, eum Parochum, qui diebus tãtum dominicis, & feſtiuis, quibus populus miſſam audire tenetur, celebrat, niſi forte in aliquo oppido, vbi eſſet ſcandalum, ſi non ita frequenter celebraret, plebe pie, & religioſe, id deſiderante, & poſtulante. Nu. 3

Vnde *Barb. de off. & poteſt. Paroch. par.* 1. *cap.* 11. *num.* 5. habet etiam Parochos ob plebium ſuarum commoditatem, ac ſubditorum ædificationem, debere in Eccleſijs ſuis, dominicis diebus, & feſtis ſolemnibus, ac alijs etiam diebus, ita frequenter celebrare, quod muneri ſuo ſatisfaciant, & ad nonnullos alios, intra hebdomadam, ſtandum eſt cõſuetudini regionum toleratæ, & obſeruandæ abſque ſcrupulo, vbi *ex Lud. à Sancto Ioanne* bene addit Parochum teneri celebrare diebus non feſtiuis, ad benedic- Nu. 4

tiones nuptiales impartiendas, & pro sepeliendo mortuo, vbi cum missa sepelitur.

Nu. 5 Verum anquādo, tenetur Parochus pro populo missam celebrare, teneatur dictas missas pro populo applicare, quid quid dicat *Barb de off & potest. Epis. par. 2 alleg. 25. num. 25 fine, & in Trid sess. 23 de refor. cap. 1. num. 4. & de off. & potestat. Parochi par. 1. cap. 11. nu. 10. fine* vbi habet licet Parochus, non teneatur ad applicationem sacrificij pro populo singulis diebus festis, teneri tamen Missæ sacrificium, suis ou bus applicare, iuxta boni viri arbitriū, nihilhomin⁹ nō tenetur pro populo, dictas Missas applicare, & ideo potest stipendium, ab alijs pro supradictis missis, sine scrupulo accipere, nisi adsit consuetudo in contrarium, nā Parochis non debentur prouentus pastorales, præcise, vt celebrent ad intentionem populi, sed ratione totius officij pastoralis, *ita Diana par. 2 tract. 14. de celebrat. Mis. resol. 26. §. Sed licet vbi §. Et etiam affert Possevinum de off. Curati cap. 2. num. 4. & alios* afferentes, etiam si adsit huiusmodi consuetudo, tamen non obligare sub mortali, quando de hoc one re non constat, ex tabulis Ecclesiæ, vel ex præcepto Episcopi cum in præiudici um alicuius non sit inducenda obligatio, sine claris probationibus *ita etiam Dia. par. 4. tract. 4. miscel. 6. resolut. 232.* quam quidem opinionem sequuntur etiam *Suar. Vasqu. & alij apud Barb. de of fic & potest. Epis par. 2. alleg. 24. num. 23.* existimantes non videri obligandos Parochos ad applicationem sacrificij pro populo, singulis diebus festis, ex illa ratione, quaobligatio ad celebrandum, & obligatio ad applicandum sunt diuersa, *vide etiam P. Gesualdum de Bononijs Capuc. de sacris missæ fol. 205. in prima editione.*

Nu. 6 Quid vero dicendum, circa stipendium hodie, quo ad Parochos, & alios Sacerdotes; qui tenentur in aliqua Ecclesia celebrare, sine sacrificij applicatione. An post decreta *Sacræ Congr. Concil de celeb. Miss. edita 1625. Indit. 8. Pontificatus autem in Christo Patris, ac D. N. D. Fel mem. Vrbani diuina prouidentia Papa VIII. anno eius 3. die 22. mensis Aprilis affixa, & publicata*, an inquam possint aliud stipendium, pro illa missa accipere, & alteri applicare, ad hoc quæsitum respondet *Barb. in collect. declarationum super decretis eiusdem Congr. de celeb Miss. §. Quarto fol. 61. post 3. par. de off. & potest. Epis.* proponens casum. An Sacerdotes, qui tenentur missas celebrare, ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij possint etiam manualem eleemosinam pro missis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnico Missę sacrificio, vtrique oneri satisfacere, refert *Barb.* resolutum. Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare, ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, si eleemosinas pro alijs, etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem missa vtrique satisfactioni satisfacere *ita etiam Gauantus apud Dianam tract. 14. de celebr. miss. resol.* 80. & hanc opinionē sequitur *Diana non solum hic, sed etiam par. 4. tract. 4. resol.* 232. & mihi videtur satis probabilis quandoquidem *Sacra Congreg.* absolute, & sine vlla distinctione videtur prohibere Sacerdotibus, & Parochis, ne pro vna Missa duplicatum stipendium accipiant, item *Sacra Congreg* non asserit pro applicatione, sed pro celebratione, quæ secundum præsentiā consumatur, rōne beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, non posse diebus illis, quibus tenentur celebrare missam, pro ea manualem eleemosinam recipere.

Quid vero dicēdum, circa Parochos Panormitanos. Et primo quo ad applicationem an scilicet teneantur saltem diebus festiuis, pro suis ouibus sacrum applicare; absolute respondendum cēseo negatiuè cum clausula tamen infra explicanda, quando scilicet non est doctor) quæ quidem sententia manifeste apparet *ex nostra bulla Clementis VIII. super Refor. Paroch. vrbis Panormi superius posita disp. 1. d ff. vnica Quar. 7. num. 17. §. Ipsique vbi habetur ipsique Rectores, quibus centum, & quinquaginta scuta, & Capellani, quibus septuaginta scuta, in singulos annos sunt constituta, in eorum Ecclesijs, Missam singulis diebus, exceptis duobus, tantum non festiuis, cuiuslibet heb domada celebrare, seu suo sumptu celebrare facere debeant. Neque huic obligationi satis faciant cum alijs Missis, quæ eisdem Ecclesijs, quomodolibet sunt instituta, aut institue-* Nu. 7

tueatur ex certo annuo censu, quamuis pro suis missis alicui applicandis eleemosinas ac cipere non prohibentur.

Nu. 8 Ex quibus vltimis verbis iam habes, non teneri Parochos Panormitanos modo supradicto Missas applicare diebus festiuis, pro suis ouibus, & quando celebrare tenentur, nam si non prohibentur pro suis Missis alicui applicandis, eleemosinas accipere, ergo signum est, quod non tenentur illas pro populo applicare, & hoc fortasse ex concordatis partibus ex accordio, scilicet facto inter Senatum Panormitanum cum Parochis, *vt patet ex actu accordij in actis Notarij Andreæ Sinaldi Pan die 30 mensis Iunij anni Domini 1600. 13 Ind. quem inuenies in Archiuio Notariorum* vbi habetur irẽ vt idem Illustrissimus, & Reuerendissimus Archiepiscopus mandet, tam Parochis, quam Capellanis, quotidie in suis Parochialibus Ecclesijs celebrent, vel suo sumptu celebrari faciant, exceptis duabus hebdomadæ diebus festiuis; *& clarius ex decreto pro exequutione bullæ reformationis dictarum Ecclesiarum Parochiarum ab Illustrissimo ac Reuerendissimo Don Didaco de Haedo Archiepiscopo Panormitano, ac Delegato Apostolico super reformatione Parochiarum huius. Fœl. Vrb. Pan. dato Pan. die 30. Iunij 13. Ind. 1600.* vbi inter alia mandat. Pari auctoritate præcipimus, & mandamus omnibus Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, seu Parochis, & eorum Capellanis vt Missas in dictis Parochialibus Ecclesijs celebrent, vel suo sumptu celebrari faciant, singulis diebus, exceptis duabus cuiuscunque hebdomadæ non festiuis, & quotidie duæ saltem missæ dicantur in Parochialibus Ecclesijs, diligenter curare debent, vt populus eas frequentare possit. Qua propter diligẽter caueant, ne omnes eodem die, vel plures à dicenda Missa vacent, sed ita inter se de huiusmodi vacatione conueniant, vt duæ quemadmodum dictum est missæ nullo die desint. Et quoniam pro suis missis, cuilibet applicandis eleemosinas non prohibentur, eosdem hortamur in Domino, vt illis ipsis diebus, quibus missas celebrare de Parochiali Ecclesia nõ tenentur, si accepta, vel non accepta eleemosina celebraturi sint, in ipsa Parochiali Ecclesia celebrent, vt semper in dies, fiat populi ad eas concursus, & erga illas deuotio augeatur.

Aduertas autem superius hæc dicta vera esse, si loquamur de Parocho Panormitano, cui scuta centum, & quinquaginta, aliaque insuper vigintiquinque, si Parochus ipse in Theologia, vel iure canonico graduatus fuerit. Sin minus, eo ipso dicata sint hæc scuta viginti quinque augendo in eadem Ecclesia missarum numero, pro salute, & prosperitate Vrbis *ita ex verbis nostræ bullæ loco supra citato num 4. vers pro incertis prouentibus Ecclesiæ Parochialis S. Iacobi, & c.* ex quibus verbis iam manifeste apparet Parochos in Theologia, vel iure canonico graduatos minime teneri pro summa vnciarum decem de moneta huius Regni in eadem Ecclesia, numerum missarum, pro salute, & prosperitate Vrbis augere, & illas applicare. Nu. 9

An hodiè *post Synodum Panormitanã editam ab Eminentissimo, ac Reuerendissimo D. Ioannettino Doria anno 1615 & iterum confirmatam, & ad illam nonnulla alia determinationes adita ann 1623 par. 3 fol. 93. § Quoniam autem*, vbi habetur propter temporum calamitates, & angustias, eleemosinam pro celebrandis missis, sacerdotibus legari solitam, ad summum tres carolenos esse statuimus. An inquam possit Parochus, qui in Theologia, vel iure canonico graduatus nõ est, reducere missarum numerum, pro summa vnciarum decem, ad rationem, triũ carolenorum, pro vnaquaque Missa celebranda, & applicãda, pro salute, & prosperitate Vrbis Pan. iuxta taxam factã in nostra Synodo loco supra citata. Nu. 10

Ad hanc difficultatem affirmatiue respondendum censeo, posse scilicet pro summa vnciarum decem, tot missas celebrare, & tot illas applicare, pro salute, & prosperitate Vrbis, quot ingreditur, in illa summa vnciarum decem, ad rationem trium carolenorum, iuxta taxã determinatam in supradicta Synodo Panormitana, cuius ratio est quia, cũ pars illa vnciarum decem assignata ab Illustrissimo Senatu Panormitano *vt videre est in bulla Clementis VIII. superius à nobis citata* non sit præscripta ad numerũ tot missarum, neque pro vna quaque Mis- Nu. 11

Missa dicenda præscripta, aut taxata sit tanta, vel tanta eleemosina, taxanda erit iuxta morem Ciuitatis, & secundum taxam factam ab Ordinario.

Nu. 12 Et confirmari potest hæc nostra sententia ex declarationibus factis *à Sacra Congreg. S.D.N. Vrbani* VIII. *fœl. record. auctoritate editis super decretis eiusdem Congr. de celebr. Miss. super secundo* §. *eiusdem Congr.* quo sacra congregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt absolute tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosinæ præscriptæ fuerint, ita vt alioquin, hi, ad quos pertinet suæ obligationi non satisfaciant; quin imo grauiter peccēt, & ad restitutionem teneantur *Sacra Cōgregatio* Quærēs an verba illa (*Præscriptæ fuerint*) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario, tandem respondet esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosinam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosinam, numerum missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius, secundum morem suæ Ciuitatis, vel Patriæ, ex quibus verbis, iam patet confirmatio nostræ superius assignatæ sententiæ.

Nu. 13 Quid dicendum, de Parocho sanctę Mariæ Montiserrati Suburbij huius Vrbis Fœl. Pan. & licet *Secundum Bullam Clementis* VIII. *super refor. Parochor. Vrbis Pan. loco supra citatam* non videatur teneri neque diebus festiuis, neque in hebdomada in dicta Ecclesia, celebrare, neque per se, neque per alios, quia vt videre est *dictam bullam Clementis* VIII. *num.* 17. *loco supra citato* §. *Ipsique Rectores*, solum Rectores, quibus centū, & quinquaginta scuta in singulos sunt constituta, obligantur per dictam bullā, in eorum Ecclesijs missam singulis diebus exceptis duobus tantum, non festiuis cuiuslibet hebdomadæ celebrare, seu suo sumptu celebrare facere, vnde cum Parochus Diuæ Mariæ Montiserrati, non habeat centum, & quinquaginta scuta, vt videre est *dictam Bullam Clementis* VIII. non videtur teneri ad celebrandum non solum in hebdomada, singulis diebus non festiuis, exceptis duobus tantum, sed neque diebus festiuis, & multo minus ad applicationem pro prosperitate Vrbis. Neque obstat mandatum Illustrissimi, & Reuerendissimi Don Didaci de Haedo loco supra citato, aut actus accordij in actis Notarij Andreæ Sinaldi Pan. loco etiam supra citato, quia vt videre est loquuntur de Rectoribus, quibus centum, & quiquinta scuta in singulos sunt constituta.

Nihilhominus tamen, licet propter rationem supradictam, non teneatur celebrare singulis diebus in hebdomada, exceptis duobus tantum non festiuis, sicuti & ceteri Parochi, cum non habeat centum, & quinquaginta scuta modo disposito *ex bulla Clementis* VIII. *superius citata* tamen cum curam animarū habeat, tenetur per se, vel per alios celebrare singulis saltē diebus, quibus opus est, vt satisfaciat muneri suo, siue sint dies festiui, siue non festiui, ad benedictiones v.g. nuptiales impertiendas vt patet *ex Trid. sess.* 23. *de refor. cap.* 14. si per suū coadiutorem hoc fieri non posset. Nu. 14

Verum ad maiorē huius nostræ bullę explicationem obiter animaduertas, quod licet vniuersa dotatio Parochialis ducat scuta sex mille, & octigenta, & decem, & septem cum dimidio monetæ Siciliæ, vt videre est *in bulla Clemēt.* VIII. *loco supra citato disp.* 1. *diff. vnic. Quær.* 7. *num.* 5. tamē soluitur capitulo, Magistro Capellano, & Parochis in congruam eorum substentationem, vnde Parochus Doctor debet habere, congruam substentantionem vnciarum septuaginta, francam, liberam, & expeditam, ab omni onere salariorum, reparationum, tā pensionum, quam expensarum iugaliū, decimarum, & aliorum sicuti Parochus non doctor, debet habere congruam substentationem vnciarum sexaginta, francam, liberam, & expeditam modo supradicto, & patet, primo *ex Bulla Apostolica Clementis* VIII. *loco supra citata*: secundo ex aliquibus decretis Illustrissimi, & Reuerendissimi Don Didaci de Haedo, Archiepiscopi Panormitani, ac Delegati Apostolici, super Reformatione Parochiarum huius Fœl. Vrb. Pā. appositis in margine capitulorum consistentium, in quodam memoriali, ad instantiam Don Petri Imbrunetta, Don Raffae- Nu. 15

Raffaelis di Natale, Don Vincentij Maglioli, & Illustrissimo, & Reuerendissimo Archiepiscopo Panormitano dato, inter quæ apparet hoc decretum tenoris sequentis.

Nu. 16 Item *Che sopraditto Equiualente assignato come in detta Bulla si contiene, non si possa vllo vnquam futuro tempore imponere qual si uoglia carrico di collette, Donatiui, Tande, Gabelle, Datij, Taxe, Decime, Pensione, & altre qualsiuoglia Impositioni ordinarie, & extraordinarie, scite vel ignorate, tacite, vel expresse, de iure, vel de facto, & di altro qualsiuoglia modo per qualsiuoglia causa etiam necessaria quomodocunque, & qualitercunque.*

Nu. 17 Ad quod quidem capitulum responsum fuit *Non si permetta mai nessun carrico per nessuna causa*. *Quoniam pro congrua subsientatione*.

Bisso V. G.

Nu. 18 Quam quidem decisionem inuenies in imargine supradicti memorialis in pede cuius fuit facta prouisio.

Camali Mag. Not.

In Vrbe Fœl. Pan. die 17. Iulij 13. Ind. 1600.

Ex parte Illustriss. & Reuer. Archiepiscopi Panormit.

Illustris D. Franciscus Bissus V. G. videat supplicata, & referat.

Antoninus Camali Mag. Not.

Eodem.

Facta relatione præfatæ S. Illustrissima, & Reuerendissima Dom prouidet, & mandat, quod lectis, & bene consideratis capitibus, in memoriali adductis, in dorso illorum prouidetur.

Idem Camali Mag. Not.

Die 2. Augusti 13. Ind. 1600.

Facta iterum relatione S. Illustrissima, & Reuerendissima Dom. prouidet, & mandat, quod seruentur Decreta apposita in imargine Capitulorum.

Idem Camali Mag. Not.

Nu. 19 Animaduertas autem totum hoc ex actis M. Curiæ Archiepiscopalis Fœl. Vrb. Pan. extractum esse.

Nu. 20 Et confirmari potest, deberi scilicet congruam substentationem remanere pro Parochis, francam, liberam, & expeditam modo supradicto, quia casu quo fuerit aliqua pensio imposita, super dicta Parochorum congrua substentatione Illustris Senatus, (& non Parochus) eam soluere consueuit, vt patet in casu controuersiæ, inter D. Ioa. Baptistam Brame, & D. Ioan. Antonium lo Zizo. Quandoquidem cum fuerit die 7. Aprilis 5. Ind. 1607. dictus de Brame Rector, & Beneficialis, Parochialis Ecclesiæ S. Hippoliti huius Vrbis nominatus, & præsentatus in Beneficialem, & Rectorem dictæ Ecclesiæ, & cum de nde dictus de Brame repertus sit, obligatus ad solutionem pensionis vnc. 40. Reuer. Don Io. Antonio lo Zizo super congrua substentatione vnc. 60. quæ non graduatis soluitur, fuit per Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominũ Archiepiscopum Panormitanum *sub die 27. Iunij 5. Ind. 1607.* prouisum, & mandatum, quod dicta pensio, debita di cto Ioa. Antonio lo Zizo, soluatur per Illustrissimum Senatum, vna cum censibus diuersis, debitis dicto de lo Zizo hucusque non exactis, quare vi præsentis actus, mandauit & mãdat, ordinauit, & ordinat Illustrissimo Senatui; vt mandet Deputatis dictarum Ecclesiarum Parochialium, seu Gubernatoribus Tabulæ, vel ad quem spectat solutionem facere dictatum vnc. 40. pensionis, quatenus ex nunc, de cętero in antea habeant, velint, & debeant, soluere cum effectu dictas vnc. 40. pensionis, debitæ dicto Don Ioa. Antonio lo Zizo, dicto de Brame, ad effectum illas soluendi dicto de lo Zizo, eius vita durante, stantibus iuribus supradictis, & quod nullo modo dictus de Brame teneatur illas soluere, super dicta sua congrua substentatione, quem quidem actum, & mandatum dictus Illustrissimus Senatus ratificauit, & approbauit, & se obligauit soluere dictam pensionem dictarũ vnc. 40. anno quolibet, durante vita dicti D. Ioa. Antonij lo Zizo, dicto Ioa. Batistæ Brame, ad effectum illud, soluendi dicto de lo Zizo, eius vita durante, quæ hunc quidem actum inuenies in actis M. Curiæ Archiepiscopalis Fœl. Vrb. Pan. vide bullam Clem. VIII. num. 25. quæ quidem pensio semper fuit soluta toto tempore eius vitæ.

Nu. 21 Et iterum, confirmari potest, super cõ grua

grua nempe Parochorum huius Vrbis Fœl. Pan. substentatione non posse imponi pensionem, decimas, &c. quia licet his annis præteritis, fuerit concessum quodam Breue *Catholicæ Maiestati Phi lippi IV. ab Vrbano VIII. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Martij 1635. Pontificatus nostri anno 12. & quo ad Regnum Siciliæ vltra Pharum executioni de mandari iniunctum sit, vt iterum patet Datum Romæ apud Sanctam Mariam maiorem sub annulo Piscatoris die 28. Iulij 1636. Pontificatus nostri anno 13* quæ quidem litteræ Apostolicæ cum fuerint ea reuerentia, qua decet acceptæ, & præsentatæ, & ea prōptitudine, qua tenemur exequutæ, & executioni debitæ mandatæ, fuit promulgatum edictum ab Eminentissimo Cardinali Ioannettino ab Aurea Archiepiscopo Panormitano *sub die Octobris 7. Ind.* 1628. vt in valuis cuius libet Cathedralis, & Matricis Ecclesiæ, & in alijs locis solitis affigatur, quia ei fuit iniunctum ab Vrbano VIII. quo ad Regnum Siciliæ vltra Pharum has litteras executioni demandari in quibus quidem litteris Philippo IV. Regi cōcedebatur decima taxanda, & soluēda per omnes huius Regni Siciliæ Ecclesias, & Ecclesiasticas personas. Nihilhominus tamen, fuit resolutum, Parochos Panormitanos non teneri, eam soluere, vt videre est in sequenti memoriali.

Eminentiss. & Reuerend. Signore.

Il Mastro Cappellano, & tutti li Parochi di tutte le Parochie entro, & fora di questa Città di Palermo, dicino à V. E. che si ritrouano essere stati taxati per la decima concessa, dalla Santità di Vrbano VIII. & perche Eminentissimo Signore quello, che il Mastro Cappellano, & Parochi hanno di salario, & prouēti tutto è assignato all'Esponenti, per cōgrua sustentatione, come appare per la inclusa scrittura, che con questo si manda, & se li esponenti pagassero ditta decima taxata, li mancheria, & si verria à diminuire la ditta congrua, contra la Bulla di Clemente VIII. Declaratione di Monsignore Haedo, allora Delegato in causa, & atti dell'Illustrissimo Senato. Per tanto supplicano à V. E. vogli restar serui ta ordinare, che si reconosca il presente incartamento, & si veda di Giustitia, & interim non siano molestati à pagare ditta taxa, conforme per la Bulla della Santità di Vrbano *VIII.* si comanda ad effetto, che essendo di Giustitia di essere assoluti dalla detta taxa, & venendo à farsi decisione. Quod nihil quia pro cōgrua, non habbiano da ripetere le dette somme, che pro rata sono stati per errore forse taxati, che oltra essere di Giustitia lo reciueranno à gratia, vt Alt.

Pan. 18. Ianuarij 1641.

Ex parte Eminentissimi Domini Cardinalis Doria Archiep. Pan. Delegati Apostolici in causa, Reuerendus Dominus Abbas D. Ioa. Antonius Geloso V. G. videat supplicata, & referat.

D. Paulus Muxia Mag. Not. in causa.

Eodem

Facta relatione per eumdem Reuerendum Dominum Abb. V. G. Sua Eminentia prouidet, & mādat, quod vna cum Spec. de Cammarata videatur Incartamentum, & fiat relatio.

Idem de Muxia Mag. Not.

Pan. 12. Martij 1641.

Facta iterum relatione; fuit prouisum, & mandatum ex parte, & mandato Eminentiæ Suæ Delegati Apostolici in causa. Quod de summis reuelatis, & taxatis in reuelis factis per Magistrum Cappellanum, & omnes Parochos huius Vrbis nihil soluant, quia assignati reperiuntur pro eorum congrua, prout in eorum incartamento, quod stat penes acta.

Hic actus ex officio decimæ extractus est.

Verum vt magis, ac magis suprad- Nu. 22 cta veritas elucescat, non me tedet adducere, processu temporis, ob temporū calamitates, post supradictam Clementis VIII. Bullam, Illustrissimum Senatū multa augmentasse salaria, & aliquas pecuniarum summas, donasse, verum etiam, & annuos census constituisse non solum magistro Cappellano, verū etiā, & alijs Parochis, tam pro Ecclesiarum reparatione, quam pro domorum Parochorum lohærijs; vt eorum congrua substentatio franca, libera, & expedita

dita remaneret; super quibus quidem augmentis nullam imponi posse existimo dicendum pensionem, aut taxam modo supradicto, cuius ratio est primo, quia huiusmodi augmenta data sũt in subsidium congruæ substentationis: secundo concessa sunt ipsis, ex causa necessaria, & non voluntaria pro diuino cultu, & ne congrua assignata supradictis, diminuatur, vt videre est in sequenti memoriali.

Illustrissimo Senato,

Il Capitulo della Chiesa Cathedrale di questa Città, Mastro Cappellano, & Parochi di essa dicino, che hauendo mãdato per speditsi le polise, conforme al solito di quello, che questo Illustrissimo Senato gli paga, tanto per esecutione della Bolla della Reforma delle Parochie di detta Città, quãto per altri augmenti fatti doppo di detta Bolla, gli è stata fatta difficultà dal Signore Mastro Rationale di essa, perche dubita, che li augmenti fatti doppo li capitoli Pragmaticali, del Signor Conte di Castro Vicerè di questo Regno, siano stati aboliti in virtù dell'vltimo consiglio detento per ditto Senato à 3. di Nouembre proximo passato, & confirmato per il Tribunale del Patrimonio, & perche Illustrissimi Signori euidentemente consta dalla lettera di detto consiglio, non essere compresi detti augmenti Ecclesiastici, poiche per tale reuocatione, era necessaria espressa, & specifica declaratione, & potestà, & giurisditione, per reuocare le donatione fatte alla Chiesa, & tanto più, che li augmenti fatti à dette Chiese nascano, non per mera gratificatione, e graria, come si suppone in detto consiglio, ma per obligatione annexa al Ius Patronato delle Parochie, che tiene questo Illustrissimo Senato, tanto in virtù del Sacro Consiglio Tridentino, declaratione della Sacra Congregatione, & altri atti fatti dal quondam Illustrissimo D. Diego di Haedo olim Arciuescouo, & Delegato Apostolico della Reforma delle Parochie, per li quali inuiolabilmente viene stabilito, che la congrua assignata, per li alimenti delle Parochie à suoi ministri habbi sempre à restare franca, & esente di qualsiuoglia granezza, & peso appartinendo all'Illustrissimo Senato, come Patrono la spesa per la manutentione delle sudette Chiese, & non a suoi ministri, che si fosse altrimente, restaria defraudata la mẽte del Sommo Põtefice, del sudetto Delegato Apostolico, & dell'istesso Illustrissimo Senato, li quali sempre hanno così inteso, & practicato le cose sudette. Per tanto supplicano le V. S. Illustrissimi restino seruiti ordinare, che si spedischano le polise, & pagano le somme dotare, & augmentate, conforme al solito alli sudetti Capitolo, Mast. Cappellano, & Parochi di detta Città, per essere cosa, che di giustitia se gli deuono per li raggione sudette, & in persona del Mastro Cappellano concorrendo ancora douer si pagare li tre vltimi augmenti per tre atti di Transatione fatti, con detto Senato, con reciproca obligatione, & cessione di raggione, firmate con giuramento dall'vna, & l'altra parte, che oltre esser di giustitia lo reciueranno à fauore vt Alt.

Die 17. Februarij 2. Ind. 1634.

Ex parte Illustr. Senatus absente Spect. de Saladino Iurato, fuit prouisum, Quod Spec. de Tortoreti referat in scriptis.

Mutius

Ex quo redditus assignati, aut augmentati, Capitulo, Magistro Capellano, & Parochis sunt ex causa necessaria, & non voluntaria pro diuino cultu, ne congrua assignata supradictis diminuatur. Sum voti, quod soluãtur prout hactenus, ex quo non sunt comprehensi in dicto Concilio.

Don Henricus Tortoreti.

Die 25. Februarij 1634.

Ex parte Illustr. Senatus absente Spec. de Dente Iurato fuit prouisum. Quod exequatur supra dictum votum.

Mutius Mag. Not.

Fertus.

Registrata de Angelis.

Ex his igitur dictis, iam manifeste apparet super Parochorum Panormitanorum congrua substentatione nullam apponi posse pensionem, decimam, aut quodcunque aliud onus, ob quamcunque etiam necessariam causam modo supradicto, & hæc satis dicta sufficiant, quod attinet ad declarationem nostræ Nu. 23

Bullæ Clementis VIII. super Reformatione Parochiatum huius Vrbis quare.

QVAERES NONO.

An Sacerdos secluso scandalo, & contemptu, possit sine iusta causa, celebrare extra Ecclesiam, & si non inuenia tur hostia magna, consecrare possit particulam paruam.

Nu. 1 QVo ad primam huius Quæsiti partem, licet affirmatiue respōdeat *Sotus in 4. dist. 13. quast. 2. art. 3. §. Circa hoc versimo* vbi habet, imo vero, vbi nullus sit contemptus, vel scandalum, vix arbitror, posse contingere peccatū mortale, per celebrationē extra Ecclesiam, tamen peccare mortaliter sacerdotem celebrantem extra Ecclesiam, sine iusta causa, asserunt *Villal. Homob. Filli. & alij apud Dianam par. 2. tract. 14. de celeb Miss. resol. 38. §. Sed peccare*, & merito quidem vt ait *Diana* ratione honoris reuerentiæ, tanto Sacramento debitæ, & cum materia ipsa grauis sit, consequenter obligatio præcepti, ex suo genere sub mortali videtur esse grauis.

Nu. 2 At vero, quod attinet ad secundam huius Quæsiti partem respondet *Diana par. 6. tract. 7. resol. 17.* existente aliqua iusta causa, posse sacerdotem consecrare particulam paruam, at sine aliqua iusta causa, non posse, quia vt aliqui asserunt de necessitate præcepti est, vt hostia sit rotūda, ac debitæ magnitudinis, nam & si magnitudo, aut paruitas non obstent, quo minus per se loquendo, valide consecretur materia, nō licet tamē Sacerdoti in quantalibet magna quantitate, aut modica id facere, ob ingentia incommoda, certaque peccandi pericula, quibus talis actio exposita patet.

QVAERES DECIMO.

An Sacerdos, dum se vestibus induit, ad sacrificandum, teneatur sub culpa mortali, dicere orationes, quæ in Missali continētur, & de more ab ipsis Sacerdotibus dicuntur.

AD hoc Quæsitum respondet *Nau. par. 1. consil. lib. 3. de celebrat. Miss. consil. 3 num 1.* obligari præsbiteros ad dicendas præces ordinarias in Missali, vt eas dicant, cum vestiuntur sacris vestibus, & reddit rationem, quia Pius V. iussit vt Missæ dicantur secundū ritum, & ceremonias in suo Missali institutas, vt habet bulla eiusdem, & in Missali, postea recognito, sub rubrica, ritus seruandus in celebrat. *Missæ* habet singulas orationes, pro singulis vestibus institutas esse dicendas a Sacerdote, cum se illis vestit, & tandem *num. 3.* respondens ad propositum dubium putat omissionem talium orationum, esse peccatum mortiferum, si per contemptum fieret, quia etiam omissio consiliorum, talis est, si fiat ex contemptu, & addit, imo etiam si omitterentur, omnes absque contemptu, scienter deliberate, sine causa, aduertendo se illas omittere, quia esset notabilis defectus, eorum, quæ in vestiendis sacris vestibus requiruntur, qualem esse mortiferum, nos putamus, non autem si eas omitteret per incogitantiam, vel obliuionem, & aliam causam, quam reputaret ad id iustam, etiam si non omnino talis esset, neque si vnam, aut alteram illarum omitteret scienter, & sine vlla causa, absque tamen contemptu, quia in omni materia, paruitas, & subreptio transgressionis legis, & consuetudinis excusat, à mortale ita Nau. Nu. 1

Verum nimis rigorose loquitur, hic doctor asserens, peccare mortaliter sacerdotes, huiusmodi præces, & orationes voluntarie, & sine causa omittentes, primo, quia rubricæ, & regulæ Missalis non obligant ad mortale, nisi ratione contemptus: item quia non præcipiunt, sed tantum consulunt, vt prædictæ orationes dicantur, sunt enim regulæ illæ, instructiones, quædam doctrinales, non præcepta, item quia in multis missalibus non reperiuntur impressæ, huiusmodi orationes, si autem essent de obligatione peccati lethalis, profecto in omnibus reperirentur impressæ, & ideo nec ratione præcepti, nec ratione consuetudinis, huiusmodi orationes, quæ, vel ante, vel post missam, dicuntur obligant ad culpā lethalem vnde *Fagundez mitius loquens precep. 1. lib. 3. cap. 21. num. 9.* concludit Nu. 2

illas

illas omnes sine causa omittere, non esset plus quam veniale, quin imo ait ipse *Fagundez* nec veniale quidem esse, si loco illarum, aliæ dicantur, quam quidem opinionem ante illum docuit *Suar. in 3. par. disp. 82. initio*, vbi habet non nulla quæ in Missali designantur, solum pertinere ad quamdam directionem, & consilium, quod obseruare optimum quidem erit, nihil tamen peccabunt, si omittantur, seclusō contemptu, maxime si aliqua alia præparatio præmittatur, quæ iuxta vniuscuiusque consuetudinem magis eam possit ad deuotionē adiuuare, & hanc opinionem sequutus est etiam *Diana par. 2. tract. 14. de celebrat. Miss. resol.* 41. dicens nullam adesse legem, aut præceptum præcipiens, dictas orationes, a sacerdote dicendas esse, sub onere peccati mortalis, *vbi resol.* 42. habet sacerdotem, in missa maiore, non peccare, & si non legat sub missa voce Epistolam, & Euangelium, postea à sub diacono, & Diacono canendum, quia in Missali hoc non præcipitur: item quia nullo alio canone, seu iure in missa solēni, imponitur recitari secreto Epistolā, & Euangelium, & licet aliqui, id faciant multa sunt consueta, quæ non sunt præcepta.

QVAERES VNDECIMO.

An Sacerdos peccet mortaliter, celebrando sine Ministro, vel in casu necessitatis adhibendo feminam.

Nu. 1 RAtio difficultatis est, quia olim *ex antiquissimo Canone Sotheris Papæ in cap. hoc quoque de consecr. dist.* 1. nullus Sacerdos Missam celebrare poterat, nisi duabus præsentibus ministris, sibique respondentibus, quia cum Sacerdos dicat, Dominus vobiscum, & secretis Orate fratres, oportet vt saltem duo ministri Missæ assistant, qui respondeant, ne Sacerdos aliquid falsi in Missa dicere videatur, quod quidem Sotheris decreti licet antiquissima consuetudine abrogatum sit, ne Sacerdos aliquid falsi admisceret, cum adstante vno tantum Ministro, dicit Dominus vobiscum, & Orate fratres, vel ite missa est, nam huiusmodi Minister, populum repræsentat, & nomine totius populi respōdet, & cum spiritu tuo, vti habet *Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap. 2. 1. num.* 1. tamen iure optimo quærimus. An Sacerdos peccet celebrā do sine ministro, & cum Minister debe at esse vir, & non femina, vti patet *ex ca. Sacratas dist. 12. & cap. inhibendum de cohabitatione Clericorum, & mulierum* in quibus prohibetur etiā sacras feminas, & moniales Sacerdotibus in Missis immediate ministrare, ideo etiam quærimus, an in casu necessitatis, adhibendo feminam sit peccatum.

Vt autem distinctius procedamus. Dicendum puto veriorem, & probabiliorem esse sententiam eorum, qui docent, ex graui causa, & iusta necessitate, posse Sacerdotes solos, missam dicere, sibiq; ipsos ministrare, ita quomplures Doctores *apud Fagundez loco supra citato num.* 5. qui hanc sententiam docet, & defendit ita etiam *Diana par. 2. tract. 14. resol.* 43. Verum quæ causæ sint graues, & iustæ ad hunc actum iustificandum, legite *Azorium 1. tom. inst. moral. lib. 10. cap. 29. quæst.* 3. causam ergo iustam putarē, si esset dies festus de præcepto Ecclesiæ, vel si nulla particula esset, in sacrario, & opus esset infirmo extremum viaticum accipere, vel aliam similem ita *Suar. in 3. par. disp. 87. sect. 1. §. Sed dubitari vbi ver. at vero* ait quod si huiusmodi necessitatis casus, fortuito, & extraordinarie accidat, probabile existimat, posse hoc fieri sine culpa, absque vlla dispensatione. Nu. 2

Ad secundam Quæsiti partem respō det *Suar. loco supra citato §. Sed dubitari sine* in casu etiam necessitatis non posse Sacerdotem feminam in responsione missæ ad ministram adhibere *ita etiam Diana* qui hanc sententiam tenet *resol.* 44. quamquam Nugnus apud ipsum contrarium doceat, & ad verba capitis de cohabit. Cleric. & Mulier. vbi dicitur, nulla fœmina, ad altare præsumat accedere, vt præsbitero ministret, esse intelligenda extra tempus grauis necessitatis, hoc enim manifeste significat verbum illud, non (Præsumat) item femina in casu nostro non præsumit, cum hoc faciat ex commissione Sacerdotis, propter instantem necessitatem, & Sacerdotem ita celebrantem, scilicet cum Nu. 3

femina, nõ peccare mortaliter putauit *Siluius apud Dianã §. Sed nonreticebo*, ſed Tu tene primam opinionem vti aſſerit *Diana*.

QVAERES DVODECIMO.

An Sacerdos, in neceſſitate celebrans cum vno lumine olei, vel adipis, aut ſine Miſſali peccet.

Nu. 1 ET licet ad ſacrificium Miſſæ requiratur, quod in altari ſit lucerna aliqua ardens, ſine qua, communi conſenſu aſſerunt omnes Doctores, peccatum eſſe graue, & mortale, miſſæ ſacrificium celebrare *ita Reg. tom 2. lib. 29 cap. 9. nu. 196 Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap. 22. nu. 15. Suar. in 3. par. diſp 81. ſect. 5. §. Tertio requiritur* vbi etiam oſtendit antiquiſſimam eſſe Eccleſię conſuetudinem, nõ ſacrificandi, abſque lucerna ardente, ex qua autem materia debeat conſtare talis lucerna, auctores non declarant, *&* *in cap. fin. de celebrat. Miſſ.* hoc, nõ ſtatuitur, & ideo ſtandum eſt conſuetudini, & ſi diſcedendum non ſit vt ait *Reg loco ſupra citato* à tali conſuetudine, qua dum Miſſa celebratur candela cerea accenſa eſſe ſolet, tamen à mortali excuſari poteſt is, qui ſine ſcandalo, & contemptu nullatenus valens habere candelam ceream, illius loco in neceſſitate, vteretur lucerna ex oleo. Porro vnam tantũ candelam ceream, habere accenſam, in Miſſa parum eſt: habere duas ſufficit, vti vero lucerna ex pinguedine, tamquã alienum ab omni conſuetudine Eccleſiæ nullo modo licet, *hac Reg. & Fagundez præcep. 1. lib 3. cap. 22. num. 17. & ante hos ingenioſe Suar loco ſupra citato*, & licet aliqui affirment, ſacerdotem etiam in neceſſitate celebrantem, cum. vno lumine adipis, & pinguedinis peccare mortaliter, tamen *Zanardus, & alij apud Dianam par. 2 tract. 14. reſol. 45. §. Sed* negatiuam ſententiam probabilem putãt.

Nu. 2 Quid vero, ſi cępto ſacro, lumen extinguatur, in tali Eccleſia, ac loco, vbi aliud commode inueniri non poſſit, an ſaltem in hoc caſu licitum ſit, ſine lumine ſacrum facere. ſeu potius continuare, maxime vrgente aliqua circumſtantia diei feſti, in quo præſentes, ex pręcepto eidem ſacro intereſſe tenentur, aut in ea neceſſitate, in qua aliquis moribundus extremo viatico indigeat, reſpõdet ad hoc Quæſitum *Fagũdez præcep. 1. lib. 3. cap. 22. num. 19.* ante verba conſecrationis inchoata, non eſſe licitum miſſam dicere, aut perficere, ſi lumen deficiat, etiam in illis duobus caſibus, in neceſſitate occurrentibus, quia nec præceptũ audiendi ſacrum, nec præceptum accipiendi viaticum, obligant, aut obligare poſſunt, cum indecentia Sacramenti, vt eſſet ſi ſine lumine fiat ſacrificium; at vero ſi conſecratio iam ſit cępta, & lumen deficiat, poteſt, imo tenetur ſacerdos, ſacrificium ſine lumine perficere, ne imperfectum ſacrificium relinquatur, hæc *Fagundez.*

De Miſſali autem reſpondet *Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap 21. num. 23.* requiri omnino librum Miſſalis ad ſacrificandum, qui ſaltem contineat ea, quæ in miſſa dicenda ſunt, & ſaltem etiam integrum canonem miſſæ, & peccatum mortale eſſe, ſine miſſali celebrare, quãtumuis ſacerdos miſſam teneat memoriter, neque enim in re tã graui, memoriæ fidendum eſt, vt periculo obliuionis, exponatur Sacerdos, in re admodum graui, quare communis opinio docet, peccare lethaliter ſacerdotes, qui ſine Miſſali, audẽt ſacrificium facere *hæc Fagundez.* Nu. 3

At vero *Reg. tom. 2. lib. 29. num. 197.* licet aſſerat Miſſale requiri, etiã ſi quis totam miſſam memoriam teneat, tamẽ de grauitate peccati, quod illius tranſgreſſione committitur, aſſerit *Reg.* rationem peculiarem iudicãdi, ſumi ex magnitudine periculi, aliquid omittendi, iudicio prudentis, notabile in inreuerẽtiam ſacroſanctæ Euchariſtiæ, quandoquidem miſſale requiritur, tantum ad vitandum illud, non autem ad aliquod altaris ornamentum, aut ad aliquam ſpiritualem ſignificationem. Nu. 4

His tamen non obſtantibus, ſunt qui aſſerunt, in caſu neceſſitatis, ſacerdotẽ non peccare, abſque miſſali celebrantẽ, modo ſit ita inſtructus, & de ſua memoria confidens, vt moraliter non dubitaret, poſſe ſe omnia integre dicere, ſine miſſali, quamuis non ſine alio libro, loco miſſalis, ne notam aliquam incurrat, Nu. 5

apud

apud alios, hinc *Vasq apud Dianam par. 2. tract. 14. de celebrat. miss. resol. 46.* putauit sacerdotes, quibus debilis est facultas videndi, si memoria calleant, posse.

Nu. 6 Nota tamen quod habet *Reg. tom. 2. lib. 29. num. 197. vers. nota vero* probabile esse, sacerdotem peregrinum posse, vti missali legitime recepto, vsitatoque in diœcesi, in qua celebrare vult, quantũcunque diuersum sit, ab vsitato, in propria sua diœcesi, ex quo habetur, quamquam posse accommodare se, probatis moribus Ecclesiæ, in qua versatur, etiã si contrarientur consuetudini propriæ Ecclesiæ, suæ diœcesis hæc *Fagundez*.

Nu. 7 Nota obiter, necessarium esse, vt altare cruce saltem ornatum sit, vti habet *Suar. in 3. par. disp. 81. sect. 6. §. Quarto addere* vbi existimat, hanc obligationem apponendi crucem in altari, non obligare sub peccato mortali, quia res non videtur adeò grauis, secluso cõtemptu, quare concludit *Suar.* obligare, sicuti obligant aliæ ceremoniæ, vel ritus missæ, & hanc opinionem sequutus est *Reg. tõ. 2. lib. 29. nu. 197. vnde Fagundez præcep. 1 lib. 3. cap. 21 num. 32.* adhærens huic opinioni, asserit esse peccatum veniale, & in fine huius numeri, concludit, licet *Suar. & Reginaldus* iudicent solum esse peccatum veniale, sine cruce celebrare, tamẽ cum quælibet causa excuset à peccato veniali, nunquam venialiter peccabit Sacerdos, absque illa sacrificando cũ sola ipsa Missæ celebratio, causa sufficiens sit, ad excusandum ab hoc veniali peccato, ne scilicet tanto sacrificio, & tanta illius vtilitate Ecclesiæ priuetur, *hæc doctissimus, & satis ingeniose Fagundez*, quæ valde adnotanda sunt ad tollendos multos scrupulos.

Nu. 8 Et licet nonnulli existiment, excommunicari eos Sacerdotes, qui temere audent sacrificare, cooperto capite, tamen certum est licitum esse, ex rationabili causa, vt v.g. hieme, propter nimiam senectutem, caluitium, aut capitis debilitatem, pileo celebrare, modo sacerdos pileum abiceat, dum hostiam, & calicẽ eleuat, quia tunc non temere præsumit, ita celebrare, sed necessitate compulsus, id efficit ita quamplures Doctores *apud Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap 21. num. 33.* vbi habet, quod si causa sit dubia, tunc de Episcopi licentia, cooperto capite sacrificare potest, *iuxta Zerolam, & Nauapud Fagundez* verum facultatem dispẽsandi, cooperto capite, spectare ad summum Pontificem docet *Ganantus apud Dianam par. 2. tract. 14. resol. 58 §. Verum est*, & ita declarasse *Sacram Card. Congregationem super negotia Episc. die 2. Ianuarij 1590 & Sacram rituum Congregationem die 31. Iulij 1626.*

Tandem debet Sacerdos, dum sacrificat, habere calicem cum patena consecratum, & sacro chrismate peruntum, qui non debet esse de ære, aut aurichalco, nisi inauratus sit, quia hæc facile ęruginem contrahunt, & ad vomitum prouocant, nec de vitro, aut crystallo, propter periculum fragilitatis, ne Christi sanguis effundatur, neque ligneus, propter poros, ne sanguis consubintret, & foras effluat, nec lapideus, propter ineptitudinem materiæ, *ita ex cap. vasa de consec disp. 1. & cap calix ibidem* vbi dicitur materiam calicis debere esse, ex auro, argento, vel stanno, & consequenter quia de his tantum mentio fit in iure, omnis alia materia excluditur *ita Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap. 21. num. 10.* vbi licet aliqui sub stanno, cõtineri plũbum videantur, tamen hoc nonnulli negant, ex eo fundamento, quod etiam plumbum, si vinum attingat facile contrahat eruginem, & ideò ad vomitum prouocet, sed quidquid sit de hoc. Nu. 9

Communis illorum materia, vt in iure exprimitur est, aurum, argentum, stannum, vt docet *D. Tho in 3 par. qu. 83. art. 3. ad 6.* communior tamen, & vsitatior hodie materia calicis est argentum, quare qui alicui Ecclesiæ, testamẽto suo legaret calicem, intelligendus esset calix de argento, vt pote de consueta, & vsitata materia, nisi aliter testamento exprimeretur *ita Fagundez loco supra citato num. 12. vbi num. 13.* ait calicem, in quo Christus celebrauit, non aureum, aut argenteum, sed pretiosissimo lapide Agathæ, aut smeralda esse eformatum, qui calix nunc Valentiæ Aragoniæ, magna veneratione ostenditur, & asseruatur, & hæc de ministro celebrante, vt autem de ministro ministrãte loquamur, Nu. 10

QVAE.

QVAERES DECIMOTERTIO.

An Sacerdos possit se ipsum, & qualibet hora diei, post meridiem, extra Missam communicare.

Nu. 1 ANimaduertendum est, id quod etiã adnotauit *Fagundez pracep. 3. lib. 3. cap. 3. num. 7.* non loqui de sacerdote celebrante, iam enim satis cõstat, & nos supra loquuti sumus, nunquam licitum esse, sacrificrificium Missæ, offerre, quin in eadem Missa, sacerdos se ipsum communicet, sed loqui de laica communione; scilicet de illa communione, quæ fit extra sacrificium missæ, id quod fiue persona se communicans, suis proprijs manibus, sit sacerdos, siue non, de qua infra. Quidam enim id affirmant. Alij negant, nam *Fumus verb. communio 8.* ait Sacerdotem non sacrificantem, non debere communicare se ipsum, nisi in casu necessitatis, & in articulo mortis, deficiente alio Sacerdote, aut Diacono, qui id præstare velit, & possit.

Nu. 2 Verum ad hoc Quæsitum respondet *Suar. in 3. par. disp. 72. sect. 3. vers. vnde re Ete* non solum in casu necessitatis, vti asserit *Durandus ab ipso citatus* si contingat sacerdotem ægrotare, & non adesse nisi Diaconum, qui Sacramentum deferat, debere Sacerdotem proprijs manibus, se communicare, sed etiam posse ex præcõsecratis, se ipsum deuotionis causa, communicare, hanc etiam sententiã sequuntur *Fagundez loco supra citato Dianam tract. 14. de celeb miss. resolut. 53.* qui hanc sententiam probabiliorem putat, & in praxi tenendam, secluso scandalo, quod quidem scandalum, facile ipse Sacerdos vitare poterit, monendo adstantes, ne scandalum patiantur, nam ita facere, in illo casu, sibi licet.

Nu. 3 Existimat tamen *Fagundez loco supra citato num. 7. fine* quod si in tali casu adesset Diaconus, non posse tunc Sacerdotẽ, se ipsum communicare, cum iam adsit minister, ex priuilegio, sed hæc limitatio pace tanti viri, mihi non placet, quia iam Fagundez approbat non solum *ex Suario, sed etiam ex Durando loco supra citatis* debere Sacerdotem proprijs manibus, se ipsum communicare, quando Diaconus illi Sacramentum defert tẽpore mortis, ergo etiam poterit se ipsũ proprijs manibus, in nostro casu cõmunicare, etiam si adsit Diaconus, nam etiã Diaconus tempore mortis est minister competens, ita nouissime *Diana*.

Ad secundam Quæsiti partem, respõdent aliqui supra dictum Sacerdotem, posse se communicare, qualibet hora diei, post meridie, modo absit scandalũ, & qui se communicat, sit ieiunus, quia nullo iure prohibetur qualibet hora, post meridiem communicare ita *Azorius, Siluius, & alij citati apud Dianam tract. 14. de celeb Miss. resol. 54. unde Fagundez pracep. 3. lib. 3. cap. 7. num. 13.* habet nulla diei hora, etiam post meridiẽ prohiberi ieiunum communicare, etiã si sanus, ac bene valens sit, *& pracept. 1. lib. 3. cap. 17. num. 20.* habet, & plane, nullo quidem iure, aut consuetudine prohibemur communionem accipere, post meridiem, & ideo fas est laicis, in ea missa, quæ ante meridiem incipit, & post meridiem continuatur, Eucharistiam accipere, modo ieiuni sint, & consequẽter in illa etiam missa, potest quis communicare, quam Sacerdos priuilegio sibi cõcesso, vna hora post meridiem, aut ante lucem inchoauit, nec refert ait *Fagundez* quod consuetudo sit, vt communio fiat ante meridiem, nam ea consuetudo, ideò datur, quia tunc communiter missæ dicuntur, non vero quod ita sit introducta, vt non possint etiam fideles communionem accipere, quolibet diei tempore, si parati sint ac ieiuni. Nu. 4

Aduerte autem, vt alij asserunt propter reuerentiam tanti sacramenti debitam, non esse extra necessitatẽ permittendum, vt aliquis sub vesperam, & qualibet hora diei communicet, sicuti ego nunquam permisi, vt quædam monialis existens in quodam monasterio sub vesperam communicasset propter supradictam rationem. Nu. 5

An Sacerdos, corpus Christi, ab alio ministro sumens, siue pro deuotione, siue in die Parasceue, debeat stolam adhibere, ex præcepto Ecclesiastico *cap. ecclesiastica dist. 23.* Nu. 6

Affirmatiue respondent aliqui, sed alij putant non esse necesse, quia huiusmodi decretum, est vsu abrogatum *ita* Nu. 7

Azo.

Azorius Pitigianus, & alij citati apud Dia*nam tract.* 14. *de celeb. miss. resol.* 20. *ita etiam* P. *Gesual. de Bononijs* Capuc. *par.* 1. *theol. moral. tit.* 6. *cap.* 3. *num* 22. *&* 23.

Nu. 8 An vero laicus in extrema necessitate, possit se ipsum proprijs manibus cõmunicare.

Nu. 9 Respondet Suar. *in* 3. *par. disp.* 72. *sect.* 3 *fine* posse laicum in extrema necessitate mortis, quando non habet Sacerdotẽ, qui possit ei præbere viaticum se ipsum communicare, (scandalo cessante) idquod confirmat exemplo Reginæ Scotiæ, quæ in Anglia martyrium subitura, Sacramentum Eucharistiæ; quod secũ habebat, proprijs manibus sumpsit, & quamuis fortasse habuerit, amplam circa hoc Pontificis concessionem, tamen etiam, fine illa, pie, & sancte, fecisset *ita etiam* Fill. *& alij citati apud* Dianam *trac.* 4 *de* Sacr. *resol.* 45. quamquam *P. Gesual. de Bononijs Capuc. par.* 1 *Theolog. moral. tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 12. contrarium sensit dicens non licere laicis in necessitate, quando nullus adest Sacerdos, in articulo mortis constitutis; Eucharistiam sumere ad exemplum Reginæ Scotiæ, nã non omnia sunt imitanda, Tu vero *Suarij*, *& Dianæ* sententiam sequere, vide etiam *Dianam par.* 8. *tract.* 1. *resolut.* 48. quin imo contra *Fagundez præcep* 3. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 8. *& cap.* 1. *num.* 10. probat ipsemet *Diana tract.* 4. *loco citato de sacr.* §. *Imo* probabilem esse opinionem eorũ, quæ asserit non solum laicum, posse in periculo mortis, si non adsit Sacerdos idoneus, se ipsum, sed etiam alios communicare, nam id neque naturali, nec diuino Christi præcepto repugnat, neque vllus canon Ecclesiasticus reperitur, qui id prohibeat, quia *caput peruenit de conjecr. dist.* 2. loquitur extra casum necessitatis, nec valet Ecclesiæ consuetudo in contrarium, nã respondet quod fieri potest longissimo tẽpore, licet hoc factum nunquam fuerit, saltem vt alijs innotesceret, non quod hoc facere illicitum sit, sed quia casus ex se ipso rarissimus sit, sed nos iam de hoc supra quære ibi te remitto.

Nu. 10 Aduerte obiter, quod si magnum festum adsit, & Sacerdos sacrificare non possit, posse tali casu (scãdalo cessante) ex sacrario Euchàristiam accipere, & se ipso communicare, si alius sacerdos nõ adsit, & hoc etiam præsente Diacono ita notauit *Diana loco supra citato* §. *Notandum est.*

QVAERES DECIMOQVARTO.

An deficientibus particulis, possit Sacerdos, partem hostiæ, alteri præbere.

Pro infirmo moribundo, ne sine viatico decidat posse affirmant *Doctores* vti refert *Diana tract.* 14. *de celebr. miss. resol.* 37. difficultas est, an ratione deuotionis alicuius sumẽdæ Eucharistiæ, liceat hoc facere, multi negãt, sed *Suar. in* 3. *par. disp.* 85. *sect.* 2. §. *Secundo in sumptione* habet ex causa rationabili posse Sacerdotem, si distinctam formulam nõ apposuit ad communicandum alium, reseruare particulam hostiæ, ad cõmunicandum illum *ita Diana tract.* 14. *de celeb. Miss. loco supra cit.* vbi reddit rationem, quia Sacerdos, sic faciens vtilitati fidelium consulit, nec vllam iniuriam facit Sacramento, quam quidem opinionem defendit, etiam *Sanctius in selectis disp.* 22. *num.* 21. vbi hæc formalia verba refert. Quia tamen aliquoties, accidere potest, non fuisse consecratas paruas hostias, hispane, formas, quas suscipiant cõmunicaturi, sciat Sacerdos, ei non esse vetitum, partem hostiæ diuidere, ad cõmunicandum fidelem, quolibet die velit ob solam deuotionem, nam si extremam ageret vitam, posse frangi hostiã, nullus quem viderim, dubitauit, nec dubitari potest, quia tunc non frangere esset peccatum hæc *Sancius* qui pro se citat multos, ac varios Doctores. Nu. 1

QVAERES DECIMOQVINTO.

An liceat Sacerdoti, ministrare hostiam nõ consecratam, ad sacrilegium suscipientis vitandum.

Partem affirmatiuam suadent nonnulli, quod ministrando hostiam non consecratam peccatori occulto (de quo semper loquimur) prospicitur famæ illius, & vitatur sacrilegium: specialiter tamen posse fieri videtur, in casu, quo quis peteret hostiam non cõsecratam, Nu. 1

tam, sibi ministrari, vt si femina bonæ famæ, id exposceret, quam cogit maritus communicandum, quæ sine iactura famæ, non potest communionem omittere, licet inquam pars affirmatiua hoc suadeat.

Nu. 2 Respondendum censeo, absque graui peccato sacrilegij, non posse ministrari hostiam non consecratam, veluti consecratam peccatori occulto, quantumcunque instet ad vitãdum sui infamiam, ita expresse D. *Tho. in 3. par. quæst.* 80. *ar.* 6. *ad* 2. Hostia tamen non consecrata, nullo modo debet dari loco consecratæ, quia Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idolatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratã, siue alios præsentes, siue etiam ipsum sumentem ita etiam *Diana tract.* 6. *misc. resol.* 83. *par.* 3. §. *Non desunt*, vbi licet afferat sententiã eorum, qui asserunt hostiam non consecratam, pro consecrata posse ministrari, peccatori occulto scienti, & petenti sibi dari, propter vitandam infamiam, dummodo proponatur hostia consecrata adoranda a tergo, post illam non consecratam, itaut non videatur, nec adoretur, & hoc efficiatur, vt dictum est ex consensu peccatoris, ne ex conscientia erronea adoret non consecratam, tamen contrariam sententiam tamquam probabiliorem defendit, & tenet *ipse Diana* & ratio est illa eadem vera, quã assignat *Sancius in selectis disp.* 35. *numer.* 3. §. *Secunda etiam*, quia ministrans hostiam non consecratam, vel consecratam, & si a tergo alterius consecratæ, illam ponat, ponit equidem adorandum distinctum in diuiduum, hostiæ non consecratę, & adest periculum manifestum idolatriæ, cũ circumstantes possint si velint distincto actu adorationis adorare, quamlibet hostiam, quæ communicantibus porrigitur, nec est in ministri potestate, vitare aliorum adorationem hostiæ non consecratæ, quam ipse proponit, velut consecratam *hec Sancius.*

Nu. 3 Itẽ vt aduertit *Suar. in 3. par. disp.* 67. *sect.* 4. §. *Circa tertiam obiectionem* quod licet nonnulli Theologi asserant, medium illud dandi hostiam non consecratam, prò consecrata licitum esse, tamen hanc sententiam improbabilem, & intollerabilem vocat, & ad casum, quem affert *Altisiodorensis ab ipso citatus*, scilicet si cõtingat hominem esse in articulo mortis, & indigere viatico, & nullam esse reseruatam hostiam consecratam, ex negligentia Parochi, tunc ad vitandum scandalum, licere dare hostiam nõ consecratam, pro consecrata, vsus aliorum distinctione: respondet *Suar.* duobus modis posse hoc fieri. Primo ignorãte homine, qui communicaturus est, & existimante sibi dari verum Sacramẽtum, cum tamẽ Sacerdos solum det hostiam non consecratam. Secundo fieri potest, ex conuentione, inter sacerdotem, & peccatorem, si priori modo fiat, omnes fere auctores docent, esse illicitum, & patet primo, quia datur manifesta occasio idolatriæ, nemo enim communicat, nisi prius adoret, imo ipsa susceptio sacramenti, est quidam religionis cultus. At vero, si fiat posteriori modo, scilicet, ex conuentione, inter dantẽ, & acceptantem, neque hoc posteriori modo est licitum, & ratio est fere eadẽ, primo quia illa est perniciosa fictio, quia vel verbis, vel gestu, & facto ipso, affirmat Sacerdos esse Christum, ac verum Deum, quod reuera non est, secundo quia non potest vitari moraliter loquẽdo, exterior idolatria, respectu quidem ipsius hominis, qui communicat, quia ipsamet actio exterior, suscipiendi illam hostiam non consecratam, est actus religionis, & cultus, respectu vero aliorum, qui etiam si oculis non videãt, adorant, id quod alteri datur, ad communicãdũ, nullatenus ergo huiusmodi medio licet hæc optime *Suar.*

QVAERES DECIMOSESTO.

An publicis peccatoribus ministranda sit Eucharistia, etiam in articulo mortis nullis exhibitis signis Pœnitentiæ.

ANte omnia aduerte, peccatores publicos, esse illos, quorum publica Nu. 1 actio, seu ratio, & modus viuendi, quo vtuntur, ex se, & ex obiecto suo exerceri non possit absque peccato, vel si ex obiecto, non sit talis, saltem ex modo, quo fit publicum, ac manifestum sit, nõ fieri sine peccato mortali, tales sunt publici

blici vsurarij, ac meretrices *ita Fagundez praecep.3.lib.3.cap.10 num.3.* vbi inter publicos peccatores enumerat, etiã histriones, scilicet illos, qui ex officio turpes comedias exercent, secus si illi non exerceant turpes, sed modestas ad populi recreationem, itẽ parasitos, qui cum aliorum præiudicio vtuntur intẽperijs, & dictis mordacibus: item illos, qui exercent torniamenta, in equis, seu hastiludia, quæ iure prohibentur, ex eo quod vt plurimum, ex illis nascantur mortes, & vulnera, nisi cum tali moderatione, & cautela fiant, vt cesset periculum, licet raro tunc sequatur periculũ, aut per accidens alicuius mors, aut vulnus: item illos, qui communiter, & cũ periculo notorio exercent choreas, cũ feminis, excusandæ sunt tamen, choreæ si moderatæ fiant; demum illos, qui officium, & consuetudinem exercent, ludẽ di notabilem, ac magnam quantitatem aleis, & taxillis, concludit tandem *Fagundez* hæc, & similia dum absque periculo mortali, & intentione mali finis exercentur, non impedire accedere ad Sacramentum confessionis, & communionis hoc igitur adnotato.

Nu. 2 Respondeo primo, publicum peccatorem, siue publice, siue secreto Eucharistiam petat, repellendum esse ab ipsius susceptione, modo tamen non sit emendatus, & teneri sacerdotes, & ministros Ecclesiæ, sub peccato mortali eam illis negare *ita Fagundez praecep.3.lib.3.cap.10.num.4. est communis omnium fere Doctorum sent. Suar. in 3 par. disp.67. sect.2. initio Sancius in selectis disput.34.num.1.* cuius rationem reddit, quia quandiu non constat de cõuersione alicuius peccatoris, indignus censeri debet, tanto beneficio, ac proinde à tanto Sacramento repellendus, *vtt ex Rit. Rom. de Eucharistia sacramento.*

Nu. 3 Quare peccatoribus notorijs, veluti vsurarijs publicis, & meretricibus, si publice Eucharistiam petant, tribuenda eis non est; nam & si eos peccatorum pœnituerit, quia tamen adhuc non manifesto constat, de sua pœnitentia, ne scandalum detur, neganda eis est *ita Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap.20. num. 20.* at vero si in occulto petant, & confessarius, siue Sacerdos ministrans Eucharistiam, sciat eos esse emendatos, poterit eis conferre Eucharistiam, modo id populus non sciat, & ipsi parati sint, ad dandam omnem culpæ satisfactionẽ, quam debent *ita Fagundez loco supra citato num.6.* vbi inquirens, quænam pœnitentia illis imponenda est, quæ sit illa satisfactio, quám debent dare, respondet, si occulte petant, satis est, quod occulte confessi sint, & quod sacerdoti, vel alijs, si forte præsentes fuerint, id cõstet, si publice petant necesse est, vt publicã satisfactionem præbeant, vel saltem, vt eius dispositio, & conuersio publica, & manifesta sit, sufficit autem, si sacerdos per aliquos dies distulit eius absolutionem, & postea eum absoluat, & circumstantibus qui publicum illum peccatorem esse sciebant, in Ecclesia ante communionem, dicat ne scandalum patiamini, si Eucharistiam huic homini ministrem, est enim iam dignus ad eam dispositus, & emendatus.

Existenti vero in extremis, sufficit signa doloris ostendisse, etiam coram vno teste, quia in tali casu, standum est dicto vnius, cum non agatur de præiudicio alterius, *ita Sancius in selectis disp. 24.num.8. Suar. in 3. par. disput 67. sect.2. fine Fagundez praecep.3.lib.3.cap.10.num. 6.fine.* Nu. 4

Signa autem sufficientia publicæ Pœnitentiæ erunt, si peccator coram pluribus ad confitendum accesserit, patet *ex Rit. Rom. de Euch.* vbi habetur publicis peccatoribus, non esse ministrandã Eucharistiam, nisi de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scãdalo prius satisfecerint, publice hercle penitet, qui publice confessionem petit, quem & in melius mutatum credendum est, imo inter signa Pœnitentiæ potius, & præstantius signum est, ad con fessionem accessus *ita Suar. loco supra citato Sanctius etiam loco citato num. 2. vbi num. 3.* asserit non esse necessarium post confessionem, per aliquot dies expectare ad recipiendam Eucharistiam, itaut prius de emendatione constet. Nu. 5

Ex quibus infert *Sancius, & optime n. 9.* ministrandam non esse Eucharistiam meretrici, in lupanari decumbenti, & vsu rationis carenti, neque inde extrahi valẽti, propter periculum vitæ, eo quod Nu. 6

Bb tunc

tunc nulla tergiuersatione celari possit peccatum, quando neutiquam signa doloris obstendit.

Nu. 7 Verum quæras, an debeat Parochus negare Eucharistiam parochiano, publico peccatori, cuius confessionē audiuit, & ratio dubij est, quia si neget, siue publice, siue secreto petat, videbitur manifestare sigillum confessionis, quare videtur ei concedenda, ne homines à tanto, tanquam necessario sacramento deterreantur, ad hoc dubium affirmatiue respondet *Fagundez præcep. 3. lib. 4. cap. 10. num. 12.* quia illud non est reuelare sigillum, nec directe, nec indirecte, nō enim ei negat Eucharistiam, ob notitiam confessionis, sed ob notitiam publicam publici status, in quo peccator perseuerat, & hæc de ministro ministrante, quare vt de suscipiente agamus.

QVAERES DECIMOSEPTIMO.

Quid dicendum de suscipiente Eucharistiam.

Nu. 1 QVi suscepturus est, hoc sacramentum in duplici statu potest considerari, vel in statu sanitatis, vel in statu infirmitatis, nos vero vt distinctius procedamus; Primo loco de communione sanorum loquamur, secundo vero loco de communione infirmorum, verum vt à primo incipiamus.

Nu. 2 2. Respondeo primo duplicem requiri dispositionem, in suscipientibus, vt digne accedant ad sumendam Eucharistiam, alteram corporalem, alteram vero spirituale. De corporali agemus prius; postea vero de spirituali. Ad præparationem igitur corporis, inter alia spectat, vt sit ieiunus, quare, qui suscepturus est hoc Sacramentum, debet accedere ieiunus, ieiunio naturali, scilicet à cibo, & potu, vti asserit *D. Tho. in 3. par. quæst. 80 ar. 8 in corp.* etiam in minima quantitate, vt tenet *idem D. Tho. ad 4.* aliter peccat mortaliter contra præceptum Ecclesiasticum, quod obligat, vt hoc sacramētum, non nisi à ieiunis ieiunio naturali, extra viaticum sumatur *ita Suar. in 3. par. disp. 66. sect. 4. §. Sed quæres*, vbi contra aliquos asserentes, minimam quantitatem, ante sumptionem Eucharistiæ sumentes, peccare venialiter; respondet esse mortale, & contrarium non esse probabile practice, si quantitas illa minima, per modum cibi, & potus sumpta sit vbi reddit optimam rationem, quia hic non est leuitas materiæ, in proprio actu, in quem cadit prohibitio, non enim hic prohibetur, cibus, vel potus, sed prohibetur communio post cibum, vel potum, hoc autem præceptum simpliciter violatur, in suo actu principali, etiam si ieiunium in parua materia solutum sit *hac Suar.* quæ diligenter adnotanda sūt, tenent etiam hanc sententiam *Sancius in selectis disp. 51. numer. 1. Diana par. 5. tract. 5. resol. 12. §. Sed prorsus, & parte 6. tract. 8. resol. 8.* vbi contrariam sententiā falsam vocat, & merito propter rationes superius allatas.

Quamquam aliqui *teste Hurtado de Sacr. Euch. disp. 9. diff. 15.* existimentantum esse peccatum veniale, Eucharistiam sumere, post sumptionē cibi, & potus, in parua quantitate, ob leuitatem, seu paruitatem materiæ ita etiam *Pasqualigus apud Dianam par 6. resol. 8. vnde Gotfredus, & Præpositus apud Dianam par. 5. tract. 5. resol. 12.* docuerunt ad sūptionem Eucharistiæ sufficere ieiunium Ecclesiasticum, quia ieiunium, ad eam prærequisitum præcipitur ab Ecclesia, ergo eodem modo intelligendum est, quo Ecclesia intelligit ieiunium, quo pro diebus ieiunij præcipit, ita isti, sed Tu mordicus tene, & defende supradictam negatiuam sententiam, in Eucharistico ieiunio dari non posse, paruitatē materiæ, excusantem à mortali peccato, vt mordicus defendit *Suar.* & alij. Nu. 3

Hoc autem Ecclesiasticum præceptum de sumenda Eucharistia, ante omnem cibum, & potū modo supradicto, vt probat *Suar. in 3. par. disp. 66 sect. 3. §. Dicendum vero* à tempore Apostolorum seruatum esse in Ecclesia consuetudine, non sumendi aliquem cibum, vel potū ante Eucharistiam vbi S. Dico secundo demonstrat recte, & conuenienter, ab Ecclesia præceptum esse, vt hoc Sacramentum, tantum à ieiunis sumatur, & hoc esse de fide vnde recte *Augustinus apud D. Tho. loco suprà citato art. 8. in corp.* dixit non nisi Spiritu Sancto inspirante, hanc legem, & consuetudinem introductam Nu. 4

ctam esse, ab Ecclesia propter tres congruentias, quarum Prima est, propter reuerentiam huius sacramenti, & vt fideles assuescant, discernere inter hunc sacrum cibum, & alios communes. Secunda propter spiritualem significationē, vt indicetur fidelibus, debere esse Christum primum, ac primatium eorum cibum. Tertia ad vitanda pericula vomitus, vel alterius irreuerentiæ, & vt mens sit liberior, & expeditior, ad res spirituales, & diuinas tractandas.

Nu. 5 Quare iam patet, huiusmodi præceptum non esse diuinum, vti probat *Suar. loco supra citato sect. 3. initio* quia huiusmodi præceptum diuinum, nullibi in sacra pagina inuenitur impositum, nullibi scriptum, nec traditum, neque etiā ex his, quæ ex institutione huius sacramenti gesta sunt, tale præceptum colligitur, imo potius ea nocte, qua institutū fuit hoc sacramentum post cœnam, & esum agni dispensatum fuit Apostolis ita etiam *Fagundez precep. 3. lib. 3. cap. 5. num. 2.*

Nu. 6 Quod quidem præceptum Ecclesiæ, ad eo stricte, & seuere obligat, vt ieiunus, non censeatur ille, qui rem paruā, etiam non nutritiuam, vt guttulā aquæ, vel quid simile, per modum cibi, aut potus deglutiet, etiam per ignorantiam, vel inaduertentiam, quamuis totum statim eijciat, & euomet, & licet in omnibus alijs præceptis, detur paruitas materiæ, in hoc tamen non datur, modo supradicto, quod adeò verum est, vt etiā Sacerdos, qui in natiuitate Domini, post consumptionem primæ Missæ, vel secundæ ablutionem accipit, vel digitos ablutos lābit, ieiunus non censeatur, nec ei liceat sequens sacrum celebrare, quia non dicitur ieiunus, ieiunio naturali, vt patet ex prohibitione *capitis ex parte de celebrat. miss.* vbi Sacerdos secundam missam dicturus, prohibetur in priori, sumere calicis ablutionem, ne naturale ieiunium soluat, cum tamen illa sit minima quantitas, & non sumatur propter nutritionem, sed propter reuerentiam Sacramenti; sumptio autem ipsius Sacramenti; quāuis ex speciebus possit homo nutriri, non computatur in ter ea, quæ soluant ieiuniū naturæ propter excellentiam Sacramenti, quod non censetur commune corporis alimentū, & ideò illa non iudicatur sumptio communis, cibi, & potus *ita Suar. in 3. par. disp 66 sect 4. §. Dico secundo Fagundez loco supra citato num 5.*

Illud tamen relinquendum non est, quod habet *D. Tho loco supra citato ad 4.* quod reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius sacramenti, quia non traijciuntur per modum cibi, sed per modum saliuæ, & eadem ratio est, de reliquijs aquæ, vel vini, quibus os abluitur, modo non traijciantur in magna quātitate, sed per mistæ saliuæ, quod vitare non potest *hæc D. Tho. vnde Suar. hic sect. 4. disp. 66. §. Quæres rursus* respondens ad illud Quæsitum, quid sit, sumi aliquid per modum cibi, & potus, & cur illa particula addita sit, ait additam esse, ad excludēdum si quid sumitur per modum saliuæ, ita etiam *Fagundez loco supra citato num. 13. & alij apud ipsum*, qui dicunt semper attendendum esse, an aliquid sumatur per modum cibi, quia sēper impedit sumptionem huius sacramenti, secus si quid sumatur, per modū saliuæ, aut per modum respirationis attractiuæ, vt infra ex *Suario.* Nu. 7

Tamen non desunt, qui probabiliter dicant, quod si quis voluntarie, & non casualiter tales deglutiret reliquias, & postea cōmunicaret, non peccaret mortaliter, & hæc sententia non solum probabilis videtur *Suario in 3. par. disp. 66. sect. 4. §. Dices ergo* qui pro hac sententia citat *Tabienam in summa verb. communio, sed hanc etiam tenet Henriq. in summa lib. 8. ca. 50. num. 4. in gl. litt. V.* & tanquā probabilem admittit etiam *Ioan. della Crux in direct. consc. par. 2. quæst. 5. dub. 4. concl. 2.* vbi sic habet, quæ manent in ore, ex extrema cęna, si casualiter, imo licet aduertenter, secundum aliquos, non impediunt sumptionem Eucharistiæ, & rationem reddunt, quia deglutio talium reliquiarum, pertinet potius ad manducationem præcedentis diei, quam præsentis, item cum dictæ reliquię hodie, nullo modo ab extrinseco, ore imponantur, non sumuntur per modum cibi, sed per modum saliuæ, & licet *Diana par. 2. tract. 4. de sacr. resolut. 37. §. Sed si aliquis* non damnet de peccato Nu. 8

mortali eum, qui voluntarie tales reliquias deglutiret, & postea communicaret, tamen fine ait, consulendum esse, dictas reliquias, quantum commode fieri potest expuere, quare *Suar. in 3. par. disput. 66. sect. 4. §. Tertio sequitur* ait si quis traijceret reliquias cibi casu, manentes in ore, ex præcedente nocte, non solui ieiunium, quia nec censentur sumi, per modum cibi, & potus, sed per modum saliuæ, nec censentur venire ab extrinseco, sed ab intrinseco, ac denique censentur pertinere ad commestionem, quæ præcedenti die præcessit.

Nu. 9 Et denique §. *Dices ergo* probabilem putat opinionem *Tabiena verb. communio* qui contra Paludanum asserebat, & si quis non casu, sed ex certa scientia, & intentione illas deglutiret, non frangere ieiunium, nec impedire communionē vnde *Petrus Osbagania apud Dianā par. 4. tract. 4 resol. 104. §. Sed ego* docet ieiunium naturale, non solui, ex eo quod reliquiæ cibi, quæ inter dentes manserūt, ex die præterito, postea in stomacho traiiciantur, etiam ex industria, & hanc opinionem etiam probabilem putat *Tāneru apud Dianam* quamquam contrariam tutiorem vocet.

Nu. 10 Vbi etiam aduerte, quod habet *Suar. loco supra citato §. Quæres rursus* quod si quid per modum respirationis attrahatur, quod possit nutrire, vel alterare, vt muscam, vel quid simile, hoc non impedire sumptionem Sacramenti, nec violare ieiunium naturæ, quia illud non est comedere, vel bibere, nec est sumere p modum cibi, vel potus, quando aliquid huiusmodi ore accipitur, quod per se, & propria actione vitali in stomachum traijcitur, commedendo, vel bibendo, ita etiam *Fagundez pracep. 3. lib 3 cap. 5. nu. 14. vnde Granado apud Dianam part. 5. tract. 5. resol. 12. §. Non desinam* ait Tabienam, & Henriq. dixisse, si musca, aut aliquid minimum casu intrauit in os apertum, non obstare communioni, quia id non est manducare. Et quidem si minimum aliquid inaduertēter traijciatur, eo ipso censetur traijci per modum saliuæ, ac proinde non soluere ieiunium *ita Granado*.

Nu. 11 Quare *Fagundez* ex Suarij doctrina colligit, quod si quis aliquātulam aquā per nare attrahat, quæ in stomachum transmittatur, non manet impeditus, ad sumptionem huius sacramenti, quia nō fuit per modum cibi transmissa, aut per modum potus, *ita etiam Diana part. 3. tract. 4. de sacr. resol. 37. § Notandum est.*

Illud autem animaduertas, quod habet *Suar. loco supra citato §. Quæres rursus fine*, quod si quis deglutiat sanguinē, vel alium humorem ex dentibus, aut ex capite decedentem in os, aut casu, ex ore manente, non frangere ieiunium naturæ, nec impedire sumptionem huius sacramenti, quia illud, nec sumitur, nec traijcitur per modum cibi, *ita etiam Fagundez loco supra citato nu. 15.* ex qua doctrina recte Ego cōsului, posse quādā monialem Eucharistiam sumere, non obstante quod ex oculis decidisse quasdam lacrimas in os, quas traiecit in fauces, siue in stomachum, vt ipsa scrupulo agitata aiebat, quia eas non sumpsit per modum potus, sed per modum saliuæ. Nu. 12

Iterum aduerte, quod si quis abluendo os, casu deglutiat guttam aquæ, aut vini saliuæ admistam, hoc non impedire communionem, quia non traijcitur per modum cibi, sed per modum saliuæ: id quod etiam dicendum est, de his, qui degustantius, vel aliquid simile condimētum, solum vt saporem percipiant, & statim expuant, nam licet cōtingat aliquid manere saliuæ permistum, & cum ea deglutiri, non soluitur ieiunium, quia illa non est commestio *ita Suar. loco supra citato §. Tertio infertur.* Nu. 13

Quid vero dicendum, de illa curiosa, & practicabilis Quæstio an sumptio tabachi in folio, puluere, aut fumo, impediat communionem, ad quam quidem difficultatem respondens *Franciscus de Nigro apud Dianam par. 5. tract. 13. resol. 1 initio* licet contrarium laudet, ait, scilicet vsum tabachi esse illicitum, & impedire huius sacramenti sumptionem, & reddit rationem, quia sæpissime descēdit in gutture, & videtur potius irriuerētia, vnde ait timoratos scrupulizare ita ille, sicuti etiā absolute vsum tabachi, ante cōmunionem nouissime damnat *Antonius de Leone apud eumdem Dianā* tamen negatiuam sententiam sequitur *Diana* qui pro se citat *Ioa. de Lugo de Sacram. Euch. disp. 15. sect. 2. num. 28. & 33.* Nu. 14

& iure

& iute optimò quia suppositio, quod ex supradictis sequitur; scilicet vt natura le ieiunium soluatur, ad impediendam sũptionem *Eucharistiæ*, duo requiri Primum quod sumatur aliquis cibus, & potus. Secũdum quod talis cibus, & potus sumatur per actionem, quæ fit commestio, & potatio, hoc igitur supposito manifeste sequitur huiusmodi tabachi sũptionem, non frangere naturale ieiuniũ, nam tabachus in puluere, foleo, & fumo sumitur per nares, ergo non frangit ieiunium naturale, quia nõ sumitur per actionem commestiuam, quæ solo ore efficitur, & confirmari potest ex his, quę supra diximus *ex Suario, & Fagundez*, qui docẽt, quod si quis per nares aliquã tulum aquæ sumat, non frangere ieiunium naturale, quia illa aqua non potest dici sumpta per modũ potus vide *Marchantium apud Dianam par. 8 tract. 7. resol. 3. S. Sed ego* qui quidem Marchãtius hanc etiam approbat sententiam.

Nu. 15 Verũ quid dicẽdũ, quãdo folia tabachi non apponuntur in naie, sed in ore, an impediant communionem respondent *Alphonsus de Leone, & Ioannes Præpositus apud Dianam par. 5 loco supra citato §. Verum* quod tunc impeditur communio per sumptionem tabachi, quando per os sumitur, & in stomachum transmittitur, quia sumitur per modũ cibi; maneat igitur, quod si nihil de illo in stomachũ traijciatur non impeditur communio *quamquam Diana par. 8. tract. 7. mis. resol. 3. §. Hac tamen* optime asserat hæc tamen dicta esse volo in rigore loquendo, nam ob reuerentiam debitam Sacramento consulo, vt à sumptione tabachi abstineatur, maxime in folio per os, propter periculum illud trahiciendi io stomachum verum legite *Dianam par. 5. loco citato*, qui etiam affert nonnullos afferentes, non violare ieiunium, neque Ecclesiasticum, neque naturale, qui deglutiunt in magna quantitate nummos aureos, & idem dicendum est de plũbo, de fragmentis metallorum, de vitro, de lapillulis, ligno duriori, & similibus, & reddunt rationem, quia nomine cibi, nõ intelligontur, nisi ea, quæ per se loquendo, alterari possunt à stomacho.

Nu. 16 Quid vero dicendum, de illa Quæstione, an si quis noctu, ante cubitum, mifit in os aliquid saccari v.g. atterendũ, & paulatim liquefaciẽdũ, quod durat post mediam noctem alterius diei, vel vsque ad mane diei sequentis, frangat ieiuniũ naturale, nec ne, ad hanc quæstionem respondeo dicendum frangere ieiuniũ naturæ, & manere impeditum, quia nõ sunt reliquiæ cibi, sed verus cibus, & totum illud esse, quamdam successiuam manducationem, quæ ex parte fit eo ipso die *ita Suar. tom. 3. in 3. par. disput. 66. sect. 4. §. Dices ergo* vbi concludit oportet ergo vt tota manducatio per se, & ex intentione absoluatur die precedente, reliquiæ autem dicuntur, quæ casu, & præter intentionem in ore manent, & traijciuntur, vbi tandem fine ait, cũ iam non videatur, id sumi per modum saliuæ, consulendum esse, vt in huiusmo di casu hæ particulæ expuantur potius, quam traijciantur, & hanc sententiam sequuti sunt etiam *Fagundez precept. 3. lib. 3 cap 5, numer. 16. Diana par. 2. tract. 14. resolut. 51. §. Negatiue initio, & par. 7. tract. 12. resol. 10. vbi citat Sancium in selectis disp. 42. num. 21. & quamplures alios Doctores.*

Nec valet dicere, quod illud non sumitur illo die ab estrinseco, nec traijcitur per modum cibi, sed per modum saliuæ, quia respondent cõmuniter Doctores, illam esse quamdam successiuam manducationem, quæ ex parte fit eo die *ita Suar.* & cum illa materia imponatur vt paulatim deglutiatur ex intentione sumentis, tandiu durat eiusdem cõmestio donec ipse totam deglutiuerit *ita etiam Diana §. Nec valet.* Nu. 17

His tamen non obstantibus, sunt qui contrariam sententiam doceant, & præcipue *Tabiena communio* vbi concedit id quod præterito die, intra os sumptũ est, etiam si data opera deglutiatur, in sequente, non soluere ieiunium naturæ, neque impedire sumptionem Eucharistię, quia inquit ad hoc opus est, sumptione alicuius rei exterioris, quæ fit eodẽ die, igitur necesse est vt res aliqua, eo die in os mittatur, & hanc sententiam sequutus est *Bartholomeus à Sancto Angelo apud Dianam par. 2. tract. 14. resolut. 51. §. Non reticebo fine* vbi ait quod dictũ est, de saliua, & de reliquijs cibi, & huiusmodi, dicendum est de eo, qui in sero Nu. 18

acci-

accipit aliquid in ore pro uoce, vel pro alio, quod remanet, non enim venit ab extrinseco post mediam noctem, nec propter hoc, ille non esset ieiunus, quæ quidem opinio nouissime, non existima tur improbabilis à P. *Amico Societatis Iesu* cum talis liquor in stomachum descendat per modum saliuæ *ita Amicus apud Dianam par.7.tract.12.resol.10.fine* vbi concludit *Diana*, & optime Tu lector iudica.

Nu. 19 At vero qui cubitum it, ori saccarũ imponit, & nescit postea, an ante mediã noctem liquefactum fuerit, an possit ad huc missam dicere, aut Eucharistiam sumere, ad hanc difficultatem affirmatiue respondet *Tab. Bartholus ab Angelo supra citati. Stephanus Bauny apud Dianam par. 6.tract.7.resol.15.initio* Tu tamen negatiuam tene sententiam *cum Fagundez precep.3.lib.3 cap.5.num.16.& 18. Diana §. His tamen*, & hanc negatiuam sententiam docuit in terminis *Iacobus Marcantius apud Dianam par.7.tract.12.resol.10.vers. vnde si quis* vbi habet si quis cubitum iret, cum saccharo in ore, de quo dubitet, an ante mediam noctem, totum deglutierit, teneat se non ieiunum, sed de hoc etiam infra.

Nu. 20 Quid vero dicendum de eo, qui mane solet deglutire aliquid ex proprijs vnguibus, vel papyri, aut chartæ, cretæ, aut quid simile, non commestibile, an possit Eucharistiam sumere, iam supra diximus quare quidquid dicant alij apud *Dianam par.2.tract.14.resol.52.initio, & tract.4 de sacr.resol.38.* probabilio rem puto eorum opinionem, qui affirmant, comedentem modicum papyri, aut quid simile, non habens rationem cibi, aut medicinæ, posse Eucharistiam sumere *ita Sancius in selectis disp.42.nu 23.* vbi sic habet infertur etiam quod, qui parum papyri, aut alterius rei non commestibilis, deglutisset, possit communicare solus enim cibus, aut potus impedit communionem, qui pro hac sẽ tentia citat quomplures Doctores ita etiam *Diana non solum tract.4. de sacr. resol.38. sed etiam tract.14. resol.52. citata vbi §. Sed hac vers. ex quo* infert mulierẽ terram, aut simile comedentem, siue illud commedat ob delectationẽ, quod est commedere per modum cibi, siue commedat vt colorem minuat, quod est commedere per modum medicinę, non posse post istorum sumptionem Eucharistiam sumere.

Nu. 21 Ad illam autem Quæstionem, num dubitans, an aliquid cibi, vel potus sũpserit, possit Eucharistiam sumere *Sancius in selectis disp.42.§. In triplici igitur* respondet ad maiorem elucidationem quęstionis in triplici casu posse hãc quę stionem disputari.

Nu. 22 Primo quando, quis dubitans, an audita fuerit hora duodecima noctis, & cõ medit, aut bibit, taliter quod dubium cadat in tempus, & non supra actionem commedendi, & bibendi, cũ certus sit homo, iam commedisse, & bibisse.

Nu. 23 Secundo quando, quis certus est, ad lauandum se v.g. aquam ore assumpsisse, & dubitat, an aliquam transglutierit guttam, taliter quod dubium sit, circa actionem commedendi, vel bibendi.

Nu. 24 Tertio quando, quis dubitat, nec recordatur, an aliquid cibi, vel potus ore sumpserit, & non possit certificari, an saltem ore sumpserit, his igitur adnotatis.

Nu. 25 Ad quæstionem *Sanch. tom.1. lib.2. de matr. disp.41. numer.40. quem sequitur Fagundez præcep.3.lib.3.cap.5. num.18. & præcep.4.lib.1.cap.10.num.1.* negatiue respondet dicens, quod si quis dubitans, an audita fuerit hora noctis duodecima, & cõmedit, aut bibit, non posse die sequenti, ad Eucharistiã accedere, quia nulla est possessio, ex parte illius, vt in dubio, eius conditio potior sit, tu etiã quia possessio est, ex parte præcepti cõmunicandi, seruato ieiunio naturali, & in dubio, vbi nulla est possessio alicui fauens, amplecti debet, quod tutius est.

Nu. 26 His non obstantibus, aduersus *Sanch.* insurgit nouissime *Sancius loco supra citato qui num.2.* illum acriter impugnat, & tandem *nu.9.* respondens ad quæsitum ait quoties quis dubitãs, an hora duodecima noctis sonuerit, comedit, vel bibit, aut os abluendo, dubitat, an aliquã guttam deglutierit, potest sacram Eucharistiam suscipere, si deponat dubiũ practicum, iudicans, quod hic, & nunc sibi liceat suscipere, quantumcunque perseueret in dubio speculatiuo. Et ita agendum esse possunt consulere confessarij, quam

quam quidem sententiam *Diana par. 2. tract. 4. de sac. Euch. resol. 1. §. Sed his fine*, existimat in praxi tutam, & securã esse.

Nu. 27 Quare ad aduersatiorum argumenta respondet *Sancius*, & pro sua sententia efficaces adducit rationes, & primo quod melior sit conditio possidentis, non solum in materia iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum, vti probat *Suar. tom. 2. de relig. lib. 4. de obligatione voti cap. 5. num. 7.* vbi probans eum, qui post moralem diligentiam, dubius manet de voto emisso, & non potest ferre probabile iudicium, quod illud emiserit, non teneri ad talis voti obseruationẽ, & probat ex communi fundamento, quod in dubijs melior est conditio possidentis, nã ille sic dubitans, possidet suam libertatem, ergo est melior conditionis, vt nõ subijciatur obligationi voti, propter solam dubitationem, respondet ait *Suar.* aduersarij principium illud, in dubijs melior est conditio possidentis, habere locum in materia iustitiæ non aliarum virtutum: concludit *Suar.* hoc gratis dici, quia iura, ex quibus regula illa sumitur generatim, & sine restrictione loquuntur, ita etiam *Sanch tom. 1. de matr. lib. 1. disp. 9. num. 11. § cæterum* vbi habet in dubio melior est possidentis condictio, non tantum in materia iustitiæ, sed in quacunque alia *ita etiam lib. 2. disput. 41. num. 32.* vbi habet verius esse in quacunque materia potiorem esse in dubio possidentis condẽnationẽ, quia possessio est, titulus vniuersalis, omnibus virtutibus, *& in summa lib. 1. cap. 10. num. 36. & alij* maneat igitur in casu nostro, cum ille ante dubium, suam libertatem possideat, ad suscipiendam Eucharistiam, propter superueniens dubium, ea priuari minime debebit: aliàs ius dubiũ vinceret, ius certum, quod dicendum non est, quare non solum in primo, sed etiã in secundo, & tertio casu intelligẽda est vera *Sancij* sententia vt patet §. *Nec in secundo, & §. Nec etiam in tertio.*

Nu. 28 Ex his infert, à fortiori *Sancius num. 9. §. Ex his* posse scilicet communicare habentem rationes probabiles, quod nõ ederit, vel biberit post mediam noctẽ, quamuis contrariæ partis habeat formidinem. Nam si ille, qui omnino dubius est, an ederit, vel biberit post dimidiam noctem, potest crastino communicare, vti supra dictum est satius, qui rationibus probabilibus fuerit nixus: rationes autem probabiles essent, si quis solitus sit horas animaduertere, seu cognoscere ex mora, & duratione actionum suarũ, & iudicet probabiliter, horam duodecimam, non esse possibile sonuisse, quia actio solita finiri, ante horam duodecimam nõ esset consumata, vel quia amici, vel serui non sonuisse testantur, licet non certo, & hanc sententiam sequutus est etiam *Layman apud Dianam part. 3. de sacr. Euch. resolut. 29. §. Et post hæc* qui proponens hanc difficultatem. Nũquid Sacerdos dubitans, an noctis medium, cænando excesserit altera die sacrificare poterit, negat *Sanch.* quia in tali dubio tutior pars eligenda videtur, propter reuerentiam Sacramenti, sed existimat *Layman* non improbabiliter permitti posse sacerdoti, vt in tali casu sacrificet, etiam propter deuotionem, ac nulla cogente necessitate, quia lex Ecclesiastica de ieiunio communicaturis seruando, non videtur tam arcte constringere conscientias, in casu dubio.

Inferri etiam potest secundo, quod si diuersa sint horologia, quo ad ieiuniũ, & vt sequenti die communicare quis valeat, posse eligere horologium, quod sonuerit vltimo loco, & si sequens dies, sit ieiunij, poterit dubitans cænare, vel edere carnes, cuius ratio est quia, est veluti si essent duæ rationes, vel opiniones probabiles, poterit vtram illarum amplectere, ita *Sanch lib. 2. de matr. disp. 41. num. 40. §. Quod si Sancius in selectis disp. 42. num. 18. Fagundez præcep. 4. lib. 1. cap. 10. num. 3. Barb. de off. & potest. Epis. par. 3. alleg. 57. num. 186. Diana tract. 4. de Sacram. resol. 36. § Sed mihi, & par. 4. tract. 3. de consc. dubia resolut. 19 vbi § At pace* existimat hanc sententiam tutam in praxi, & probabilem, licet contraria opinio probabilis etiã sit vti asserit *Diana*. Nu. 29

Animaduertas autem, quod habet *Barb. loco supra citato num. 185.* quod si diuersa sint horologia, maximum faciendum esse discrimen, an res de qua agitur, fauore digna sit, an odio, nam in his, quæ fauoris sunt, standum erit horologio, quod propritium fuerit causæ fauore dignæ, in causa vero odiosa, contrarium Nu. 30

rium ſequendum hæc *Barb.*

At vero ſi tantum vnum ſit horologium,& vbi incipit ſonare duodecima, aliquis bibet, vel comedet, licet quando ſonaret vltimus pulſus, deſijſſet bibere, vel commedere, non poterit die ſequēti communicare, quando enim primus pulſus horæ auditur, iam eſt hora expleta,& horologium tantum eſt teſtis id indicans, quamuis autem diuerſi ſint pulſus, id euenit quia nequit vno pulſu indicari hora duodecima, ſicuti vno pulſu indicatur hora prima *ita Sanch. tom. 1. de matr. lib. 2. diſp. 4* t. *num. 40. §. Tandem Fagundez præcep. 4. lib. 1. cap. 10 num. 3. Sanctius in ſelectis diſp. 42. nu. 19. Diana tract. 4. de Sacr. reſol. 36. §. Notādum eſt, & par. 6. tract. 6. reſol. 34. initio qui pro hac ſententia citat lo. Præpoſitum ita etiam Barb. nu. 183. fine.*

Nu. 32 Ex quibus infert *Sancius loco ſupra citato num.* 20. quod qui buccellam habet maſticans,& audiuit primum pulſum horæ duodecimæ noctis, tenetur in continenti de ore eijcere buccellam, ſi in craſtinum velit communicare poſtquā ergo buccellam eiecit, non tenetur eſſe nimis anxius, ad abluendum os, ſi tamen maſticans buccellam de materia carnis,& dies ſequens ſit ieiunij, non tenetur eijcere, etiam ſub veniali, non enim cum tanto rigore illud præceptum poſitiuum obligat, ſe moto contemptu.

Nu. 33 Aduertas tamen probabilem eſſe ſecundum opinionem *Martini Breſſeri Societatis Ieſu apud Dianam par. 6. tract. 6. reſol. 34 §. Non deſinam* vbi ſic habet probabile videtur horam duodecimam durare moraliter, vſque ad vltimum ſonū, adeoque interim bibentem,& comedētem, nō violare ieiunium, vel naturale, vel Eccleſiaſticum ſequentis diei.

Nu. 34 An qui poſt primum pulſum horæ quatrantis, vbi ſolent pulſari ante horas, ſeu pulſus maiores, in media nocte biberet, aut commederet, poſſet communionem ſumere, negatiue reſpondet *Lugo apud Dianam loco ſupra citato,*& reddit rationem quia cum incipit pulſari primus pulſus quatrantis, iam eſt completa hora duodecima, & incipit alia hora alterius diei, *Sed Turllench in decal. tō. 1 lib. 3. cap. 2. dub. 4. num. 8.* putat hoc mathematice verum eſſe, quia tamen moraliter pulſus leuiores quatrantis, & primus pulſus, horæ maioris cōputari poſſunt, pro vnico tempore,& quaſi compleri totam horam, vſque ad primum pulſum horæ maioris, *& Breſſerus* probabile putat vſque ad vltimum pulſum, id eo aliquis in tali caſu, poſſet dicere, non eſſe à communione abſtinendum.

Ad probandum tandem, an ſit media nox, in locis, vbi nō eſt horologium, vel ſi ſit non eſt bene ordinatum, ſeu quod audiri non potuit, aut de facto non fuit auditum, accipienda eſt media nox, iuxta curſum noctis, arbitriumque, ac iudicium hominū,& à communiter accidentibus,& vero ſimilibus, vt ex Galli cantu *ita Barb. de off. & poteſt. Epiſ. par. 3. alleg. 57. num. 18.* quamquam alij ex Galli cantu potius probent, noctem eſſe iam verſus diem inclinatam, diemque ſequētem iam cæptum,& huiuſmodi coniectura ſit leuis ponderis, cum diu, noctuq; galli cantare, non prætermittant quam uis verſus auroram cantare frequētius ſoleāt ſed de hoc gallinaceo apud ipsū. Nu. 35

QVAERES DECIMO OCTAVO.

An poſt voluntariam pollutionem, vel fornicationem, ſi poſtea confiteatur, peccet venialiter, ſumendo Eucharistiam.

AD præparationem corporis, ſpectat, vt ſuſcipiens Euchariſtiam, non ſolum debeat eſſe ieiunus, modo ſupra iā dicto, ſed etiam modo corpore, & abſque voluntaria pollutione maculato, quare iure optimo; hoc Quæſitum hoc loco poſuimus,& vt diſtinctius procedamus à facilioribus incipiēdum eſt; Nu. 1

Et primo animaduertas, pollutionē nocturnam, vel diurnam dupliciter contingeri poſſe, vel ſine culpa mortali,& inuoluntarie, vel voluntarie,& cum culpa mortali, ſi contingat inuoluntarie, & ſine culpa lethali, licet aliqui cenſeant eſſe culpam venialem tantum, eodem die cōmunicare, poſt polutionem, etiā inculpabilem, alij item dicunt per ſe quidem non eſſe peccatum veniale, ſed optimum conſilium eſſe, eo die à communione abſtinere *auctores harum ſententiarum legito apud Fagundez præcep. 3. lib.* Nu. 2

lib. 3. cap. 5 num 6. & Suarium in 3. par. disp 68. sect 2. §. Ex hac enim.

Nu. 3 Dicendum tamen puto, quod quoties pollutio contingit inuoluntarie, & sine culpa lethali, non esse neque peccatū veniale, eodem die post pollutionem communicare, neque optimum consilium, eodem die a communione abstinere ita *Suar. loco supra citato* Fagundez *vbi. num. 6.* habet potius dicendum esse, optimum esse consilium tunc accedere digne, deuote, ac reuerenter, vbi fine habet posse diabolum, distractionem mentis, post pollutionem transactam, incitare, vt priuetur homo vtilitate, ac gratia tanti mysterij, quam obrē inclinare debet potius cōfessarius, vt communicet, quam vt non communicet.

Nu. 4 Quare *Sancius in selectis disp. 23. num. 29.* ait hæc formalia verba notatu digna non esse consolendum illi, qui habuit nocturnam pollutionem, à communione abstinere, nam cum tunc pollutio sit inuoluntaria, & distractio erit inuoluntaria, quod intelligo etiam licet orta fuerit pollutio, ex peccato, vt ex nimio cibo, & potu, aut nimis calido, ex cogitationibus turpibus, per diem conceptis, siue ex obscenis verbis, cum feminis, imo, & tactibus impudicis, dum nō sint ita continuati, vt semen e lumbis incipiat decidere, & pollutio sit in via, quod fieret sane per tactus continuatos, hæ enim non sunt causæ notabiliter influentes, neque efficaciter efficientes pollutionem, aliàs ex illis semper fere pollutio proueniret, quod tamen experientia testatur esse falsum. Quotiescunque vero ex causa per accidēs, sequitur pollutio, aut ex causa adeò inefficaci, & remota, vt non valeat influere effectum, ad culpam non imputatur, nisi ea intētione causa ponatur, vt pollutio eueniat, quo casu non in causa, sed in se erit volita pollutio *hæc Sancius* qui sine concludit, Si ergo quando cogitatio turpis præsens est, in appetitum sensitiuum nō influit pollutionem, quomodo credi poterit influxuram, quando absens, vt pote in somnis ita ille.

Nu. 5 Quid vero dicendum, de copula coniugali, de qua satis confuse loquuntur doctores *vti ait Sanch. tom. 3. de matr. lib. 9 disp. 13. num. 1.* ideo vt clarius procedamus, eādem methodum sequar, quā secutus est ipse *Sanch.* Quærendo primo de petitione debiti ante communionem: secundo de redditione: tertio de mora temporis inter concubitum, & cō munionem: quarto de exactione debiti, & redditione post communionem.

Illud tamen, tanquam certum supponendum est, minime culpam lethalem admitti, ob Eucharistiæ receptionem, post copulam coniugalem vti docet *Sanch. loco supra citato* quare solum difficultas est, num sit peccatum veniale, debitum exigere die, qua sumenda est Eucharistia. Nu. 6

Ad quam quidem difficultatem, respondent nonnulli apud *Suarium in 3. par. disp. 68 sect. 2. § Secundo intelligitur* esse peccatum veniale non abstinere saltem ea nocte, quæ communionem antecedit, alij vero apud *Sanch. loco supra citato num 3.* censent nullam esse culpā, quamquam de consilio sit, post copulā coniugalem abstinere. Nu. 7

Respondet tamen *Sanch. ad difficultatem num. 4.* conuenīctissimum esse, post copulam coniugalem, siue petendo, siue reddendo exercitam, abstinere ea die à communione, id quod consulendum esse ait, nisi iusta aliqua causa oppositum suadeat, vnde *num. 5* habet quod si debitum petitum sit recto fine, vt causa prolis, nullam esse culpam ad Eucharistiā ea die accedere, sed solum esse consiliū, abstinere, & idem dicendum existimat *Sanch. num. 6.* vbi finis concubitus non esset proles, nec voluptas, sed incontinētiæ periculum euitare, quamquam *nu. 7.* teneat debitum coniugalem exigens, ex nimia carnis concupiscentia, & voluptatis capiendæ gratia, regulariter veniale peccatum esse post eam ad Eucharistiam accedere, propter magnā mentis distractionem: licet aliquæ iuste causæ adesse possint, excusantes nullam esse culpam, ad Eucharistiam accedere. Prima igitur est magna festi solemnitas. Secunda si sit dies iubilei, & exigat cōmunionem, quo comparetur. Tertia est specialis deuotio, & præparatio ad communionem. Quarta est nota aliqua, ex eo quod communio omittatur. Tandē *nu. 9.* concludit coniugem redentem debitum, non impediri ad Eucharistiam Nu. 8

accedere, ita etiam *Suar. in 3. par. disput. 68. sect. 2. §. Secundo intelligitur vers. & in primis, unde Sanch.* ait minime eximi cõiugem a debiti reddendi obligatione, eo quod illa die Eucharistiam recepturus sit quia obligatio hæc, ex ipsa iustitiæ lege oritur, nec inuenitur ius aliquod hūc casum excipiens.

Nu. 9 His tamen non obstantibus *num. 12.* licet affirmet coniugem redentem debitum, nullam culpam committere, ad Eucharistiam accedentem, tamen optimum consilium esse ait tunc ab ea abstinere.

Nu. 10 At vero, quanta temporis mora præscribenda sit, vt post coitum coniugalē, decenter ad Eucharistiam accedatur. supponendum est huiusmodi moram, non esse necessariam, sed tantum sub cōsilio *ita Sanch loco supra citato numer. 13. vbi num. 15.* existimat certam moram præscribi minime posse, sed potius statuendam esse hāc regulam, vt quamdiu mentis euagatio perseuerat, duret impedimentum, & indecentia accidendi ad Eucharistiam, & cessante illa cesset *hæc Sanch.*

Nu. 11 At vero his tamquam suppositis *à Sāctio in inselectis disp. 23 num. 1.* vt dubio proposito satisfaciat *nu. 11.* notat aliud esse consulere coniugibus, vt abstineāt à copula, antequam suscipiant Eucharistiam, aliud vero, vt post habitam copulam, Eucharistiam non suscipiant. Non dubito ait *Sanctius* quin sit sanum consilium, coniuges ob reuerentiam suscipiendæ Eucharistiæ, à copula abstinere, sicut enim sanum consilium est, vt pridie Eucharistiæ sumendæ abstineat, homo à ludo licito, vel à cibo, & alias mortificationes exerceat, vt dignius Eucharistiam suscipiat, quis enim negare poterit, salubrius esse consilium, à copula licita abstinere, mortificatione assumpta, vt complaceat homo Deo, à quo impetret deuotionem feruentem, ad dignius suscipiendam Eucharistiam, & optime se gerunt confessarij tale præstantes consilium, at consulere, quod post habitam copulam, Eucharistiam non suscipiant, minus bonum est, vt pote consilium de minori bono *hæc Sanctius.*

Nu. 12 Quare ad Quæsitum, num scilicet sit consulendum coniugibus, post habitam copulam, nocte saltem antecedente diē sumptionis Eucharistiæ, eam non recipere, respondet *num. 13. Sanctius contra Sanch. lib. 9 de matr. disp. 13 num. 4.* nullā irrogari irreuerentiam Eucharistiæ, si post habitam coniugalem copulam, suscipiatur vnde sine fundamento, consilium de abstinendo, dabitur, nam, & si, ante habitam copulam, consulenda sit abstinentia pro suscipiēda Eucharistia, quamuis & habere eam ante susceptā, sit actus virtutis excellentior: tamen actus virtutis exercetur, abstinendo à copula, quam Eucharistia foret sumenda, at qui post habitam copulam, ab Eucharistia, ratione reuerentiæ abstinet, licet exerceat actum religionis; impedit tamen actum excellentioris religionis, scilicet realem sumptionem Eucharistiæ. Maneat igitur, sine fundamento, dari consilium abstinendæ Eucharistiæ, cum detur consilium de minori bono. Item si suscipere Eucharistiam post habitam copulam, nullum est peccatum, vti supra probatum est, & ex alia parte perfectior actus virtutis, est realis Eucharistiæ susceptio, quam illius desiderium, qua nam ratione erit salubrius consilium, non agere illud, quod secundum se est perfectius.

Et vlterius *nu. 19.* propenēs Sancius hoc secundum, & efficacius dubium; Nu. 13 An casu, quo coniux propter habitam copulam, esset distractus, sit illi consulēdum abstinere eo die, ab Eucharistia, & adhuc substinet, non esse illi consulendum, nam vel huiusmodi distractio est voluntaria, vel inuoluntaria, si est inuoluntaria, consulendum est coniugibus, die habitæ copulæ communicare, siue ea habita sit causa prolis generandæ, vti habet *Sancius nu. 23.* siue ob vitandam incontinentiam, vt videre est *nu. 24.* siue ad captandam voluptatem *vti nu. 25.* quia accedere ad propriam vxorē, hoc sine peccato veniale non est.

Si vero voluntaria esset distractio, ta Nu. 14 li casu, peccatum veniale esset, in aliorum opinionem, Eucharistiam suscipere, & à Confessarijs ita iudicantibus dissuadenda illius diei communio, at *Sanctius* ait ego tamen nequaquam dissuaderem, cum nouum peccatum non sit, sic distractum ad eam accedere *ita nu. 22.*

§ Si

§ Si *vero* vbi fine ait arbitror quidem Ego rarissime contingere, (in millies semel) distractionem deuenire voluntariam, & affectatam. Quod vero sit voluntaria in causa scilicet in copula, non obest cum vero causa fuerit licita, effectus sequutus licitus erit.

Nu. 15 Et tandem, an post susceptam Eucharistiam, liceat ea die petere debitum respondet *Sanch. lib. 9. de matr. disp.* 13. *nu.* 17. nullam esse culpam, quamuis sanū consilium sit ob Eucharistiæ reuerentiam abstinere, ita etiam *Sanctius loco supra citato num.* 11. §. *Fatemur* vbi habet hoc intelligendum esse, nisi adesset periculum pollutionis, aut fornicationis cum aliena, ob adimplendum enim præceptum, consilium deferendum est *ita etiam Diana par. 6. tract. 6. resol.* 14. *vbi* §. *Verum mihi* habet in eadem die, post susceptam Eucharistiam, petere debitū, etiam causa captandæ voluptatis, non esse peccatum veniale, quia nullibi reperitur talis prohibitio, nec videtur tanta indecentia, quæ culpam constituat, nec debemus laqueos coniugatis inijcere, & hanc sententiam sequuti sunt *Reg. Megalius, & alij apud ipsum.*

Nu. 16 At vero si pollutio voluntaria, & cū mortali culpa contingat, duplex est opinio, quidam enim dicunt peccatum esse mortale post pollutionem, aut fornicationem voluntariam, intra diem naturalem viginti quattuor horarum, ad cō. munionem accedere, & reddunt rationem, quia carnis peccatum, propter corporis feditatem, affert communiter magnam mentis distractionem, vt videre est *apud Fagundez præcep.* 3. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 7.

Nu. 17 Alij vero, licet probabilius contrariū doceant, & asserant, Ecclesiæ præceptū, si quod olim hac de re fuit, consuetudine communi, & vniversali totius orbis, esse abrogatum vt videre est *Fagundez loco supra citato num.* 8 tamē cum distinctione deinde *nu.* 9. loquuti sunt dicentes si sit sacerdos, post voluntariā pollutionem, aut fornicationem non impediri à celebratione Missæ, post veram contritionem, & confessionem, cum sæpe causa iusta celebrandi adsit ob bonum commune, in quod semper sacrificium missæ redundat, rarius tamen permittetur priuata communio in laicis, cum peccatum veniale sit, præmissa confessione communicare, sine causa post prædictam pollutionem, aut voluntariam fornicationem, propter aliqualem irreuerentiam huius sacramenti, ob corporis, & vasis culpabilem immunditiam, si tamen causa rationabilis communicandi subsit, post factam confessionem, talis voluntariæ pollutionis, aut fornicationis v. g. si instet iubileum, aut si timet se in maiora peccata, & grauiores tentationes casurum, nisi Eucharistiam suscipiat, nullum erit peccatum, neque veniale tunc communicare.

At *Sanctius in selectis disp.* 23. *num.* 30. non solum habet qui fornicationem, aut pollutionem voluntariam commisit, si ab illa confiteatur, vero dolore peccati sui pœnitēdo, nullo modo facere cōtra consilium communicando vti affirmat *D. Tho. opusc.* 65. §. *de Euch. num.* 20. dicēs, vere pœnitentibus nō debere Sacerdotem Eucharistiam denegare, verū etiā neque veniale peccatum committere, vti superius aliqui Doctores asserebant, Imo quadam ratione *Concilio Trid.* aduersari viderentur, qui asserunt deleto iam peccato per confessionem, adhuc fidelem non esse dignum Eucharistiæ suscipiendæ, asserit enim *Tridentinum sess.* 13. *cap.* 7. illum sancte, & digne Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, aut si sit conscius digne accedet, se per confessionem probando, igitur asserere, deleto iam peccato per confessionem, adhuc fidelem non esse dignum Eucharistiæ suscipiendæ, quia si suscipiat, peccatum veniale sit commissurus, aduersari concilio videtur manifestum, cum sequatur eum non accedere tūc sancte, & digne, cum actionem exerceat ex mente horū doctorum intrinsice malam, & culpabilem *hæc Sanctius.* Nu. 18

Vnde *num.* 31. *infert Sanctius* ex his supradictis minus bene acturos confessarios (Secundum se loquendo) qui coniugatis volentibus communicare, post habitam copulam, non permittunt, & eiusdem minus boni consilij rei erunt, si non permiserint accessum ad sacram communionē vere, & ex maximo corde pœnitentibus, & præmissa confessio- Nu. 19

 ne,

ne, licet paulo ante carnaliter fuerint polluti: cum tunc communicare nullatenus peccatum sit, procurando saltem expellere distractionem, vel etiam si nō procurent distractionem expellere, & aliàs abstinentes ab Eucharistia, maximis careant vtilitatibus, quibus per confessarios defraudari fideles minus sanū consilium erit secundum se loquendo. Nam sub velamine reuerentiæ erga sacramentum, defraudant illud excellentiori reuerentia, quæ ex reali sumptione illi accresceret, cum ob realem sūptionē institutum fuerit à Christo, & sic suscipientes fini institutionis conformātur, & insuper pœnitentem defraudant gratia sacramentali, & alijs plurimis effectibus. Fateor quidem ego, me reum iudicaturum iri, si dignum pœnitentem communione defraudarem *hac Sanctus* qui pro se citat quomplures Doctores, quæ valde notanda, & tandem hanc sētentiam sequutus est etiam *Diana par. 3. tract. 4. de Sacram. resol.* 30. Vnde à fortiori apparet refellendū esse *Nau. apud Dianam* asserentem esse peccatum mortale, accedere ad recipiendum Sacramētum Eucharistiæ, ante diem integrum, post quodcunque peccatum mortale, etiam si homo sit de illo contritus, & cōfessus: responsionem ad argumenta aduersariorum contra *Sancij sententiam legite apud ipsum num.* 32. & hæc de corporali præparatione, vt autem ad spiritualem deueniamus.

QVAERES DECIMONONO.

An qui in mortali est, suscipiens Eucharistiam, duplex committat peccatum, & quis eam suscipere teneatur.

Nu. 1 ID quod quærimus est, quo ad primā huius Quæsiti partem, an suscipiens Eucharistiam in peccato mortali, sine præuia confessione, committat duplex mortale peccatum, vnum impenitentię, contra præceptum confitendi, ante communionem aliud sacrilegij, contra dignam susceptionem Eucharistiæ, ad quod quidem Quæsitum affirmatiue respondent aliqui, & satis probabiliter, propter violationem duplicis specialis pręcepti, quę cōtigit in proposito casu.

Quare probabilius mihi videtur, vni Nu. 2
cum tantum committere mortale peccatum, & graue sacrilegium, contra dignam Sacramenti susceptionem, cuius rationem reddit *Diana par. 3. tract. 4. de Sacr. resol.* 35. quia vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantum: verum qui non præmittit confessionem, ante sumptionem Eucharistiæ, solum non ordinat vnum, propter aliud, ergo vnum tantū committit peccatum, scilicet non ordinando cōfessionem ratione Eucharistiæ suscipiendæ, & patet quia cum duo præcepta simul occurrunt, & vnum obligat tantum, ratione alterius, vt est in casu nostro, violatio vtriusque, erit vnicum solum peccatum maneat igitur dicendum, quod si quis omittat confessionē, quando necessaria est, solum ratione Eucharistiæ suscipiendæ, non peccare contra præceptum affirmatiuum confessionis, sed contra præceptum suscipiendi digne Eucharistiam.

Ex hoc bene infertur, quod habet *Fagundez precep. 2. lib. 3. cap. 3. num.* 8. quod Nu. 3
qui tempore præcepti Ecclesiastici in quatragesima fecit confessionem inualidam, licet peccet contra præceptum diuinum, de integritate confessionis, & cōtra præceptum Ecclesiæ annualis confessionis, tamen vnum tantum peccatū committit, quia præceptum Ecclesiæ subordinatur præcepto diuino.

Hoc autem peccatum, quod quis cō Nu. 4
mittit communicando in peccato mortali, est graue sacrilegium modo supradicto, contrarium virtuti religionis, vti habet *Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 66. sect. 2. initio Fagundez precep. 3. lib. 3. cap. 8. nu.* 11. & ratio est illa eadem, quam assignat *Suar.* quia hoc sacramentum est res maxime sacra, cui ex virtute religionis, prius cultus, & reuerentia debetur, nam sicut Christi adoratio, ad religionem spectat, ita & huius sacramenti veneratio, ergo iniuria, quæ illi fit, contraria est religioni, atque adeo sacrilegium.

Hinc sequitur primo hoc peccatum, Nu. 5
ex genere suo non esse, tam graue, quā grauia sunt illa, quæ committuntur cōtra virtutes theologales, contra scilicet Fidem, spem, & charitatem, vnde non est tam graue, quam odium Dei, vt hæresis, & desperatio, nam illæ virtutes, vti

ait

ait *Suar.* sunt perfectiores religione, quia immediatius Deum attingunt, ergo eadem ratione vitia illis contraria, erunt grauiora.

Nu. 6 Sequitur secundo, hoc peccatum ex genere suo grauius esse, quam ea, quæ sunt contraria virtutibus moralibus, religione inferioribus, nam priuat perfectiori honestate, & immediatius Deum attingit.

Nu. 7 Sequitur tertio hoc peccatum in sua specie, non esse grauissimum omnium, quę religioni opponūtur, grauius enim peccatum in virtutē religionis est blasphemia, periurium, & peccatum cōtra spiritum sanctum, quia blasphemia aufert à Deo diuinitatem: Periurium veritatem: Peccatum vero sacrilegij, de quo agimus, aufert à Deo cultum religionis, quo sancte, & pure debet suscipi, excellentior autem est res diuinitas, & veritas in Deo, quam religio, & cultus illius, & ideo peccata illis contraria, erunt in sua specie grauiora.

Nu. 8 An vero hoc peccatum ex specie sua, sit grauius homicidij peccato, quod est contra iustitiam, aut peccato adulterij, aut omnibus peccatis contra naturam, & eadem dubitatio esse potest de cęteris peccatis oppositis, virtutibus moralibus, quidnam enim putant grauius esse hoc peccatum indignæ sumptionis, quam prædicta peccata, sed contrariū tenet *Suar. in 3 par. disp. 66 sect. 2. §. ex hac verò fine* vbi concludit, & ideo nunc satis est dicere, practice loquendo ferè semper illa peccata homicidij, esse grauiora, vel propter maius nocumētum, vel quia maiorem deformitatem, & rectę rationis euersionem præseferunt.

Nu. 9 At vero si necessitas vrgeat, nec adsit copia confessarij, est licitum Sacerdotibus, sacrificium missæ celebrare, & laicis propter vitandum scandalum communicare, modo contritionem habeant, & contritos se reputent *ita Fagundez precep. 3 lib. 6. cap. 8. num. 9.*

Nu. 10 Vnde Fagundez *nu. 2* probat præceptum de præmittenda confessione ante communionem, non esse naturale, sed esse diuinum, & positiuum immediate à Christo latum, & per Apostolos ad Ecclesiam deductum, & declaratum, & patet *ex verbis Pauli 1. ad Corin. 11. Probet autem se ipsum homo*, quæ quidem probatio non est facienda, solum per propriū iudicium, cuiuscunque hominis particularis, sed est facienda per iudicium Ecclesię, & Confessarij, pręmittendo cōfessionē culpæ mortalis, vt definit *Trid. sess. 13. cap. 7.* his verbis *Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam, eius præceptum. Probet se ipsum homo, ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi cōscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à christianis omnibus, etiam ab his Sacerdotibus, quibus ex officio incumbuerit celebrare hac Sancta Synodus perpetuo seruādum esse decreuit modo non desit illis copia confessoris, quod si necessitate vrgente, sacerdos absque prauia confessione celebrauerit, quam primum cōfiteatur.*

Ex his aduerte, quod habet Fagundez *precep. 2. lib. 3 cap. 5. num. 8.* scilicet quādo præcepta subordinantur inter se, licet sint multa, vnum tantum peccatū est, ea violare modo supradicto, & sic qui clericum occidit iniuste, peccat cōtra ius diuinum, & naturale, contentū in quinto decalogi præcepto non occidendi, & contra ius canonicum, & ciuile, & tamen vnum tantum peccatum sacrilegij, vel homicidij cōmittit, quia ius canonicum. & ius ciuile in eadem prohibitione homicidij subordinātur, iuri naturali, quinti decalogi præcepti *hac Fagundez* & iam nos supra, & hæc de prima Quæsiti parte. Nu. 11

Vt autem secūdam explicemus, omnes fideles, rationis participes, teneri præcepto Ecclesiastico, recipere hoc sacramentum Eucharistiæ, semel in anno tempore Paschatis, quod tēpus incipit à Dominica Palmarum, vsque ad dominicam in albis, vt habetur *ex cap. omnes vtriusque sexus* communiter tenent omnes *ita Fagundez præcep. 3. lib. 1. cap. 5. n. 1. Barb. de off & potest. Parochi par. 2. cap. 20. num. 18. vbi num. 14. ex Henriq.* refert in pluribus diœcesibus præceptum communicandi in Paschate se extēdere à principio quatragesimæ, vsque ad decimum quartum diem post Pascha, licet possit in longius extendi tempus, ex Nu. 12

Epi-

Epiſcopi, aut Parochi diſpenſatione rationabili, abſque vero cauſa, non poteſt communionis in Paſchate præceptum adimpleri, anticipando à tertia dominica quatrageſimæ vſque ad tertiam dominicam poſt Paſcha vt declarauit *Sacra Rituum congreg. in vna Granat. 15. Februarij 1614.* vnde infideles non obligantur præcepto ſumendi Euchariſtiam, *vti ait Diana par. 8. tract. 7. miſc. reſol. 81. §. Sed ego.*

Nu. 13 An ſeculares ſatisfaciant huiuſmodi præcepto communionis Paſchalis, ſi ſumant Euchariſtiam in Eccleſijs regularium, iam nos alibi, & licet aliqui affirmatiuam ſententiam ſequentes, dicant per communionem factam, aliquo die, de his, qui continentur hebdomada antecedente Paſcha, aut altera, quæ illud ſubſequitur, ſatisfieri præcepto communionis annuæ, ac proinde, qui in die cœnæ v.g. communicarunt, in aliqua mendicantium Eccleſia, licite cogi non poſſunt, vt iterū id faciant in ſua Parochia die Paſchæ, auctores huius ſententiæ legite apud *Dianam par. 6. tract. 7. reſol. 58 initio* tamen ſolum hic adducam de directo, declarationem contra ſupradictā opinionem obſtātem in Epiſtola Sacræ congregationis ad Eminentiſſimum Cardinalem Boncompagnum Archiepiſcopum Neapolitanum tenoris ſequentis,

Nu. 14 Conqueſti ſunt coram Sanctiſſimo Domino, Rectores Eccleſiarum Parochialium iſtius Ciuitatis, de Patribus Theatinis, & Societatis Ieſu, quod aſſerere audent perſonas laicas aſſumentes in eorum Oratorijs, ſeu congregationibus, Euchariſtiæ Sacramentum in die Paſchatis, Eccleſiæ præcepto ſatisfacere; cumque id minime ſit permiſſum, ſed fideles ſacram communionem, tempore Paſchali à proprio, vel ab alio, de ipſius ſacerdotis licentia, ſuſcipere teneantur. Sanctitas ſua iuſſit eminentiæ ſuæ ſignificandum, & ſub pena ſuſpenſionis à diuinis, & alijs ſibi bene viſis, id prohibeat præfatis religioſis, moneatque ipſos laicos, ſacramentum Euchariſtiæ, vt ſupra de manu proprij Parochi, teneri ſuſcipere, vt Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant, ita igitur pro ſua paſtorali pietate, omnino curabit Eminentia veſtra, cui me humiliſſime commendo. Romæ die 20. Martij 1638.

Eminentiæ veſtræ Reuerendiſſimæ
Humillimus ſeruus
Cardinalis Veroſpius.

Ex qua declaratione, iam vides ſeculares in nullo die Paſchatis, Euchariſtiam ſumentes in Eccleſijs regularium, ſatisfieri præcepto annuæ cōmunionis, quia de manu proprij Parochi, tenētur eam ſuſcipere, ſed nos iam alibi. Nu. 15

Verum in qua ætate quis, ex præcepto obligetur communicare, & num pueris ſtatim ac habeant vſum rationis, ſit ſacra Euchariſtia danda, vel ſit expectādum tempus decimi ſaltem anni: Quidam enim aſſerunt omnes obligari, cū ad annos diſcretionis peruenerint, & cum ſeptenniū expleuerint, ita quamplures doctores citati *apud Fagund. præcep. 3. lib. 1. cap. 5. num. 19. & præcipue Sanctius in ſelectis diſp. 26. num. 4.* vbi habet cuilibet puero ſtatim, ac peccare nouerit, diſtinguendo inter bonum, & malū, miniſtrari debet Euchariſtia, licet ſexto, aut ſeptimo anno, nam præceptum de annua confeſſione, & ſuſcipienda Euchariſtia eodem tempore obligat fideles, ergo ſi ſtatim, ac quis ſcit peccare, obligatur præcepto confeſſionis annuę, obligabitur etiam præcepto annuæ cōmunionis, ſed puer ſtatim, ac nouit peccare, & cum peruentus eſt ad perfectū vſum rationis, tenetur annuæ præcepto confeſſionis, ergo eodem tempore, tenebitur annuæ præcepto communionis, id quod confirmat *ex cap. omnis vtriuſque ſexus de Pœn. & remiſſ.* vbi æqualiter de vtroque præcepto confeſſionis, & cōmunionis loquitur. Nu. 16

Alij vero affirmant, pueros incipere hoc præcepto obligari, à decimo vſque ad duodecimum ætatis annum, & eo amplius, quorum fundamentum eſt, quia Eccleſia nec ad præceptum confeſſionis annuæ, nec ad alia præcepta, aliquem obligat ante duodecimum ætatis annum, neque enim Eccleſia poteſt aliquem obligare ſuis præceptis, ante annos capacitatis, & ante hos annos non ſunt pueri capaces præceptorum Eccleſiaſticorum, communiter loquendo: ſecundo quia in hac ætate incipiūt huiuſmodi pueri, obligari cenſuris Eccle- Nu. 17

ſia-

siasticis,& alijs præceptis; ergo & præcepto confessionis, & communionis *ita Sotus in 4. dist. 18 quæst. 1. art. 3.* & hæc opinio falsa est vti asserit *Fagundez* quia in falso fundatur fundamento, nam verum non est, pueros solo duodecimo ætatis anno incipi obligari legibus ecclesiasticis, & ante hanc ætatem non incipi, nam lege annuæ confessionis obligantur in septennio, cum primum doli sunt capaces, & ante etiam hanc ætatē si iudicium ætatem anteuertat,& ad prę ceptum audictionis missæ,& ad abstinēdum carnium, omnibus diebus prohibitis, veluti sextis ferijs,& sabbathis, & in multis alijs, obligantur ante duodecimum ætatis annum, quare iam vides falsum esse *Soti* fundamentum.

Nu. 18 Alij vero, id ipsum existimant, sed ex diuerso fundamento à *Soti* fundamento ex eo scilicet, quod maior reuerentia debetur huic Eucharistiæ Sacramento, quam alijs sacramentis, & ideo asserūt, maiorem requiri ætatem ad Eucharistiæ sumptionem, & hæc ætas communiter est illa, quam ipsi assignant. Verū neque hoc fundamentum veritatem habet, quia cum pueri sint alij, alijs præcocioris ingenij, atque iudicij, & illi qui præcociore sunt iudicio perfectius hoc discernere possunt quam qui rudiore sunt ac tardiore *hæc Fagundez nu. 20.*

Nu. 19 Alij vero,& melius habent, certam ætatem destiuiri non posse, in qua pueri, & puellæ ad Sanctū Eucharistiæ Sacramentum idonei sint, sed prudentum id parentum, multo magis confessorum iudicio, ęxistimandum est, nam alij citius scilicet circa annum nonum, aut decimum, alij vero serius circa annum ætatis decimum quartum, sufficientem rationis vsum, & spiritualium rerum intelligentiam assequuntur *ita Barb. de off & potestate Parochi par. 2. cap. 20. nu. 18. quare Fagundez num. 21.* ait laudabilem totius Ecclesiæ consuetudinem, habere, vt pueri aliquando tardius, ex obligatione præcepti communicent, quam confiteantur, quæ planę consuetudo optime interpetratur, obligationem vtriusque præcepti, confessionis,& communionis, quare totum hoc negotium, cōcludit pendere ex arbitrio patris familias,& confessarij, quamuis communiter in septennio pueri, iudicium discretionis habeant, & incipiant obligari ad præceptum confessionis.

Verum quid dicendum, de adultis conuersis ad fidem, an possit illis ministrari Eucharistia, illico, ac fuerint baptizati, decisio huius Quæsiti habetur *ex rubrica Ritualis Romane editi à Paulo V, anno* 1614. quæ habetur in fine officij bapt. smi adultorum. fol. 36. vbi ordinatur, quod postquam Neophiti, fuerint baptizati, initientur Sacramento confirmationis, si adsit Episcopus, qui id legitime præstare possit, postea subdit. Deinde si hora congruens fuerit, celebratur missa, cui Neophyti intersunt, & sanctissimam Eucharistiam deuote suscipiunt, Ecce Summus Pontifex consulit, ministrari Eucharistiam adultis, simul atque baptizati fuerint. Nu. 20

Quare ex hoc colligit *Sancius in selectis disp. 39 nu. 7. §. Ex quo,* recens baptizatum in Sabbatho sancto, quo die ex decretis Pontificum,& habetur *in Rit. Rō. supra citato* iubetur Neophytos baptizari, nisi alias necessitas vrgeat, teneri suscipere Eucharistiam, tempore Paschatis, cum enim recēs babptizatus fidelis sit, & rationis capax, peccatis etiam carēs, inst. uctus prætereain rebus fidei, & reuetentia venerabilis Eucharistiæ sacramenti, nihil aderit rationis, vel causę ad deobligandum illum ab adimpletione communionis in Paschate *ita Sancius* quamquam hoc semper ex arbitrio confessarij pendere indicarem, quia licet instructi in rebus fidei sint, tamen quo ad Eucharistiæ sumptionem, non semper omnes bene instructi sunt, neque statim sciunt, quæ nam sint necessaria ad eius perceptionem,& sæpe sępius expertus sum hos recens baptizatos, saltē propter ignorantiam, non accedere ieiunos ad Eucharistiam percipiendam, quare sicuti supra de paruulis, quo ad perceptionem Eucharistiæ totum negotium, relinquendum duximus arbitrio confessarij, ita & de his Neophytis, cum sint modo geniti infantes ad fidem, iudicio confessarij, hoc negotium relinquendum puto. Nu. 21

Aduerte tamen, quod licet in die Parasceue, licitum sit laicis fidelibus communicare,& consultius acturos commu- Nu. 22

ni-

nicando quam abstinendo, vti asserit *Sotus in selectis disp. 22. num. 20.* cuius rationem reddit quia, non est aliquo iure prohibitum, neque consuetudine, quia in aliquibus Ecclesijs, illo die Synaxis ministratur, & ipse testis ocularis est, in Curia Matritensi, quolibet anno, in Parochia S. Martini, & in Ecclesia illi anne xa S. Placidi, Eucharistia porrigitur, omnibus confluentibus, illo die, qui pene innumerabiles sunt ita *etiam Diana par. 4. tract. 4 resol.* 237. tamen in die Parasceue non est distribuenda Eucharistia alijs, quam infirmis, *vt censuit S. Rituum congregat. sub die* 19. *Februarij* 1622. *ita etiam Barbos. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 20. num.* 16.

Nu. 23 Ex his collige, quid dicendum ad illam Quæstionem an qui in Paschate Eucharistiam non sumpsit, teneatur postea, quam primum communicare, vel liber maneat ab obligatione communicandi, vsque ad sequens Pascha respondet *Suar. in 3 par. tom. 3. d. sp. 70 sect. 3. §. Dico ergo* sublato impedimento teneri statim post Pascha, præceptum Eucharistiæ implere, cuius ratio est quia Ecclesia vt patet *ex cap. omnis vtriusque sexus de pæn. & remissione* duo in effectu præcipit, scilicet communicare semel in anno, & communicare in Paschate, quare licet elapso tempore Paschatis, non possint iam fideles communicare, possunt tamen in anno, cum primum tollitur impedimentum. maneat igitur dicendum, temporis designationem, quę apponitur *in prædicto cap. omnis* non apponi ad tollendam obligationem, eo tempore elapso, sed apponi ad non differendam, vltra illud tempus sine iusta causa *ita etiam Fagundez præcep. 3. lib. 1. cap. 6. nu. 2. & alij apud hos citati.*

Nu. 24 At vero contrariam opinionem docet *Sotus in 4 dist. 18 quæst. 1. ar. 4. §. Tertio denique* vbi docet cum præceptum Eucharistię sit mere affirmatiuum, & habeat prefixum tempus Paschatis, eo elapso, non videtur homo amplius teneri, sed semel peccasse *& §. Ex his ver. Quod si respondeas* habet quod si in Paschate, quis non suscipit communionem, si excommunicationem excludas, vno solo peccato peccat, neque tenetur amplius illo anno, vsque ad alium, sicut, qui non ser uasset festum Paschatis, quare etiam tunc sufficeret, conteri cum proposito suscipiendi Eucharistiam, in proximo anno *hæc Sotus* item probari potest quia *cap. omnis vtriusque sexus* loquens de confessione præcipit, vt fiat semel in anno, loquens vero de præcepto communionis, præcipit, vt fiat tempore Paschatis, ergo signum est in primo casu, voluisse obligare pro toto anno: in secundo vero, tantum in tempore prædicto, & eo transacto noluisse *ita Emanuel Sà verb. Euch. num. 7.* vbi habet, qui in Pascha transgressus præceptum, non communicauit, non peccat iterum mortaliter, si postea non communicet, semel enim tantum id præceptum obligat scilicet in Pascha, vt, & præceptum confessionis semel solum quolibet anno, ita etiam alij quam opinionem probabilem etiam putat *Diana par. 3. tract. 4. de sacr. resol. 41.* sicuti etiam, & nos probabilem illam vocamus, & hanc sententiam docuerunt *Sotus Tab. Tol. & alij apud Dianam.*

Quid vero dicendum de eo, qui prævidens impedimentum, vt in tempore Paschatis, Eucharistiam accipere non possit, an teneatur præuenire tempus, & illam sumere, affirmatiue respondent *Siluius in 3. par. quæst. 80. ar. 11. quæritur 3. Nugnus apud Dianam loco supra citato resol. 42. initio Fagundez præcep. 3. lib. 1. cap. 6. num. 3.* & ratio est quia præceptum Eucharistiæ, non limitatur ad tempus Paschæ, ad tollendam obligationem, ergo sicuti obligat post Pascham, secundum sententiam *Fagundez* sic obligabit etiam ante illud præuiso impedimento impediente in illo. Nu. 25

Et licet hæc sententia probabilis videatur. *Suario tom. 3. in 3. par. disp. 7. sect. 2. §. Tertium dubium* nihilominus deinde contrariam docet sententiam, scilicet non teneri hominem, in huiusmodi casu anticipare communionem, ex vi huius pręcepti, cuius ratio est quia, nullus obligatur ad implendum actum pręceptum, nisi per talem actum, possit satisfacere obligationi præcepti; sed pec communionem anticipatam non implet, quis obligationi huius præcepti: ergo ex vi eius, ad hoc non obligatur, item nec vsus Ecclesiæ id habet, vbi concludit, quod si Quæstio tantum proponatur Nu. 26

tur de illis quindecim diebus, intra quos potest hoc præceptum impleri, si quis in primo, aut secundo eorum, præuideat fore, vt omnibus sequentibus communicare non possit, teneri præuenire, & implere præceptum, quia in qua cunque parte illius temporis, sufficienter impleri potest, & præceptum ipsum obligat, vt intra illud tempus impleatur eo modo, quo fieri potuerit, & hanc sententiam sequutus est *Peliganus apud Dianam par. 3. tract. 4. de sacr. resol. 42. §. Non reticebo* vbi habet illum, qui ieiunare tenetur, aut audire sacrum, non teneri anticipare tempus, si præuideat futurum impedimentum, quo die proprio non possit.

Nu. 27 Ad illam autem Quæstionem: an qui indigne, & in peccato mortali Eucharistiam sumpsit in Paschate, satisfaciat Ecclesiæ præcepto, negatiue respondet *Syluius in 3. par. quæst. 80. artic. 11. quæritur 2. apud Dianam loco supra citato resol. 43.* quia cum præceptum Ecclesiæ sit quędam explicatio, & determinatio pręcepti diuini, non est dubitandum quod intendat præcipere communionem talem, qualem Christus præcepit scilicet piam, & religiosam.

Nu. 28 Tamen affirmatiue respondet *Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 70. sect. 3. §. Nihilhominus, Fagundez præcep. 3. lib. 1. cap. 6. nu. 4. & alij quamplures apud hos* cuius ratio est quia Ecclesia nihil aliud præcipit, quam vt in Paschate corpus Domini sumatur, ergo & si communicans indigne, sacrilegium faciat, tamen quo ad substātiam implet Ecclesiæ præceptum; nam vt ait *Suar.* suscipere Eucharistiam cū dispositione debita, non est modus essentialis sacramentali communioni vt sic, nam licet aliquis indigne communicet; tamen reuera sacramentaliter communicat, dummodo voluntarie, & sciemet sacramentum sumat, quod ideo addo ait *Suar.* quia si aliquis casu commedat hostiam consecratam, cogitans esse cōmunem panem, nō implet præceptum, quam superius *Suarij* sententiam probabiliorem iudicat *Diana par. 3. tract. 4. de sacr. resol. 43. §. Sed ego* vbi fine concludit igitur qui indigne in Paschate Eucharistiam sumpsit, satisfecit præcepto Ecclesiæ, nec tenetur statim agere Pœnitentiam, & iterum communicare, vt Doctores contrarij sentiunt.

Peregrini vero viatores, alijque in aliena Parochia existentes, qui tempore Paschatis, non possunt propriam Parochiam adire, Eucharistiam sumere valent in ea Parochia, in qua tempore Paschatis reperiuntur ita P. *Gesualdus de Bononijs Capuc. par. 1. theolog. moral. tit. 6. cap. 4. num. 18. Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 20. num. 23. vbi affert Vgol. & Bonac.* asserentes Eugenium Quartū viuæ vocis oraculo declarasse, viatores vbi se inuenerint in Paschate, censeri Parochianos, ac si adepti fuissent habitationem, quo ad Sacramenta Pęnitentię, & Eucharistiæ, & ita docet vsus, & praxis cui nescio an commodetur, quod resoluit *Fagundez præcep. 3. lib. 1. cap. 5. nu. 10 & lib. 3. cap. 2. num. 22.* dum vult posse eos communicare in Ecclesijs mendicantium ex obligatione præcepti. Nu. 29

Quare *Suar. tom. 3. in 3. par. disput. 72. sect. 2. §. Sed quæres,* habet deficiente Parocho, dum quis peregrinatur, tunc iure peregrinationis, posse ibi Sacramentum accipere, vbi commode potest, dūmodo accipiat ab his, qui in eo loco habeant potestatem administrandi, vel ex priuilegio. Nu. 30

QVAERES VIGESIMO.

An liceat laicis communicare sub vtraque specie, & quommodo communicanti cōferatur gratia, & quibus deneganda sit Eucharistia.

VT autem primæ huius Quæsiti parti satisfaciamus dicendum primo arbitror, de fide certum esse, si loquamur de iure naturali, non esse prohibitam laicis, nec per se malam, imo licitā communionem sub vtraque specie, corporis, & sanguinis Christi: patet primo quia nullum diuinum ius, ostendi potest traditum, aut scriptum, in quo aliqua ex his duabus speciebus sit laicis prohita: secundo quia olim tempore Apostolorum, fuit in quibusdam locis vsus, & consuetudo in Ecclesia communicandi laicos sub vtraque specie, ergo spectato iure naturæ, & diuino est vtrq; licitus, laicis vtriusque speciei vsus *ita* Nu. 1

Suar. tom. 3. in 3. partem diſp. 71. ſect. 1. item Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 4. num. 1. vbi num. 3. habet, quod ſicuti ſtando in ſolo iure naturali,& diuino; communio ſub vtraque ſpecie nō eſt laicis per ſe mala, illicita, aut prohibita, ſed licita; ita ſtando in eodem iure diuino, & naturali: communio ſub vna tantum ſpecie panis, non eſt iiſdem illicita, nec per ſe mala, ſed licita, ita expreſsè deffinitur *in Trid ſeſſ. 21. cap. 1.* vbi Sancta Synodus declarat, ac docet nullo diuino præcepto, laicos, & clericos non conficientes, obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum, neque vllo pacto, ſalua fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat.

Nu. 2 Et tandem hæc veritas patet, ex vſu quotidiano Eccleſiæ; ſub vna enim tantum ſpecie fideles Euchariſtiam ſumūt, vt experientia docet, qui communis vſus facit præceptum, non eſt ergo communio vnius ſpeciei per ſe mala iure naturali, aut diuino *ita Suar. & Fagundez loco ſupra citato Barb. in Trid ſeſſ. 21. cap. 1. num. 1. vide Dianam par. 8. tract. 1. reſol. 24.*

Nu. 3 Animaduertendum tamē eſt, ad maiorem huius rei elucidationem, duos eſſe huius Sacramenti ſuſceptores, alter eſt ſuſcipiens ſimul,& conſecrās,& hic eſt ſacerdos dum celebrat,& hic ſub vtraque ſpecie, ſacramētum iure diuino, tenetur accipere, ad integrandum ſacrificium, eſt enim completio,& integritas ſacrificij de iure diuino *ita Fagundez loco ſupra citato num.* 5. Alter eſt ſuſcipiēs non conſecrans, ſed tantum ſumens, & accipiens ipſum Sacramentum, & hic poteſt eſſe, vel Sacerdos, vel laicus.

Nu. 4 Aduertas etiam, quod cum Sacerdos non ſacrificando recipit Euchariſtiam, tunc non debet ſumere,& ſuſcipere Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, ſed ſub vna tantum panis inſtar laici vti habetur *ex Trid ſeſſ. 21. poſt canonem 4. cap. 1. vnde Fagundez num. 5.* habet debere Sacerdotem cum de manu alterius communionem accipit, habere ſtolam è collo appenſam, & ſuperpelicium indutum *vnde Angelus verb. Sacerdos* §. 4. auſus eſt aſſerere peccatum mortale cōmittere ſacerdotes, qui in infirmitate, vel alias non celebrando, ſine ſtola, & ſuperpelliceo, Euchariſtiam ſuſcipiunt, at vero *Sil. verb. Sacerdos* §. 4. ait non peccare Sacerdotes mortaliter, nec teneri prædicta ſtola,& ſuperpelliceo vti quare *Azorius, Pitigianus, & nouiſſime Gauātus citati apud Dianam tract. 14. de celebrat. miſſarū reſol. 20. §. Sed,* habent non teneri,& putat *Azorius ex cap. eccleſiaſtica diſt. 23.* eſſe vſu decretum abrogatū, quamquam apud nos ſola ſtola viātur.

Ex dictis collige, ob iuſtas cauſas, Eccleſiam laicis ſumptionem calicis prohibuiſſe, cum non ſit de iure diuino, cōmunio vtriuſque ſpeciei, vt iam dictum eſt quare *Diana par. 8. tractat. 1. reſol. 24. §. Vnde, Suar. in 3. par. tom. 3. diſp. 71. ſect. 2. §. Dico 2. & Fagundez numer. 17.* affirmant certum eſſe, nullum eſſe diuinum præceptū, quod determinate præcipiat ſumptionem alterius ex his ſpeciebus, ſed ſolum confuſe, ſeu disiunctiue, itaut quacumque earum accepta, præceptum diuinum impleatur. Eccleſia autem determinauit ſpeciem panis, propter has rationes. Quarum prima, eſt, ob periculum irreuerentiæ huius Sacramenti, quia accidere poterat, ſanguinis effuſio, cum irreuerētia maxima tanti ſacramenti, ſecunda quia ſi in ſacrario calix ſpecierum vini, vt portaretur infirmis, aſſeruaretur vix ibi eſſet abſque ſpecierum corruptione, tertia, quia multi non poſſunt ſumere ſpeciē vini, abſque prouocatione ad vomitum, aliàs legite *apud Fagundez præcep. 3. lib. 3. cap. 4. num. 6. & Dianam par. 8. tract. 1. reſol. 24. §. Secundum.* Nu. 5

An detur maior gratia Sacerdoti conſecranti,& ſumenti duas ſpecies, ſcilicet panis,& vini, quam laico ſumenti, vnam ſcilicet panis, reſpondet *Suar. tom. 3. in 3 par. diſp. 63. ſect. 6. §. Nihilhominus,* non dari per ſe loquendo, ac cæteris paribus, ex parte ſumentis, maiorem gratiam per ſumptionē vtriuſque ſpeciei, quam alterius tantum vnde *D. Thom. in 3. par. quæſt. 80. artic. 12. ad tertium* dicit Poteſt autem à populo, corpus ſine ſanguine ſumi, nec inde ſequitur aliquod detrimentum ſcilicet laicos communicantes, ſub vna tantum ſpecie, pati aliquod detrimentum, quia totus Chriſtus ſub quacunque ſpecie continetur, Nu. 6

quæ

quidem opinio, licet non possit certa aliqua auctoritate probari; tamen est cō munior, & probabilior, vti habet *Suar. loco supra citato S. conclusio ergo Fagundez pracep. 3 lib. 4 cap 4. num. 5.* & probari potest quia tota efficacia, conferendi gratiam, & producendi effectum illius, conuenit his speciebus sacramentalibus, ratione rei quam continent, sed Christus Dominus æqualiter continetur, in vna tantum speciem, atque in vtraque, vt definit *Trid. sess. 21. cap. 3.* vbi habet *Tamen fatendum, esse etiam sub altera tantū specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt, hac Trid.* ergo nullus effectus gratiæ datur per duas species sacramentales, qui non datur per vnam; causa enim totius gratiæ est, ipse Christus gratiarum fons, vnde cū ęque contineatur sub vna, atque sub vtraque specie, necesse est, vt ambæ non habeāt maiorem effectum, qua vna *ita etiam Barb in Trid. sess 21. ca 3 S. Nulla gratia.*

Nu. 7 Non desinam tamen adnotare, contrariam sententiam docuisse aliquos vt videre est *Dianam tract. 6. miscell. par. 2. resol. 97.* asserentes probabile esse maiorem gratiam dari per sumptionem duarum specierum, quam vnius tantum, & reddunt rationem, quia vnaquæque species per se confert suum effectum, & vna non dependet ab altera: ergo si ambæ simul sumantur, vnaquæque cōfert, suū peculiarē effectū; ergo duæ plus cōferrēt, quā vna sola, & hāc sententiā licet probabilem vocet *Fagundez pracep. 3. lib. 4. cap. 4. num. 2 fine* tamen negatiuam sententiam deinde nu. 5. sustinet.

Nu. 8 Quare ex his collige, non plus gratiæ recipere ex opere operato, qui magnā hostiam, quam qui minimam particulā, & qui maiorem quantitatem speciei vini sumit, quam, qui minorem accipit, totus enim Christus ęque est in illa hostia magna, atque in minima formula, & totus ęque est in maiori, atque in minori quantitate speciei vini, vnde cum gratia ex opere operatur, non detur ob maiorem quantitatem specierum, sed propter rem, quam illæ species continent, ęque autem contineatur totus Christus in maiore, atque minori quantitate specierum, ęqua gratia ex opere operato dabitur per istam maiorem, atque per illam minorem *hac optime Fagundez loco supra citato num. 10.*

An vero species panis, conferat plus gratiæ, quam species vini, vel è contra, *respondet Suar. tom 3. in 3 par. disput. 63. sect. 6. S. Dico secundo* ęqualem gratiam conferre vnam, atque aliam, & ratio est eadem quam supra assignauimus quia gratia non datur ratione speciei panis, vel vini, sed ratione rei contentæ sub vna quaque specie, qui est Christus Dominus omnium gratiarum fons, vnde cum totus Christus ęque contineatur in vna, atque alia, non plus gratiæ ex opere operato potest vna conferre, quam alia, siue Christus Dominus in hac, siue in illa sumatur ita etiam *Fagundez loco supra citato num. 9.* vnde qui plures hostias recipit non recipere maiorem gratiam ex opere operato ait *Pater Gesualdus de Bononijs Capuc. par. 1. theolog. moral. tract 7. cap. 4. num. 21.* quia licet plures hostiæ secundum se consideratę sint plura indiuidua, tamen quatenus sumūtur simul, habent rationem vnius refectionis spiritualis, secus autem si recipiātur per modum plurium refectionum, vt accidit in die Natiuitatis Domini, in quo sacerdos ter celebrat, & communicat, & consequenter recipit fructum triplici sumptioni respondentem ita ille. Nu. 9

An hoc Sacramentum sit vnum, vel plura ex dictis colligi potest, nam licet Sacramentum habeat plures partes, aliquo modo actu diuersas, quia tamen integrant vnum aliquod, ordinatum ad vnum finem, dicitur esse vnum formaliter, quamquam sit plura materialiter, patet quia sicut in homine licet sint plures partes, aut integrātes, aut essentiales vt materia, & forma man⁹, pes, &c. quia tamen forma totius, est vna, ideo vnus est homo in specie infima, ita etiam cū in hoc morali aggregato sacramenti Eucharistiæ, forma totius sit vna, simpliciter, & formaliter in specie, erit etiam vnum formaliter in specie, forma igitur totius in hoc sacramēto, est significatio practica sanctitatis, per modum spiritualis refectionis, & nutritionis, quæ prorsus eodem modo formaliter conuenit Nu. 10

speciebus panis, & vini, & licet species panis significent hanc refectionem per modum cibi, & species vini per modū potus, non est differentia essentialis, sed accidētalis, totus hic discursus desumptus est ex *D. Tho. in 3. par. quaest. 73. ar. 2.* vbi inter alia in corp. habet, & ideo etiā ad integritatem huius sacramenti, duo concurrunt scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundum illud *Ioa. 6.* Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, ergo hoc Sacramētū, multa quidem est materialiter, sed vnū formaliter, & perfectiue ita etiam *Fagundez praecep. 3 lib. 1. cap. 2. num. 9.*

Nu. 11 Colligitur ex hoc, in Eucharistia non esse duo sacramenta partialia, componentia vnum totale formaliter, alioqui qui communicaret in solis speciebus panis, non acciperet integrum sacramētum formaliter, quod est falsum, solum ergo dici debet, quod sint duæ partes materiales, componentes vnam integrā materiā sacramenti, hac tamen lege vt forma totius, & significatio formaliter integra sit in singulis.

Nu. 12 Sed Quæres an species panis, & vini sint duo sacramenta numero, an vnum.

Nu. 13 Respondeo species panis, & vini constituere vnum sacramentum, etiam numero completiue, & formaliter, & non esse nisi plura numero incōplete, & materialiter.

Nu. 14 Iterum si Quæres an plures hostiæ, possint dici plura Sacramenta numero, sicut dicuntur plura baptismata numero, in diuersis hominibus.

Nu. 15 Respondeo esse plura numero Sacramenta in pluribus refectionibus, & quatenus illæ plures hostiæ ordinantur ad plures refectiones, similiter cum proponitur pixis, multas particulas in se continens consecratas, quia ibi proponuntur per modum vnius, recte dicetur esse ibi vnum sacramentum actu, & plura potētia, quommodo similiter dicimus in quantitate continua esse vnum actu, & plura potentia, sed de his legite *D. Tho. in 3 par. quaest. 73. ar. 2. Suarium in 3 par, disp. 39 sect. 3. & 4.* & hæc de prima Quęsiti parte.

Nu. 16 Verum vt secundā explicemus partem, animaduertendum est posse quattuor tempora, quo ad præsentem materiam a singuli vti notat *Suar. in 3. par. disp 63. sect. 4. initio* quorum primum est ante sumptionem sacramentalem Eucharistiæ, & in hoc tempore certum est, Eucharistiam non conferre gratiam cōmunicāti, nam vera infusio gratiæ non promittitur nisi manducantibus sacramentum, vt habetur *Ioan 6. qui manducat me viuet in æternum.* Secundum tempus est, ipsius sumptionis, seu manducationis; Tertium est post manducationē, quamdiu præsentia Christi durat in homine; Quartum est postquam transmutatis speciebus iam Christi præsentia cessauit hac igitur habita diuisione, præsens dubitatio est, in quo nam ex his tēporibus communicanti conferatur gratia quare.

Eucharistiam conferre gratiam communicanti tempore sumptionis, seu mā ducationis patet quia, vt diximus manducanti facta est promissio, ergo in manducatione datur gratia, item cętera sacramenta dant suum effectum, scilicet gratiam in vsu, ergo, & hoc cum applicatur ad vsum; applicatur autem ad mā ducationem, ergo, & c. *vide Suar. loco supra citato §. Principio igitur (si obicem non ponat.)* Nu. 17

Neque dicas gratiam promitti manducanti, & bibenti, non ratione manducationis, sed ratione cibi manducati, ac proinde, tam diu durare effectum illius, quamdiu durat cibus intra pectus hominis, non inquam hoc dicas, quia manducatio ipsa, est veluti conditio sine qua non produceret sacramentum suum effectum, vnde si fingamus poni intra pectus hominis Eucharistiam, absque mā ducatione, nullam gratiam conferret; ergo, & c. Ex quo patet quid dicendum de tertio, & quarto tempore. Nu. 18

Verum quia manducatio in quodā motu successiuo cōsistit, adhuc difficultas est, an in toto illo tempore manducationis, aut in qua parte, aut in instante eius detur gratia, & ratio dubitandi est quia non potest dari in toto motu, nam gratia sacramentalis vno instanti perficitur, quæ ratio etiam probat de qualibet parte illius motus, neque etiā potest dari in instanti initiatiuo, quia non dum in illo manducatio facta est, neque etiam dari potest in aliquo in- Nu. 19

stanti continuatiuo, quia non est maior ratio de vno, quam de alio, tum etiam, quia in nullo illorum est perfecta manducatio, denique neque in instanti terminatiuo, quia in illo iam non est manducatio, his igitur relictis speculationibus *apud Suarium loco supra citato §. Principio igitur.*

Nu. 20 Respondeo Sacramentum Eucharistiæ conferre gratiam, in eo instanti, in quo verum est dicere, nunc facta est sūptio, & immediate antea non erat, licet hoc instās notum nobis nō sit, sed Deo, quod quidem, non est quamdiu hoc Sacramentum est in ore, nam si quis illud sumeret in ore, & postea aliqua de causa non deglutiret, non acciperet gratiā sacramentalem: sumptio ergo perfecta est, quando deglutitur, & trāsijt per guttur, tunc enim iam dicitur perfecta mā ducatio, & commestio *ita Fagundez præcep. 3. lib. 4. cap. 1. num. 3. Soto in 4. dist. 11 quæst. 2. ar. 1. §. Colligitur ergo* vbi habet instans collationis gratiæ huius Sacramenti, esse illud, quo primum verū est dicere, commestum est, scilicet guttur, aut gulam transiuit, nam, & eius applicatio, commestio est, & illic applicatio perficitur, vnde si illo tunc momento, suscipiens non habet obicem culpæ, illic suscipit sacramenti gratiam *ita etiā Diana par. 3 tract. 6. Miscell. resol. 96.* & probari potest quia *Ioa. 6.* sæpe dicitur, *qui manducat me viuet in æternum* manducatio autem vitalis non dicitur tactus oris, aut gustus, aut degestio, quæ fit in stomacho, sed dicitur illa deglutitio, seu traiectio, qua ex ore in stomachum sacramentum transijt maneat igitur dicendum, gratiam conferre hoc sacramentum, dum iustus illud deglutit, nē pe in vnico instanti, in quo verum est dicere, nunc deglutitum est hoc Sacramē tum, & immediate antea non erat, aut si prius speces vini sumeret, in quo vere dicitur, nunc potatum est hoc sacramē tum, immediate antea non erat, nam in quocunque alio sacramento assignari debet aliquod instans, in quo effectus illius detur, & gratia conferatur, vel augeatur, cum in instanti id fiat, hoc autē non est aliud nisi instans, in quo bene possumus affirmare Sacramentum iam esse sumptum, quod in hoc sacramento fit post ipsam deglutionem. Maneat igitur dicendum, tunc conferre gratiam, & alios effectus.

Nu. 21 Ex quibus collige, quod si quis post illud vltimum instans, in quo verum est dicere nunc deglutitum est Sacramentum, & trāsmissum ab ore in stomachū, statim illud euomat iam suscepisse gratiam, illum scilicet gradum gratiæ, qui ex opere operato respondet susceptioni sacramenti, quia ille gradus communicatur in eo instanti, in quo facta est deglutitio, vnde cum iam facta fuerit, iam manet in communicante prædictus effectus *ita Fagundez num. 9.*

Nu. 22 Collige secundo quod si quis accepta prima hostiæ parte, ac deglutita, moriatur, antequam deglutiat reliquas partes coniunctas, recipiet totam gratiam Sacramenti, respondentem ex opere operato susceptioni illius, cuius ratio est, quia in eo instanti, verum est dicere, deglutitum fuisse totum Christum in hoc Sacramento, cum ille non solum sit in tota hostia, sed etiam in singulis particulis illius *ita Henriq. citatus apud Fagundez num. 10.*

Nu. 23 Illud tamen aduertendum est quod habet Fagundez *præcep. 3 lib. 4. cap. 4. nu. 5.* nempe, effectum gratiæ huius sacramenti, esse quodam modo indiuisibilē, non enim datur per partes, sed totus simul, cum primum Sacramentum sumitur, & applicatur; vnde cum Sacerdos sumit vtramque speciem, non recipit duas partes gratiæ, vnam, quæ respondeat calici, alteram hostiæ consecratæ, sed simul recipit totum effectum, vbi primum totum Sacramētum recipitur, siue in vna, siue in duabus speciebus sumatur, nam effectus huius sacramenti datur in ipso initio applicationis, & deglutitionis eius. Vbi primum ergo totus Christus manducatur, siue in vna specie, siue in vtraque, & siue in vna parte hostiæ, siue in tota hostia. totus effectus ipsius sacramenti communicatur *ita etiam Suar. in 3. par. disp. 63 sect. 5. §. Dico tertio.*

Nu. 24 Vnde Fagundez *loco citato circa finem* respondet ad obiectionem illam; ergo postea sumpto calice, nulla gratia causabitur, si antea fuit ipsius Sacramenti effectus, per sumptionem hostiæ causatus,

tus, propter aliquem obicem, qui antequam ſumeretur calix, ſublatus omnino fuerit, tunc quidē cauſari per ſumptionem ipſius calicis.

Nu. 25 Neque dicas, ſacerdotem non peccare ſumendo hoſtiam tantum, & non calicem, non inqnam hoc dicas, quia ſi ſacrificat peccare quidē, quia ex præcepto diuino, tenetur integrare ſacrificium ſi vero inſtar laici communicet, non ſacrificans, non peccare ſumendo tantum ſpeciem panis conſecrati, imo teneri illam tantum ſumere, & peccare grauiſſime ſi vtraſque ſumat *ita Fagundez præcep.3.lib.4.cap.4.num.5 fine.*

Nu. 26 Tandem illud valde aduerte, quod habet Fagundez *præcep.3 lib.4.cap.1. nu.11.* quod ſi per modum vnius ſumatur paulatim vna hoſtia, etiam cum magna mora, aut plures formulæ, non conferri nouum effectum ad deglutionem ſingularum formularum, aut ſingularum partium hoſtiæ, ſed tota gratia totius effectus, confertur in vnico deglutionis inſtanti, in quo prima pars hoſtiæ, aut prima formula deglutita eſt, & hæc de ſecunda Quæſiti parte.

Nu. 27 Vt autem ad tertiam Quæſiti partem deueniamus. Puto perpetuo, & abſolute fatuos in ſanitate communicare nō poſſe, ſed tantum ſemi fatuos, & non continuo amentes, tempore, quo habent dilucida interualla *ita ex Rit. Rom. de Eucharistia Sacramento, & Barb de officio, & poteſt. Parochi par.2.cap.20.num.19.* qui pro hac ſententia citat *Zabranum de caſibus in articulo mortis cap.3.dub.4.nu.2.* dicentem, quod ſi amentes, vel furioſi, aut qui carent actu ſenſu, & vſu rationis habuerunt aliquando illum, danda eſt eis Euchariſtia in periculo mortis dum non conſtat fuiſſe notorios excommunicatos, vel notorios peccatores, qui nō dederint ſigna Pœnitentiæ. Item dummodo non conſtet clare, eos in complacentia peccati mortalis vſum rationis amiſiſſe, & denique dummodo poſſint eam recipere, ſine periculo irreuerentiæ ſcilicet vomitus, vel expuitionis, aut alicuius ſimilis ſpecialis indignitatis, *& n.7.* ait non eſſe neceſſe, vt prædicti amentes, tempore vſus rationis petierint expreſſe Euchariſtiam, ſed ſat eſſe, in ſanitate debitis temporibus eam ſumpſiſſe, vel vixiſſe non immemores ſuæ ſpiritualis ſalutis, ſed de his, & *alijs apud Zabranum* qui diffusè de his caſibus in articulo mortis occurrētibus dilucide diſcurrit.

Quamquam *Ioseph. Angles citatus apud Dianam tract.14.de celeb. Miſſ. reſol 79.§. His tamen* dicat quotannis, dictos amentes, debere communicari, ſed hanc opinionem aſſerit *Diana* amitti non poſſe in perpetuo, & abſolute fatuis, ſed in ſemi fatuis, in quibus putat *Henriquez apud eumdem Dianam* Euchariſtiam in Paſchatis illis etiam dari debere. Nu. 28

Quin imo *Sancius in ſelectis diſput.26. num.5.§. Nec ſcio* habet ſemifatuis miniſtrandam eſſe Euchariſtiam, toties, quoties eam ſibi miniſtrari poſtulauerint, & reddit rationem, quia ſi in Paſchate, vel aliquando communicant iuxta ſententiam *Henriqu.* nullam committunt iniuriam, nec etiam committent plures cōmunicando, cum tam homo ſuſcipiens, quam Sacramētum Euchariſtiæ ſuſceptum, ſemper vnum, & idem ſint, neque imaginari poſſum ait doctiſſimus *Sancius* quommodo hodiè communicādo, oriatur de nouo irreuerentia, quæ heri ſuſcipiendo Euchariſtiam, nō fuit orta, dum actio ſit eadem in ſpecie, Sacramētum idem, & homo, qui ſuſcipit ſit cum eodem vſu rationis hodie, quo fuit heri *hæc Sancius.* Nu. 29

Item idem *Sancius diſp.38.num.9.* habet teneri ſacerdotem miniſtrare Euchariſtiam inſano (non à natiuitate: nā hic à natiuitate inſanus, incapax eſt cōmunionis vti aſſerit *Sancius num.1.*) qui inter alios communicantes, ſe ingerit ad illam ſuſcipiendam, licet videat inſanum blaſphemantem per plateas. & calles deliria pronunciantem, vt aſſerit *nu.8.* nam dum Eccleſiam adit, & communicantibus ſe immiſcet, deſiderio, & ſi non plane deliberato recipiendi ſacram Synaxim, non totaliter iudicio erit arbitrandum carere, ſed tunc lucida interualla habere: inſanis vero habentibus interualla lucida fore porrigendam ſacrā Euchariſtiam *vti probat Sancius num.9.* ergo, &c. ſed an probabiliter in his caſibus *Sancius* loquatur reſpondet *Diana loco ſupra citato* viris doctis iudicandum fore aſſerit enim *Diana* hunc doctorem Nu. 30

ni-

nimis laxas opiniones tenere, circa frequentiam sacramenti Eucharistiæ, quid vero dicendum de publicis, & occultis peccatoribus iam supra diximus.

Nu. 31 Quid vero de Energuminis, hoc est demoniacis, seu obsessis à demone, & an his ministranda sit Eucharistia respondet ad hoc dubium *Suar. in 3. par. disput. 69 sect. 2. §. Quarto loco* eliganter distinguendo, vel obsessus omnino priuatur rationis vsu, & tunc seruanda est regula de amētibus supra posita, vel est cō possui, tantumque corporaliter vexatur, illa solum est, quasi quædam corporalis ægritudo, & tunc per se non impedit, quo minus Eucharistiæ auxilium, & solatium sæpius his hominibus conferatur, quare *Sancius in selectis disp. 38. num. 5.* habet Energumenis, siue sint ob sessi ob propria peccara, siue ob aliam causam ministrandam esse Eucharistiā nam absque reuelatione Dei, certo nequibit sciri, an energumini ob culpam sint obsessi, vel non: item esto cognoscetur certo, ob peccata esse energumenum à demone arreptum, liquido tamē non constat num illa per pœnitentiam cordis, fuerint deleta: nec demon intellectum, & voluntatem obsessi valet vincere, sicut corpus, vt opera illarum potē tiarum impediat, neque Deus denegabit demoniacis auxilia sufficientia, ad conuersionem vbi §. *Ec quod* infert mini strari posse quotidie, Eucharistiā energumeno, sicut cuilibet alij fideli, dummodo periculum expuitionis, vel dilacerationis cesset.

Nu. 32 Inferas ex hoc vti habet *Sancius nu. 6.* Parochum vocatum, vt mibistret Eucharistiam energumeno in extremis cō stituto, peccare mortaliter, si non ministret, quia cum licite possit porrigere, ad id semper, & omni tempore teneri, manifestum est.

Nu. 33 Præterea infert *Sancius num. 8.* teneri Parochum ministrare, licer videat obsessum blasphemantem, nam illæ blasphemiæ peccata non sunt, vt pote ab homine rationis non compote prolatæ, sed de his apud ipsum.

QVAERES VIGESIMOPRIMO.

An Eucharistia sit de necessitate salutis.

Circa hanc difficultatem, de vna re constat inter catholicos *cum D. Tho. in 3. par. quæst. 73. art. 3.* nō esse medium necessarium ad salutē, vt Eucharistia, re ipsa sumatur, siue sermo sit de pueris, siue de adultis, cum possit, & puer, & adultus saluari sine reali, & actuali sumptione Eucharistiæ *ita ex Suar. in 3. par. disp. 39. ar. 3. in comment.* & de pueris quidem res manifesta est, tum ex vsu cō muni Ecclesiæ, quæ non dat paruulis Eucharistiam, & tamen existimat ipsos fore saluos, si moriantur post Baptismū, ante commissum aliquod peccatum vt patet ex *Trid. sess. 21. cap. 4.* vbi habetur. *Denique eadem Sancta Synodus docet paruulos vsu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, si quidem per Baptismi lauacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt, neque ideo tamē damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis, aliquando seruauit. Vt enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam, pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate, id fecisse sine controuersia credendum est hac concilium.* Nu. 1

Pro adultis autē eadem veritas probatur, quia certum est etiam ipsos, per lauacrum regenerationis acquirere sanctitatem, vt patet *ad Titum 3. saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, potest autē cōtingere casus, vt quis post Baptismum, non habeat occasionem communicandi, qui si in eo statu moriatur, nemo est, qui existimat illum non fore saluum, quia gratia semel accepta, non potest amitti sine aliquo peccato mortali, quod in eo casu ponitur non fuisse. Nu. 2

Ex quibus infertur, neque ad primā iustificationem obtinendam, vti habet *Suar. loco supra citato sect. 1 initio* quia ante sumptionem realem Eucharistiæ necesse est vt præcedat Baptismus, qui rite, & sine obice susceptus, statim absq; vlla dilatione, vel dependentia à futuro Sacramento confert primam gratiam: neque ad perseuerandum in gratia vsq; ad finem, esse omnino necessariam Eucharistiam in re ipsa susceptam, *ita Suar. loco supra citato sect. 2. § In hac re* qui habet hanc conclusionem esse de fide.

Cum

Nu. 4 Cum igitur hoc certum sit, inter catholicos, sicut, & illud, quod Eucharistia sit necessaria adultis necessitate saltem præcepti affirmatiui, vt patebit infra: illud tamen controuersum est, an sit necessaria etiam necessitate medij ad salutem sub hac disiunctione, vel in re, vel in voto eo modo, quo dicitur baptismus, & Sacramentum Pœnitentiæ post peccatum esse necessarium, vel in re, vel in voto adultis, vt autem hæc res bene intelligatur, breuiter statuendum est, quod sit esse necessarium necessitate medij, vel in re, vel in voto ad salutem.

Nu. 5 Animaduertendum est primo esse necessarium ad salutem, nihil aliud esse, nisi esse tale, sine quo haberi salus non potest, cum autem certum sit salutem nostram his duobus constare scilicet prima sanctificatione, per quam homo acquirit gratiam sanctificantem, & liberatur à peccatis: & perseuerantia vsque ad mortem in tali gratia, qui enim perseuerauerit vsque in finem saluus erit, hinc sit, vt si aliquid non est necessariũ, vel ad primam sanctificationem, vel ad perseuerantiam, id non sit necessarium ad salutem, hoc igitur adnotato iuxta hanc diuisionem.

Nu. 6 Respondeo primo Eucharistiam non esse necessariam paruulis, ante vsum rationis, neque in re, neque in voto, proprie, prout votum ipsius dicit aliquod antecedens effectum sanctificationis, qua ratione dicimus Baptismum esse necessarium in re, vel in voto adultis ad primam sanctificationem, in quo sensu communiter disputatur hic, de his vocabulis, & patet quia Eucharistia pro paruulis ante vsum rationis, non est necessaria, neque ad primam sanctificationem, quia in paruulis est solum prima gratia remittens originale peccatum, & cum hac sola saluantur, si ante vsum rationis decedant, neque ad perseuerantiam vsque ad finem si moriantur ante vsum rationis, ergo non est necessaria neque in re, neque in voto *ita Suar. in 3. par. disp. 40. sect. 3. §. Dico secundo.*

Nu. 7 Respondeo secũdo Eucharistiam neque in re, neque in voto supplente causalitatem ipsius, esse necessariam necessitate medij adultis, ad primam gratiã habendam, siue per Baptismũ, siue per Pœnitentiam, sed ad hanc sufficere votum Eucharistiæ, pertinens ad propriã causalitatem vtriusque sacramenti, hęc certa sunt.

Nu. 8 Illud tamen contrauertendum est, an Eucharistia sit necessaria necessitate medij ad consumationem gratiæ, in hac vita in re, vel in voto proprie dicto, quæ est per finalem perseuerantiam, & consequenter ad gloriam, in alia, quæ sine hac finali gratia nõ habetur, quod enim sit ad hãc necessaria necessitate præcepti, non est dubium hoc igitur posito.

Nu. 9 Respondeo tertio neque hac ratione, esse adultis necessariam in re, vel in voto, necessitate medij, ita expresse *ex D. Tho. in 3. par. quæst. 65. ar. 4.* vbi docet tria tantum sacramenta, esse necessaria simpliciter ad finem salutis, duo quidẽ personæ singulari. Baptismus quidem simpliciter, & absolute, pœnitentia autem supposito peccato mortali, Sacramentum autem Ordinis est necessariũ Ecclesiæ, quia vbi non est gubernator, populus corruet, quare iam vides Eucharistiam non esse adultis necessariam in re, vel in voto necessitate medij ad consumationem gratiæ in hac vita, quæ fit per finalem perseuerantiam, & consequenter ad gloriam in alia.

Nu. 10 An saltem sit necessaria adultis necessitate præcepti respondet *D. Th. in 3. par. quæst. 80. art. 11.* teneri hominem hoc sacramentum sumere, nõ solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato domini dicentis *Lucæ 22. hoc facite in meam commemorationem* maneat igitur Eucharistiam esse adultis necessariã, solum præcepti diuini, & ecclesiastici vnde *Fagun dez precep. 3. lib. 1. cap. 3. num. 4.* dari diuinum præceptum positiuum de reali manducatione Eucharistiæ docet, quod est medium de necessitate salutis positũ solis adultis baptizatis, qui sunt præceptorum capaces, adeò vt, qui illam in re non sumpserint, si digne, & decẽter possint, aut si nõ possint, saltem in voto mortaliter peccent (quamuis in gratia sint) & saluari non possint, & hoc præceptũ obligare saltem in articulo mortis, etiã iustos, quod singulare est huic Sacramẽto omniũ nobilissimo, esse, scilicet, pręceptum diuinum Christiano iusto impositum *vnde num. 6.* hanc opinionem vocat

cat probabiliorem, quàmquam contraria probabilis sit.

Quare *nu.* 8. ait falso quosdam putare
Nu. 11 eos, qui in anno communicauerunt in Paschate, satis impleuisse præceptum diuinum, de communicando in articulo mortis, & non teneri ex eodem præcepto diuino, in eo anno amplius *in* morte communicare, quod est falsum, Nam tenentur in eo articulo mortis, iterū per modum viatici communicari, quod ad huc patet, quia per communionem annualem satisfecerunt præcepto Ecclesię non diuino, *& cap.* 4. *nu.* 2. *&* 3. affirmat huiusmodi præceptum diuinum de reali sumptione Eucharistiæ, quod est medium necessarium necessitate finis ad salutem, obligare fideles baptizatos, qui sūt pceptorū capaces, in articulo mortis etiā violētę, & auctoritate iustitiæ inflictę, tāquā viaticū illius nisi in morte publica auctoritate inflicta, grauis circumstātia, quæ contrariū suadeat occurrat.

Et ideo explicans hanc circumstantiam *nu.* 3, ait adeò obligare hoc diuinū
Nu. 12 præceptum in articulo mortis, etiā violentæ, & publica auctoritate iustitiæ facta, vt teneantur iudices, reis ad mortē damnatis sub mortali concedere tempus, ad confessionem, & communionem diuinæ Eucharistiæ, id quod quamuis iudices in illo tempore, quo se rei debent præparare ad cōmunionem, per confessionem suorum peccatorum, certo sciant fore eripiēdos violētia, qa bona animæ præferēda sūt tēporali punitioni:

Excipiunt tamen aliqui doctores, nisi facinus, tam ingens, & atrox sit, vt sine dilatione vrgeat ad mortem facinorosi,
Nu. 13 quod adeò verum est, vt illi etiam rei, qui post relapsum hæresis reconciliantur Ecclesiæ per Patres Inquisitores, ante suspendium, & mortem ignis iubeantur communicare, & se ad id confessione præparare quare *Henriq. citat. apud* Fagundez *præcep.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3 *fine* ait dandam esse eis Eucharistiam vno die, ante mortem *Sà vero verb. Eucharistia num.* 12. affirmat posse dari vna hora, ante mortem etiam non ieiunis, qnia viaticū est, verum vide *Fagū. ca.* 4.

Quare *Suar. tom.* 3. *in* 3. *par. disput.* 68. *sect.* 2. §. *In præcedente fine, & Vill. Zabranus, & alij citati apud Dianam tractat,* 6. *miscell. resol.* 59. *par.* 2. affirmāt damnatū ad mortem, eo die à Principe, absque dilatione posse communicare, etiam non Nu. 14
ieiunum *vnde Sanctus in selectis disput* 40 *num.* 4. ait non esse necessarium tempus viginti quattuor horarum, inter sumptione m Eucharistiæ, & suscipiētis mortem intercurrere; licet hic Panormi, vt plurimū interuallū vnius diei faciāt intercurrere: tamē hoc nō est necessarium nam aliquando deuotionis causa ad mortē dānati solēt per quinq; aut sex horas ante mortem eum cōmunicare, sed hoc licet raro Panormi obseruetur: tamē *Sanctius* §. *Et hercle* ait quānis pridie ad mortem esset sumpta *Eucharistia* à damnato, si tamē deuotionis causa, ipso die mortis vellet iterum cōmunicare, minus pium esset communionem impedire, imo pij iudices ad suscipiendam hortari deberent, vt puniēdi tolerabilius mortem patiantur, & demonis tētationes illa hora, maximę turbantes, facilius superent nec ex hoc reuerentia Sacramenti minuitur, cum Christus illud instituerit ad nostram vtilitatem his igitur dictis.

Et licet *Fagundez* hanc teneat superius allatam opinionem, scilicet fideles Nu. 15
baptizatos, etiam iustos, qui sunt præceptorum capaces hoc diuino præcepto obligari in articulo mortis: tamen *num.* 6. *præcep.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. excludit pueros, & amentes, etiam adultos ratione carentes, qui nec præcepto diuino, nec Ecclesiastico tenentur communicare, vnde concludit paruulis baptizatis, cōmunionem Eucharistiæ non esse mediū necessarium salutis, nec in re, nec in proprio voto, cum vsu rationis careant; dicuntur tamen pueri in voto Ecclesiæ, habere Eucharistiam ex professione legis Christianæ, facta in Baptismo, tenentur, cum adulti fuerint, communicare *hæc omnia ex Fagundez.*

Verum his tamen non obstantibus, contraria sententia probabilis est, propter suos auctores, rationes, & fundamenta, quibus probant Sacramentum Eucharistiæ, non esse medium necessariū Nu. 16
necessitate salutis pro omnibus, qui saluandi sunt, sed tantum medium vtile, ac morali necessitate, necessariū ad cōseruandam vitam spiritualem gratiæ, vnde hi auctores inferunt, non esse medium

 dium

dium necessarium ad salutem, neque respectu paruulorum, vti supra diximus, neque respectu adultorū, qui in gratia moriũtur sine susceptione hu⁹ sacramẽti, vel in re, vel in voto proprio, modo etiam supradicto, vnde huiusmodi præceptum diuinum de sumenda Eucharistia, saltem in articulo mortis, non obligar iustos, quia homini iusto, nullū potest dari medium, ac præceptum diuinū necessarium necessitate salutis, si enim iustus est, & moriatur in gratia iustificante saluabitur *ita Gae. in summ a verb. commu§.* *Vtrum autem* vbi proponens hoc dubium; verum mortis articulo teneatur fidelis quisque communicare, respõdet in dubium non esse vertẽdum, quoniam consuetudo Ecclesiæ hoc mãdat, & procul dubio peccat, qui sine rationabili causa, absque viatico recedit, si tamen contemptus desit, non video rationem peccati mortalis in huiusmodi omissione, ex quo paschalem communionem impleuit, nec video etiam rationẽ dubitandi de peccato mortali, quoniã viaticum vt sic, non est necessitatis sacramentum ex Ecclesiæ præcepto, quia non inuenitur, aut ex natura viatici, cū sine illo, Pœnitentia sufficiat, sicut fine extrema vnctione: est enim necessariũ viaticum, sicut equus ad iter, & non sicut nauis ad transeundum mare, ita etiã quomplures doctores citati pro hac opinione *apud Fagundez præcep. 3. lib. 1. cap. 3. num. 3. & apud Dianam par. 2. tract. 6. miscell. resol 95. S. Sed contrariam* qui etiã hanc opinionẽ probabilem existimat.

Nu. 17 Quod si interdum *D. Tho* hoc sacramentum appellet sacramentum necessitatis, intelligendus est, quia scilicet nõ potest omitti, suo tempore sine peccato, si possit sumi, neque dicas verba illa *Io. 6. nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem* videntur indicare necessitatem medij, sicut illa verba *nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu Sancto*, non inquam hoc dicas, quia huiusmodi verba intelliguntur de manducatione spirituali, qua quis membrũ Christi efficitur, ac proinde particeps corporis, & sanguinis ipsius.

Nu. 18 Tandem vnum inferas, ex hac vltima, & probabili opinione, quod si quis infirmus, antequam in mortis periculū incidat, sacram Eucharistiam ex deuotione sumpserat, non teneri iterum cõmunicare *ita etiam Diana tract. 4. de Sacram. resol. 40. vnde Layman citatus apud ipsum* ait si infirmus, vno, duobus, tribus, vel etiam octo diebus, antequã in mortis periculum incidit, cõmunicauerit, consulendum ei est, vt iterum Eucharistiam per modum viatici accipiat, tamen ad id non obligatur, cum præceptum de Eucharistia sumenda ante mortem instantem, secundum substantiam impleuit, quin imo *Emanuel Sa verb. Euchar. num. 1. Gae. loco supra citato* plus addunt asserentes, qui in Pascha communicauit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia quadam, sine contemptu, non peccare mortaliter.

Neque dicas ex Fagundez sententia se qui, quod si quis hodie communicauit sanus, ac valens ex Ecclesiæ præcepto, & nocte in periculo mortis incidat, teneri ex diuino præcepto tanquam medio necessario salutis, saltem pro articulo mortis iterum communicari, etiam nõ ieiunus per modum viatici, quod videtur mirum, non inquam hoc dicas, quia *ipsemet Fagundez præcep. 3. lib. 1. cap. 3 nu. 7.* respondet hoc non sequi, quia huiusmodi præceptum diuinum positiuum, de reali manducatione Eucharistiæ non obligat, nisi quando hoc Sacramentum digne, & reuerenter, & sine scandalo sumi potest, tunc autem, nec tam reuerenter, nec sine scãdalo sumi potest, & ideo necesse est, vt aliquot dies intercedant, arbitrio prudentis vnde *Henriqu. apud Fagundez* existimat debere esse octo, in religiosis vero quia diuinis Sacramentis magis assueſiunt, pauciores dies sufficiunt, tres scilicet, vel quattuor, tandem concludit totum hoc negotium, arbitrio prudentis committi *hæc Fagundez* sed de hoc infra, & hæc de sanorum cõmunione. Quid vero dicendum de cõmunione infirmorum. Nu. 19

QVAERES VIGESIMOSECVNDO.

Quid dicendum de communione infirmorum.

Tandem peruenimus ad infirmorū communionem, quam sub fideli cu- Nu. 1

custodia & in loco decẽti, pro infirmis communicandis debet Parochus conseruare vti habet *Barbos. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 20. num. 27.* quare summo studio, ac diligentia ægrotantibus opportuno tempore procuranda est, ne forte contingat illos, tanto bono, Parochi incuria priuatos decedere, atque in eadem ægritudine periculosa, non solũ semel, sed etiam sæpius potest idem infirmus non ieiunus Eucharistiam, pro viatico extremo accipere *ita Fagundez præcep. 3. lib. 3 cap. 5. num. 20. Barb. loco supra citato num. 42. Diana tract. 14. de celebratione mis. resol. 75. & alij apud hos* cuius ratio est quia *in cõcilio costanti: sess. 13.* dicitur in casu infirmitatis, posse sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum dari non ieiuno, & ibi non limitatur, ad vnam tantum vicem, ergo neque nos limitare debemus (nisi aliqua adsit particularis prohibitio, aut loci consuetudo in contrarium de qua infra)

Nu. 2 Quæ nam temporis intercapedo, inter vnam, & alteram communionem habenda sit, varij varia dicunt vt videre est apud *Dianam par. 3. tract. 4. de sacr. resol. 44* sunt enim qui asserunt post sex dies, alij post octo, aut decem dies, posse infirmum in eadem ægritudine non ieiunum sæpius communicare si commode non possit sacramẽtum suscipere ieiunus, & ratio est, quia põt status ægritudinis variari, nam potest infirmus esse in articulo mortis, & per modum viatici communicare, & postea post illud periculum euadere, & aliquantulum cõualescere, & iterum intra paucos dies periclitari, & ideo non est dubium, quin possit toties communicare per modum viatici non ieiunus, quoties, talis varietas accesserit, quia illa censetur quasi noua ægritudo, & quasi nouus articulus necessitatis, ita inter alios *Fagundez loco supra citato num. 20. vbi fine* ait non esse tamen hoc extendendum extra tempus periculi mortis.

Nu. 3 Aduertas tamen supradictam opinionem tenendam, & veram esse vbi nõ adest aliqua particularis prohibitio.

Nu. 4 Cauendum autem est in primis, ne ad indignos modo supradicto cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici vsurarij, concubinarij, notorie criminosi, nominatim excõmunicati, aut denunciati nisi sese prius facta confessione purgauerint, & publicæ offensioni prout de iure satisfecerint *ita ex Rit. Rom.*

Ad communicãdum autem infirmũ, poterit Parochus vrgente necessitate, quacumque hora, etiam de nocte viaticum deferre *ita Suar tom. 3. dispu. 66. sect. 5. paulo post principium* sicuti etiam pro communicando infirmo iam iam morituro, licitum est Parocho, missam dicere non media nocte, sed summo mane aute lucem notabiliter. Nu. 5

Et quamuis possit Sacerdos non ieiunus, in articulo mortis celebrare, vt se communicet, vt si ponatur Sacerdos ipse moriturus, vel occidendus, nec posset aliter viaticum sumere, nisi ipse celebret tunc potest celebrare non ieiunus, vt se ipsum communicet *ita Ioan. de Lugo, Layman, Zab. & alij apud Dianã part. 5 tract. 3. resol 36.* tamen an celebrare possit post cibum, ad communicandum infirmum, qui est in articulo mortis in casu, quo ille non possit recipere aliud Sacramentum, cessante omnino scandalo, cõtrouersia est inter doctores: negat enim *Barb. loco supra citato num. 40.* quia maior ratio habenda est reuerentiæ huius sacramenti, quam necessitati proximi, & tale præceptum obligat infirmo, cum decenter, & reuerenter sacrificiũ confici, & sumi potest *ita etiam Nugnus, Marchantius, & alij apud Dianam resol. 35. initio Tol. Siluester, Armilla, & alij apud Dianam par. 1. tract. 14. resolut. 66. S. Sed communis*, quã quidem opinionem *Diana* communem omnium doctorum vocat, quamquam contrariam sententiam multi viri docti doceant, quando infirmus moriturus aliud Sacramentũ, scilicet Pœnitentiæ, aut extremæ vnctionis suscipere non possit, & scandalum cesset *ita Layman, Faustus apud Dianam par. 5. resol. 35. fine Maior Zanardus, Zabranus 1. par. loco supra citato initio.* Nu. 6

Aduertas autem, quod licet aliqui asserant infirmo delirãti, qui propter febrim incidit in amentiam, seu phrenesim posse Parochum præbere viaticum, si illud tempore vsus rationis expresse petijsset, & signa contritionis, confessionis, & communionis ostendisset, etiam Nu. 7

multo ante, modo non sit periculum irreuerentiæ, tamen non est necesse, vt tẽpore vsus rationis petierit expresse, & obstenderit signa contritionis, confessionis, & communionis, vt nimis scrupulo se putabant aliqui nam *Sanctus in selectis disp.38.num.10.& Barb. loco supra citato num.*43. benignius putant, debere Eucharistiam tempore mortis præberi omni fideli, qui non est notorius excommunicatus, nec notorius peccator, quamuis non dederit signa Pœnitentiæ, dummodo de eo non constet, in complacentiam peccati mortalis amisisse vsum rationis, quia illo tempore omnis fidelis censetur, illam interpetratiue petere, & & sic Parochi debent huiusmodi ægrotis communionem præbere *ita etiam Diana par.1 tract.4.resol.*78.

Nu. 8 Intellige tamen, modo infirmus possit, sine irreuerentia, & periculo vomitus dictam communionem sumere, aliàs enim nullo modo est danda, vnde cõcludit *Barb. loco supra citato nu.*43.*fine, & optime notat* Zabranus *apud Dianam loco supra citato* §.*Sed hi* posse fieri experientiã ad illud periculum euitandum, vt scilicet detur primo huiusmodi infirmo, aliqua forma non consecrata, vt appareat quommodo se habeat in tali sumptione, & si se habuerit decenter, detur illa forma consecrata, sin autem minime.

Nu. 9 Quid vero dicendum, de perpetuis amentibus, an sint communicandi in articulo mortis, iam supra diximus, & breuiter dicimus, cum detur maximum periculum irreuerentię est curandum, ne his tribuatur, vt habetur *ex Rit. Rõ. ita etiam* Tol. *lib.2. summa cap.*28.*num.* 5. *& alij.*

Nu. 10 Eucharistia ad ægrotum adorãda deferri non debet, si eam ob tussim, aut aliàs sumere non potest pro viatico *vt ex Rit. Rom. habetur.*

Nu. 11 Nec potest ministrari hoc sacramentum sub specie vini, si infirmus non possit deglutire sub specie panis *ita Barbos. num.*44.§*Nec potest* Fagundez *precep.* 3. *lib* 3.*cap.*4.*num.*20.*Suar. in* 3 *par. tom.* 3. *quæst.*80 *sect.*3.*fine* Mercerus, *Siluius, & alij apud* Dianam *par.*5.*tract.*3.*resol.* 34. *initio* quia in tali casu ius diuinum non obligabit, ad sumptionem Sacramenti, & infirmus excusabitur à sumptione, & minister à dispensatione, & difficulter potest euenire, vt ęgrotus non possit deglutire exiguam speciem panis, cum vino non consecrato vel cum aqua *ita Siluius quamquam Petrus Ochagauia apud Dianam* affirmatiuam teneat sententiã, quia tunc in articulo mortis obligat prę ceptum diuinum Eucharistię, quod prę ferendum est humano præcepto, de nõ sumenda specie vini à laicis.

Aduertendum est tamen cęteris infirmis, qui ob deuotionem in ęgritudine communicant, danda est eis Eucharistia ante omnem cibum, & potum, non aliter, ac cęteris fidelibus, quibus, nec etiam per modum medicinæ ante aliquid sumere licet *ita ex Rit. Rom.* Nu. 12

Illud autem relinquendum non est, quod licet quis mane Eucharistiam sũpserit, & post meridiem, & prandium incidat in periculum mortis, non solum posse, sed etiam teneri, etiam non ieiunus sacrum viaticum sumere, quia in articulo mortis tenentur omnes communicare per modum viatici, vt ex hac vita securius migrent, sed qui modo ante dicto communicauit, nõ sumpsit Eucharistiam, vt viaticum: ergo mortis adueniente periculo, tenetur iterum Eucharistiam sumere, vt viaticum, & patet quia, qui paulo ante articulum mortis sumpsit Eucharistiam, non manet liber ab obligatione præcepti sumendi Eucharistiam, pro eo articulo *ita Hurtadus apud Dianam par.*4.*resol.* 197. *tract.* 4.*& par.*5.*tract.*3.*resol.*32.§.*Verum, quia* vbi præter Hurtadum citat pro hac opinione *Turrianum, Petrũ de Ochagauia, & alios, & par.*6.*tract.*6.*resol.* 18.§. *Dico vbi citat etiam Marcellum Megaliũ Martinum Bresserum* quin imo hanc sententiam re maturius considerata sequuti sunt *anno* 1638. Patres Societatis Iesu Domus Professæ Panormitanæ in persona Patris VVillelmi Gascone viro equidem religiosissimo, qui cum mane missam celebrasset, & post prandium lethali morbo correptus fuisset, iterum in eodem die sacram cõmunionem per modum viatici ei præbuerunt, quam quidẽ opinionem probabilissimam existimamus, propter animarum consolationẽ, quamquam contrariam probabilem vocemus, nam probabile est, qui paulo an Nu. 13

tę

te articulum mortis, sumpsit Eucharistiam manere liberum ab obligatione præcepti sumendi Eucharistiam, pro eo articulo, & hanc nouissime sequutus est *Homobonus de bonis in consult. casuum conscientiæ vol. 1. par. 5. respons.* 47. Sed nos iam alibi, vide *Dianam par.* 8. *tract.* 1. *resol.* 87. §. *Secundus*.

Nu. 14 Nota tamen pro praxi, quod si ægrotus non possit Eucharistiam deglutire, posse cõmunionẽ ei dari, imposita parua parte hostiæ, cum vino non consecrato, aut aqua in cohleari vt asserit *Præpositus apud Dianam par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 104. §. *Nota etiam*, & hanc sententiam prius licet docuerit *Suar. in 3 par. tom. 3. quæst.* 80 *sect.* 3. *vers. Dices fine* tamen non admittit in tali casu dari posse sanguinẽ cõsecratũ, pro Eucharistia, & iã nos alibi.

No. 15 Et tandem id obseruauit Panormi, & pro praxi deduxit Pater Ioseph de Augustino Societatis Iesu vir doctissimus Magister meus, qui in articulo mortis cuiusdã viri moribundi cũ non possit Eucharistiam deglutire, præsente dicto Patre imponere fecit particulam consecratam cum paruo iure, in cohleari argenteo, vti mihi relatum fuit, & Ego tamquã quid apud me nouum adnotaui quę valde adnotanda sunt pro praxi.

No. 16 Ab hæreticis, & publicis excommunicatis non licere in mortis articulo Eucharistiæ Sacramentum recipere *ait P. Gesualdus Capue par.* 1. *Theolog. moral. to.* 5. *cap.* 2. *num.* 16. quia hoc Eucharistiæ Sacramentum non est Sacramentum tantæ necessitatis, sicuti *Baptismus*, & quamuis sit præceptum in mortis articulo, vt Eucharistia recipiatur, non tamen obligat, quando non adsit minister legitimus, qui legitime possit Sacramẽtum hoc administrare, est enim præceptum affirmatiuum, quod obligat semper, sed non ad semper, & idem concludit *P. Gesualdus* non licere in casu sacramentum hoc etiam ab hæreticis, &c. recipere.

QVÆRES VLTIMO.

Quid dicendum de effectibus huius Sacramenti.

PRimus igitur, & præcipuus effectus huius Sacramenti est refectio spiritualis, & nutritio animæ. Nu. 1

Secundus feruor Charitatis. Nu. 2

Tertius auxilia gratiæ actualis, contra peccatum. Nu. 3

Quartus perseuerantia in bonis, & & præseruatio à mortali, scilicet remissio venialium, si accedat cum eorum displacentia. Nu. 4

Quintus vnio peculiaris, inter carnẽ Christi, & carnem digne sumentis illã. Nu. 5

Sextus vnio, quæ a Patribus appellatur realis, naturalis, & substantialis, non quia fiat vna res, vna natura, & vna substautia, sed quia Christus ex intimo affectu, per modum cibi, intra nos operatur, & hæc de Eucharistiæ Sacramento, vt autem Extremæ vnctionis Sacramẽtum explicemus sit. Nu. 6

DISPVTATIO SESTA

DE EXTREMA VNCTIONE.

QVamuis Sacramentum hoc quamdam habeat cum Pænitentiæ Sacramento coniunctionem, & affinitatem, eo quod Pænitentia ad tollenda peccata, Vnctio vero ad peccatorum reliquias, quæ illis sublatis permanere soleant, auferendas ordinatur; tamen Extremam vnctionem esse Vnum Sacramentum, vnumque ex septem legis nouæ de fide esse, nemo sit, qui dubitet ita Barb. in Trid. sess. 14. de Sacr. Extremæ vnctionis nu. 1. *nos vero vt breuius expediamur sit.*

VNI-

VNICA DIFFICVLTAS
QVID SIT EXTREMA VNCTIO.

DE Extremæ Vnctionis Sacramento, licet hoc loco breuius aliqua tractabimus; eumdem nihilhominus ordinem in eo declarando seruabimus, sicuti, & in præcedentibus. Verum ante quam eius essentiam, materiam, formam, ministrum, subiectum, & effectus declaremus, aliqua more nostro animaduertenda sunt.

Nu. 1 ET primo, quod attinet ad nomen, dictum est hoc Sacramentum (Extrema Vnctio) tum à tēpore, in quo datur, scilicet in extremo vitæ tēpore, seu homine existente in extremis, tum etiam, vt distinguatur, ab vnctionibus vsitatis in administratione aliorum Sacramentorū, qualis est, Primo ea, qua baptizatus vngitur in vertice, Secundo ea, qua vngitur in fronte ab Episcopo conferente Sacramentum confirmationis. Tertio ea qua Sacerdos, dum ordinatur, vngitur in manibus dum consecratur *ita Reg. tom. 2. lib. 28. cap. 8. nu. 43.*

Nu. 2 Extremæ vnctionis Sacramentum, à Christo domino institutū (*vti ex Trid. sess. 14. de Sacr. extremæ vnctionis cap. 1.* expresse habetur *Instituta est autem sacra hæc vnctio infirmorum, tamquam vere, & proprie Sacramentum noui testamēti à Christo domino nostro, &c.*) Est vnctio quinque sensuū, ægroti facta à Sacerdote, cum oleo benedicto, sub certa forma deprecatiua, esse autem ab ipsomet Christo huiusmodi sacramentum institutū, tenendum est de fide, ex diffinitione *Concilij sess. 7. de Sacr. in genere can. 1. & sess. 14. loco supra citato cap. 1.* quando vero institutum sit: nihil certi haberi notat *ex Suar. Reginaldus loco supra citato num. 47.* addens probabile esse, quod Christus, tunc potestate illud administrandi Apostolis dederit, & ex consequenti illud instituerit, cum dans eisdem potestatem remittendi, & retinendi peccata sacramentum Pœnitentiæ instituit, post resurrectionem dicens illis *Io. 20. quorum remisseritis peccata remittuntur eis, &c.* & rationem reddit *Reg.* quia sicut hoc Sacramentum quodammodo annexum est, sacramento Pœnitentiæ ad tollendas reliquias peccatorum, ita etiam potestas ipsum administrandi, non immerito creditur, quo ad institutionem annexa fuisse potestati administrandi Pœnitentiæ Sacramētum.

Vnde, quod attinet ad institutionem huius Sacramenti: duo docet *Trid. sess. 14. loco supra citato cap. 1.* quorum primū est; hoc Sacramentum fuisse insinuatū *apud D. Marcum cap. 6.* vbi dicitur Christus misisse Apostolos suos, ad prædicādum, & de ijsdem subditur, & vngebant oleo multos ægrotos, posterius quod docet *Trid.* est illud ipsum sacramentum fuisse fidelibus commendatum, & promulgatum à D. *Iacobo illis verbis, quæ habentur cap. 5. Infirmatur quis in vobis, inducat Præsbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei*, quibus verbis, vt ex Apostolica traditione per manus accepta didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum huius sacramenti; intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum, ab Episcopo benedictum, formam consistentem in vnctione olei, & oratione, seu verba Præsbiteri proferentis illa verba *Per istam sanctā vnctione, & suam pijssimam misericordiā, &c.* deinde ministrum, qui est Præsbiter: item suscipientem, qui est fidelis infirmus, tandem effectum, qui est gratia ad remissionem peccatorum, & ad infirmi alleuiationem ordinata, ita colligitur *ex Trid. sess. 14. cap. 1. loco supra citato.* Nu. 3

Et

Nu. 4 Et licet in hoc sacramento conficiẽdo, interueniat multiplex vnctio, & multiplex verborum forma, tamen ex illis vnctionibus consurgit vnum numero Sacramentum, quod vocatur vnum compositione, quia cum omnes tales vnctiones, & formæ ordinentur ad vnã integram totius hominis vnctionem, & ad vnum completum effectum obtinẽdum, ex omnibus illis componitur vnũ tantum Sacramentum, quod producat gratiam sufficientem, ad confortãdum, & alleuiandum infirmum, quantum in diget, vel indigere potest *ita Reg. num.* 48. verum vt distinctius in hac re procedamus hanc difficultatem in aliqua diuidemus quæsita ac proinde.

QVAERES PRIMO.

Quænam sit materia huius Sacramenti.

Nu. 1 CVm materia duplex sit, vna, quæ dicitur remota, altera propinqua; inde est, quod materiã remotam huius sacramenti colligimus, ex supra citatis verbis *D. Iacobi vngentes oleo*, vnde constat huiusmodi Sacramenti remotam materiam, esse oleum *ita Suar tom. 4. disput. 40 sect. 1. initio*, & illud de fide, debere esse oliuarum, nam vt ait *Suar.* tale simpliciter intelligitur nomine olei: itẽ ab Episcopo benedictum, quæ benedictio est essentialis, vt habetur *ex Suario sect. 1. §. Tertio est* vbi ait, oleum hoc, debere esse ab Episcopo benedictum, & quidem, quod hoc sit saltem de necessitate præcepti, indubitatum est, an vero sit etiam de necessitate sacramenti: licet nonnulli dubitent, & asserant simplex oleum sufficere ex Christi institutione, & alium ritum benedicendi oleum, esse accidentalium, ex Ecclesiæ institutione, & ideo si prætermittatur, etiã peccaminose, validum nihilominus confici sacramentum, aliquando vero ex causa iusta, scilicet necessitate vrgente sine culpa, posse ita confici: tamen *nu.* 3. ait contrariam sententiam, esse communem Theologorum, & quamquam non sit euidenter in sacra scriptura expressum, vti ait *Suar. num.* 5. tamen habetur ex Apostolica traditione, vt videre est *Trid sess. 14. loco supra citato cap. 1. quare Emanuel Sa verb. extrema vnctio num. 6.* ait Episcopi benedictionem necessariã esse ad essentiam sacramenti in simplici oliuarum oleo.

Vnde *Suar. tom. 4. disp. 40. sect. 1. n. 10.* habet chrisma licet mistionem habeat balsami, esse sufficientem materiam, & per se, non esse contra Christi institutionem, illa vti, in hoc sacramento, vnde fine concludit cum ergo habeamus ex concilijs, oleum ab Episcopo benedictum, esse materiam huius sacramenti, & chrisma sit oleum sanctificatum ab Episcopo, non est dubitandum esse sufficiẽtem materiam, quare *nu.* 11. existimat seclusa Ecclesiæ prohibitione, nullum peccatum esse vti chrismate proprio, ad hoc sacramentum perficiendum, & præsertim si aliud oleum simplex, & sanctificatum deesset. Per se autem verũ est, ad hoc Sacramentum conficiendum, sufficere, simplex oleum benedictum: vnde concludit non est ergo necessaria mistio balsami. Nu. 2

Quare *Layman citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resol. 176. §. Sed mihi* habet, quod si sacerdos per errorem vngeret infirmũ, non oleo, sed sacro chrismate, probabiliter dici posse videtur nihil esse repetendum, sed rem domino commendandam, tum quia, plerumque nõ posset fieri iterata vnctio sine scandalo, tum quia, valde probabile est sacramentum extremæ vnctionis, valde confert in materia sacri chrismatis. Nu. 3

Verum aduerte quod habet *Reg. to. 2. lib. 28. cap. 9. nu.* 50. huiusmodi supradictum oleum, debere esse simplex, seu non admixtum alio liquore, modo supradicto in simili materia *ita etiã Suar. loco supra citato num.* 12. vbi fine concludit si oleum maneat in vera natura, & specie, & vsu olei non repugnatet institutioni, quod ex ordinatione Ecclesiæ sanctificaretur cum parua aliqua mistione alicuius licoris, sicuti vino consecrãdo miscetur aqua, & aquæ Baptismi parũ salis, & hac ratione dicebamus chrisma posse sufficere, & aliquando fortasse fuisse in vsu. Nunc autem quando Ecclesia has materias, earumque benedictiones distinxit, non esset licitum eas cõmutare, nec alio oleo in hoc sacramẽto vti, præterquã illo, quod ad hoc munus Nu. 4

ex

ex Ecclesiæ institutione consecratur, *hæc Suar.* & hæc de materia remota.

Nu. 5 Materia vero propinqua, est vnctio sensuum ex prædicto oleo facta, patet *ex verbo Iacobi vngentes eum oleo ita etiã Suar. tom.4.disp.40.sect.2.numer.2.Barb. in Trid.sess.14.de sacr.Extrema vnctionis cap.1.num.3.Reg.lib.28.cap.9.num.51.* vbi habet vnctionem ipsam signum esse externum, interioris gratiæ, atque adeo sacramentum constituere, quod nõ facit aliter, quam vt materia proxima. *ita etiam* Barb. *de offic. & potest. Parochi par.2.cap.22.num.27.*

Nu. 6 Hinc obiter collige vt habetur *ex Rit.Rom.de Sacr.Extrema vnctionis* quinque corporis partes præcipue vngi debere, quas velut sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, os, & manus: attamen pedes etiam, & renes vngendi sunt, sed renum vnctio, in mulieribus honestatis gratia, semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moueri nõ põt, sed siue in mulieribus, siue in viris omittatur alia corporis pars pro renib⁹ vngi nõ debet *vnde* Bar. *de off. & pot.Parochi par.2.cap.22.num.* 29. habet circa duas vnctiones scilicet pedum, ac renũ, seruandam esse cuiusque Ecclesiæ consuetudinem, cum non sit de essentia sacramenti. imo in renibus conuenientius omittitur, præsertim in feminis; ac viris religiosis *ita etiam* Emanuel Sa *verb. extrema vnctio num.*12. Reg. *num.* 52. §. *Non esse, & alij.*

Nu. 7 Vnde *Suar. loco supra citato sect.* 2. *nu.* 5. habet non esse absolute, de essentia huius sacramenti in vnctionibus singulorum sensuum, duplicem facere vnctionem v.g. duorum oculorum, aut duarum aurium, &c. licet ita communiter fiat, & seclusa necessitate, ita faciendum sit, propter consuetudinem Ecclesiæ: tamen non est de essentia, quia in vna parte sufficienter significatur vnctio talis sensus.

Illud vero pro certo habeatur, ordi-
Nu. 8 nem talium vnctionum non esse de essentia sacramenti, vt scilicet prius vngãtur oculi, postea aures, &c. & licet hic ordo seruandus sit quia, & est rebus ipsis consentaneus, & maxime quia, ita habet Ecclesiæ consuetudo, quæ sine aliquo peccato non potest omitti, non est tamẽ absolute de essentia, quia materia essentialis est vnctio, quamuis mutetur ordo, seruata tamen vnctione, seruatur essentia *ita Suar loco supra citato num.* 9. *Reg. num.*53.*Barb.de off. & potest.Parochi par.* 2.*cap.*22.*num.*28.*& in Trid.sess.* 14.*loco supra citato cap.*1.*num.*3.

Aduerte, quod manus, quæ reliquis
infirmis interius vngi debent, Præsbite Nu. 9
ris exterius vngantur *ita ex Rit. Rom. de Sacr.extrema vnct.* quamuis nihil referat, etiam in ipsis palmis inungi, cum hæc vnctio ab altera diuersa non sit, vt notauit *Paludanus in 4.dist.23.quæst.3. ar.3 concl.3.citatus apud Barb. de off. & potest.Parochi par.2.cap.22.num.* 32. *vbi citat Zambranum* asserentem cuiusque in hac re consuetudinem diecesis sequendam esse.

Item dum oculos aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt sacerdos, vngit, caueat, ne altero ipsorum inungendo, sacramenti formam prius absoluat, quam ambo huiusmodi parea membra perunxerit *ita ex Rit.Rom.* Nu. 10

Vnde si quis, sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma *ita ex Rit. Rõ. ita etiam Emanuel Sà verb. extrema vnctio num.*13.*Barb.de off & potest.Parochi par.*2.*cap.*22.*num.*31. vbi habet licet homo, qui perpetuo caruit visu, non potuerit eo sensu peccare secundum effectũ, potuit tamen peccare secundum concupiscentiam videndi. Nu. 11

Ex his collige, non videri à peccato excusandum Parochum, si oleum alterius anni adhibeat, nisi aliud suadeat necessitas *ita Barb. de off. & potest. Parochi cap.*22.*num.*25.*& in Trid.sess.*14.*de sacr. extrema vnctionis cap.*1.*num.*6. vbi habet si necessitas vrgeret, posse Parochũ vetere oleo morituros vngere, vsquedum nouum ipsi ab Episcopo transmissum fuerit *Diana par.*5.*tract.*3 *resol.* 90. Nu. 12

Quare Zambranus *de casibus occurrentibus tempore mortis cap.*5.*dub.*4.*nu.* 14. habet huiusmodi peccatum esse mortale, & mortaliter etiam peccare Episcopum oleum benedicere, alio die, quam feria quinta, vel illud singulis annis non renouare, vel veteri vti extra necessitatẽ *licet Henriq citatus apud* Dianã *tract.* Nu. 13

4 *de*

4. *de Sacr. resol.* 176. afferat non prohibe ri vngere infirmos, veteri oleo.

Nu. 14 Si Quæras an hæc vnctio fieri debeat in forma crucis, saltem ex necessitate præcepti, & licet aliqui asserant, esse mortale peccatum facere vnctionem sine figura crucis, tamen respondet *Suar. to.* 4. *disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 3. hoc non esse de necessitate huius sacramenti, & patet primo quia *Iacobus* simpliciter dixit *vngentes eum oleo, modum autem, vel signum vnctionis, non definiuit: concilia item de hoc nihil dicunt vnde Suar.* addit præterea nō videri, hoc signum esse de necessitate præcepti, saltem sub culpa graui, seclu so contemptu, aut scandalo, quia nullū est expressum latum præceptum de hac re, & de consuetudine non constat, sub hac existimatione esse introductam, & præterea materia ex se non est grauis, quare si ex iusta causa omittatur, vt breuius, vel securius agatur, nullū erit peccatum, regulariter vero id magis pium est, ideoque debet seruari, ac fieri *hac Suar. vnde Diana tract. 4. de sacr. resol.* 178. *S. Sed hic* concludit quod si quis Sacerdos secluso contemptu, & scandalo vngeret infirmum, non in modum crucis, male quidem faceret, non tamen peccaret mortaliter.

Nu. 15 An vna gutta olei, sit sufficiens in vnaquaque vnctione ad conferēdum sacramentum Extremæ vnctionis: ad hanc difficultatem respondendum est, sicuti supra de quantitate aquæ circa sacramē tum Baptismi *quare Suar. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 4. habet quamlibet sufficere etiam si minima sit: dummodo veram ratione vnctionis attingat, iuxta commu nem loquendi morem, non enim erit satis, vnicam guttam olei stillare, quia id, vel non est vngere, vel certe est res aliquo modo dubia, sed oportet partem corporis oleo lenire, aliquod per illum diffundendo: hoc enim est proprie, & in rigore vngere. Nam verbum vnctionis fluxum, seu extensionem liquoris impor tat *vti habet Reg. tom.* 2. *lib.* 28. *cap.* 9. *nu.* 52. *S. Tria vero* quāquā multi probabiliter teneant vnam guttam aquæ, sufficere ad validitatem Baptismi, & consequē ter teneant vnam stillam olei sufficere *tamen Diana tract.* 4. *de sacr. resolut.* 177. *fine* licet afferat probabiliter sententiam eorum asserentium vnam stillam olei sufficere: tamen concludit, sed tu lector cogita.

An iterari possit huiusmodi sacramentum, certum est de fide posse, vt patet ex illis verbis *Trid. sess.* 14. *de extrema vnctione cap.* 3. *Quod si infirmi, post susceptam hāc vnctionem conualuerint: iterum huius Sacramenti subsidio iuuari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Durante autem eiusdem morbi necessitate, idē Sacramentum non posse iterari* vti probat *Suar. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 4. *num.* 6. quia huiusmodi sacramētum semel susceptum, medicina est de se sufficiens pro vna necessitate, in qua æger constituitur in extremis; illa enim susceptione, sufficiens ad eamdem necessitatem auxilium spirituale confertur animæ, atque corpori, si expedierit, sanitas redditur *ita etiam Reg. tom.* 2. *lib.* 28. *num.* 49. *Barb. de off. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 22. *nu.* 38. *Diana par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 96. Nu. 16

Dictum est autem, durante eadem morbi necessitate, & non absolute, durante eodem morbo, quia vt addit *Suar. loco supra citato nu.* 6. si morbus esset diuturnus, & prius hominem constitueret in graui periculo mortis, postea vero remit teret morbi vis, ita vt homo censeretur esse extra mortis periculum, non tamen omnino liber à morbo, & in eo statu aliquandiu durans, postea in simile vitæ periculum incideret, posset iterum iniungi; si considerata morbi diuturnitate, & eiusdem statu, atque interruptione, com muni existimatione, pericula diuersa, & status diuersi perinde censeantur, ac si morbi fuissent omnino distinti *ita Reg. loco supra citato nu.* 49. *Barb. de off. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 22. *num* 38. vbi habet si mutata corporis valetudine, recidit, tunc iterum eum inungere posse, licet interuallum temporis non longum, sed paucarum tantum hebdomadarum intercesserit: dummodo prudente practica consideratione, censeantur diuersa pericula, quibus homo constituatur indistintis statibus, seu dispositionibus ad moriendū *ita etiam Suar. loco supra citato num.* 7. *fine, vide Dianam par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 96. Nu.

Quando nam huiusmodi sacramentū conferat gratiam, tres inueniuntur opinio- Nu. 1

Ff

niones *apud Suar. tom. 4. disp.* 41 *sect.* 2. quarum primam inuenies *nu.* 2. dicentē per primam vnctionem, & formam dari per se totum gratiæ effectum per subsequentes vero vnctiones compleri sacramentum; nihil vero gratiæ additur, nisi veluti ex accidente propter meliorem suscipientis dispositionem.

Nu. 19 Secundam inuenies *nu.* 4. docentem dari quidem aliquem effectum gratiæ sanctificantis, in prima, & singulis vnctionibus, non tamen esse totalem, sed partialem gratiam, respectu adequati effectus huius Sacramenti, itaque sicut totū hoc sacramentum, quinque vnctionib9, & quinque formulis constat, ita etiam totus effectus gratiæ huius sacramenti constat, v.g. quinque gradibus, vel portionibus, quæ diuisim, & singillatim dātur in singulis vnctionibus, ita vt si homo moriatur, suscepta vna vnctione reportabit vnam partem gratiæ, quæ est quinta pars adequati effectus, & sic de alijs, & hanc sententiam probabilem vocat *Suar num.* 7.

Nu. 20 Tertiam tandem inuenies *nu.* 12. & putat quod tunc confertur gratia, quādo perficitur vltima vnctio cum sua forma essentiali, quę est quinta *ita Suar. tom.* 4 *disp* 41. *sect.* 2. *num.* 12. & hanc etiā tamquam probabiliorem, & communiorem *tenet Diana tract.* 4. *de sacr. resolut.* 179. §. *Tertia vbi* § *Secunda* infert ex hac sententia, quod si infirmus moreretur ante quintam vnctionem, nō reciperet gratiam.

QVAERES SECVNDO.

Quænam sit forma huius sacramenti.

Nu. 1 FOrma huius sacramenti *vt ait concilium Florentinum, in decreto Eugenij* § *Quintum Sacramentum*, est illa quā *Trid. assignat sess.* 14. *de extrema vnctione ca.* 1. *Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi dominus quidquid per visum, siue per auditum, &c. deliquisti, ita ex Rit. Rom.* vnde licet forma hęc ad singulas vnctiones sensuum repetenda sit, vti habet *Suar. tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 3. *num.* 16. tamē si periculum est in mora, vel morbus est contagiosus, puta tempore pestis, credunt aliqui, non improbabiliter, satis esse, si vngatur organum sensus magis obuium, dicendo *Per istam sanctam vnctionem, & pijssimam suam misericordiam indulgeat tibi dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & egressum, vi detur hanc opinionem sequi* Suar. *tom.* 4. *disp.* 41 *sect.* 3. *num.* 7. *Layman citatus apud barb. de off. & potest.* Parochi *par.* 2. *cap.* 22. *num.* 35. *quare* Diana *tract.* 4. *de Sacr. resol.* 168. §. *Sentētiam affir. fine* ait in praxi tuto hāc sententiam amplecti posse, quamquam ipse asserat in tali casu, potius velocissime, sine crucis signo, vnum oculum, vnam aurem, vnam manum, narem, & os, vnica forma partialium omnium formarum, sententias complectente inungerem, dicendo ait ipse *Per istas sanctas vnctiones, & suam pijssimam misericordiā indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti vide Dianam par.* 8. *tract.* 1. *resol.* 21. §. *Sed ego*.

Et cum huiusmodi forma sacramenti, modo deprecatiuo fiat, quia Christus ita instituit, vt habetur *ex Iacobo scilicet inducat Præsbiteros, & orent super eū* item quia infirmus eget deprecatione aliorum, iure optimo aliqui quærunt an de necessitate huius sacramenti sit, vt forma illius proferatur per modum deprecatiuum, nec sufficiat proferre per modum indicatiuum; dicēdo vngo hos oculos oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ad quam quidem difficultatem quidquid dicat *Beccanus citatus apud Dianam tract.* 4. *de Sacr. resol.* 175. *& alij* asserentes sufficere formam indicatiuam, & suadent hoc primo, quia formæ illæ, Ambrosiana, & Veneta, quæ dantur per illud verbū, Vngo te, quod indicatiui modi est, & tamen est sufficiens, secundo quia idem suadetur à simili, quia ex illis verbis *Baptizantes eos* colligit Ecclesia, illam formam. *Ego te baptizo*, & ex illis *quorū remiseritis peccata, &c.* illā. *Ego te absoluo*; ergo ex illis. Vngentes eos, potest colligi hæc forma. *Ego te vngo*, propter quæ verba non nulli asserunt etiam citati *apud Suarium tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 3. *nu.* 5. non esse de essentia huius formæ, vt per modum deprecationis conferatur, Nu. 2

vnde *Suar. loc. sup. cit. n.* 5. habet non posse negare, quin forma indicatiua sufficiat, cum Ambrosius, qui fuit vnus ex primarijs doctoribus, illa visus fuerit, suæque Ecclesiæ reddiderit, ergo illa so la est legitima forma, & hanc opinionē probabilem tenet *cum num.* 7. asserat cōtrariam esse probabiliorem.

Nu. 3 His tamen non obstantibus, pro praxi satis patet, de fide certissimum esse, quod forma deprecatiua sufficiens sit, ad validitatem huius sacramenti *ita Suar. tom. 4. disp.* 40 *sect.* 3. *num.* 6. rationem reddit quia vniuersalis Ecclesia vtitur forma, tantum deprecatiua, ergo vt minimum certum est, illam esse sufficientem, cuius consuetudinis nullum initiū cognoscitur, sed ab initio Ecclesiæ tradita est, quæ traditio ita etiam declarat verba *Iacobi, & orent super eum*, quæ in omni proprietate deprecationem significant, ex quo vlterius probabilius videtur ita esse necessariam hanc formā, vt solum indicatiuum verbum, sine formali deprecatione, nō sufficiat, & patet, quia vt ait *Suar. num.* 7. duæ formæ non possunt esse per se, & sigillatim sufficiētes, ad constitutionem huius sacramēti, nisi sint æquiualentes in sensu, ergo si forma deprecatiua sufficiens est, indicatiua sola non sufficit.

Nu. 4 Vbi aduertas, quod habet *Suar. nu* 8. si quis vtatur hac forma. Vngo te oleo sācto, vt Deus tibi remittat, quidquid peccasti, &c. formam hanc esse sufficientē, quia verbo indicatiui modi, adiungitur sufficiens deprecatio, quamuis non careret culpa graui, illam mutationem efficere, absque vsu Ecclesiæ Romanæ *ita etiam Reg. tom. 2. lib. 28. numer.* 55 *ita etiam Diana tract. 4. de sacr. resol.* 175. §. *His ita, quidquid dicat* Nugnus *apud Dianam citatus contra Suarium*, sequitur etiā Suarij sententiam *Barb. de off. & potest. Parochi par. 2 cap. 22. num. 35 fine*.

Nu. 5 Verum si quæras, an omnia verba formæ, quam assignat *Concilium Florentinū* & deinde attingit, *Trid. sess.* 14. *in doctrina de extrema vnctione cap.* 1. sint substātialia formæ huius sacramenti.

Nu. 6 Breuiter responderi potest ex doctrina *Suarij loco supra citato num.* 13. 14. 15. Et primo illa adiectiua *Sāctā, & pijssimā* non esse de substātia huius formæ, quia his detractis, adhuc sensus manet integer; item *suam misericordiam* non est de substantia, quia si loco (*misericordiæ*) poneret, bonitatem, vel quid simile certe videtur valida forma, vt si dicatur, per suam bonitatem, &c. itē hoc ipso, quod dicitur indulgeat tibi Deus, actus misericordiæ, satis expresse postulatur, ergo in actu exercito, per misericordiam petitur, quamuis in actu signato, non proferatur, non est igitur certum particulā illam esse essentialem, quamuis sit certū, non esse omittendam. Idem dicendum videtur de particulis illis *Per visum, per auditum, &c.* quæ in fine singularum formarum, partialium, ponuntur *Ita etiam Reg. loco supra citato num.* 56. *Fillius, & alij citati apud Dianam tract. 4. de sacr. resol.* 275. §. *Notandum est* vbi etiam habet verba illā *in nomine Patris, & Filij &c.* non esse necessaria, neque de necessitate præcepti, & tandem concludit de necessitate sacramenti, sufficere illa verba *Per istam vnctionem indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti, vel per auditum, &c.* non sunt autem omittenda supradicta verba, & qui hoc faceret, peccaret.

Aduerte tamen, quod licet tota, & integra forma sacramenti proferenda sit ab vno, & eodem ministro, cuius ratio est, quia alioquī falsus redderetur sensus formæ, nam si quis in Baptismo diceret. Ego te baptizo, alio subiungente, in nomine Patris, &c. falsum diceret, quia re ipsa non baptizaret, cum omittat verbū essentiale scilicet in nomine Patris, &c. tamen excipe sacramentum hoc extremæ vnctionis, nam sicut vnctiones possunt à multis sacerdotibus simul, aut successiue fieri, ita etiam singulæ partiales formæ, possunt à multis simul, aut successiue proferri, & ratio est quia extrema vnctio, profertur per modum orationis, oratio autem continuari, & perfici potest à multis, an hoc absque necessitate facere, sit illicitum, & peccent, infra ita *ex Suar. in 3. par. disp. 43. sect. 2. num.* 8. sed de hoc infra. Nu. 7

Tandem aduerte, quod licet supra diximus in morbis contagiosis, sufficere vngere organum sensus, magis obuiū dicendo *Per istam sanctam vnctionem* ✝ *& suam pijssimam misericordiam, indul* Nu. 8

gat tibi dominus quidquid deliquisti, per visum auditum odoratum,gustum, & tactum tamen ait *Egidius de Sacramentis tõ. 2.disp.19.dub.5.*omnia sensuum organa esse vngenda in capite *uide Dianam par. 5.tract.3 resol 80.*

QVAERES TERTIO.

Quid sit minister huius sacramenti.

Nu. 1 ET licet, quiuis simplex sacerdos, non autem Diaconus,aut laicus,sacramentum extremæ vnctionis valide conferat, vti proprius illius minister, quia eius administratio intrinsice, non est actus iurisdictionis, sicuti absolutio à peccatis *ita Suar.tom.4 disp.43.sect. 1. num 2.4 ubi num.5.* ait Sacerdotem esse ministrum simpliciter necessarium, ita vt propter nullam causam, vel defectũ sacerdotis,possit laicus, imo nec Diaconus sacramentum hoc valide conficere *ita etiam Barb.de off. & pot. Parochi part. 2.cap.22.num.1.*tamen non potest illud licite administrare, nisi habeat iurisdictionem,& ab Ecclesia non impeditã, ac proinde qui nõ est proprius sacerdos, aut Parochus,vel qui facultatem non habet à proprio Parocho grauiter peccat, hoc sacramentum administrando *ita Reg tom.2.lib.28.cap.10.numer.60.& 61.Barb de off. & potest. Parochi cap. 22. num 2.ubi num* 3 habet regulares sacerdotes qui clericis secularibus, siue laicis,hoc sacramentum sine proprij parochialis præsbiteri,speciali licentia ministrauerint, ipso facto esse excommunicatos, cuius excõmunicationis absolutio, sedi Apostolicæ est specialiter reseruata: vbi etiam habet omnibus, & singulis fratribus professis,conuersis, oblatis, donatis nouitijs,& seruitoribus secularibus, aut pauperibus, in hospitalibus suis degentibus, posse ipsos regulares, sacramentum hoc toties,quoties necessarium fuerit,ministrare, absque alicuius pœnæ incursu, & hoc ex priuilegio *Eugenij 4.* fratribus minoribus concesso,& ideo permittere debent, locorum Ordinarij,vt ipsi teneãt,in suis Ecclesijs oleum sanctum,pro ipsorum vsu dumtaxat,sicuti censuit *Sacra congregatio negotijs Epis & regul proposita sub die 13. lu-lij* 1589.quamuis vt habet ipse *Barb. loco supra citato* quo ad donatos, oblatos, & seruitores seculares, id hodie habere locum,tantum in foro conscientiæ, siue occulto, itaut si Parochus aliquod ius circa huiusmodi personas vẽdicare vellet,& in exteriori foro illud postularet, non posset ei virtute prefati priuilegij, seu aliorum resisti, nisi quatenus ea *per Trident.* restricta non sint, & sic quandiu ipse non resistit, integrum est religiosis,tuta conscientia vti priuilegijs.

Aduerte tamen,quod habet *Portellus citatus apud Dianam tract. 2. de dubijs regul.resol.12 §.Notãdum est,*quod seruis, & domesticis intra conuentum degentibus,in morte,& in die Paschali is possunt religiosi ministrare Eucharistiam, & extremam vnctionem,& confessionem,& idem dicendum est de famulo coniugato,qui nocte dormit extra conuentum, huic enim poterunt eadem sacramenta ministrari,est enim commensalis continuus, si intra conuentum sit in articulo mortis;putat enim *Diana* illi dandam, esse à fratribus extremam vnctionem, secus autem si sit extra conuentum *ita Portellus*,qui citat priuilegia Pontificũ, quæ an sint hodie reuocata per bullam *Vrbani VIII.* vide *Leonem de off. confess. tom 2.recollect. 10.num.50.* Nu. 2

Aduerte autem,quod habet *Suar. to. 3.in 3.par.disp.72 sect.2. uers. hinc sequitur, & tom.4 disp 44.sect 2.num.3.* quod in hoc ministerio,& in administranda Extrema vnctione, cum iurisdictio non sit de substantia huius sacramenti, nec per se principium illius, sed conditio necessaria, vt recte fiat. Ideo asserũt non nulli necessarium non esse, vt licentia Parochi,respectu simplicis sacerdotis,aut religiosi circa administrationem Extremæ vnctionis, sit semper expressa,sed sufficiet interpetratiua, aut præsũpta,& licet hi auctores solum habere censeãt hanc ratihabitionem, locũm habere in casu,quando infirmus in necessitate existit,& Parochus abest,nec porest facile,aut sine periculo, vel vocari, vel moueri atque ita multi loquuntur. Tamen *Suar.* in hoc casu,non tam censet illam esse interpretatiuam licentiam, quam excusationem ab obligatione, vel à necessitate talis licentiæ,quia licet constaret Nu. 3

ret Parochum esse inuitum, vel licet expresse nolet tale sacramētum ministrare, dummodo certum esset, iuxque id facere, & proximum esse dignum tali sacramento, & in vera necessitate illius, liceret sine licentia Parochi, illud ministrare, si fieri posset sine violentia, aut scandalo, quia tunc non est vsurpatio iurisdictionis, sed defensio innocentiæ, & licet ille sit inuitus, præsumi potest, vel Episcopi, vel certe supremi pastoris Christi licentia non deesse, vnde cōcludit *Suar.* extra hunc vero casum raro, vel nunquam admittenda erit licentia, tantum præsumpta *ita etiam Reg. lib. 28. tom. 2. num. 61. uide Dianam par. 5. tract. 3 resol. 82.*

Nu. 4 Aduertendum est etiam, posse plures sacerdotes, cum Curato, eodem tempore extremā vnctionem dare, ita ut vnus, vnum vngat sensum, itidem prolata forma partiali, quod in rigore verū videtur, quantum attinet ad substantiam sacramenti, quia non est de essentia huius sacramenti, quod illæ vnctiones successiue fiant *ita Suar. tom. 4. disp. 43. sect. 2. num. 8.* vbi ait si hoc modo ministratur sacramentum, nihil essentiale deest, erit ergo validum, imo si necessitas vrgeat, & mors infirmi timeatur, non videtur illicitum sic vngere, quia propter necessitatem, omnia hæc accidentalia prætermitti possunt, quare si ob necessitatem, ex parte ministri, licitum est hoc sacramentum ministrari à pluribus personis, ut esset si sacerdos post peractas aliquas vnctiones, moriatur, aut poter aliquod impedimentum, omnes persequi nequeat, tūc enim alter Sacerdos peragere debet eas vnctiones, quæ restant, neq; iam peractas repetere, vtpote ex se sufficientes in suo gradu ad verū sacramentum perficiēdum, suam enim significationem, & perfectionem partialem habuerunt, vtpote ex eo, quod sacramentum completum fuisset ac perfectum, si ceteræ ad illius constitutionem requisitæ, fuissent ab eodem ministro additæ *ita Suar. num. 5. 6.* cur ergo non erit licitum, ob necessitatem suscipientis, & timorem, ne subiectum, & tempus deficiant *ita Suar. numer. 8. uide Dianam par. 5. tract. 3. resol 88.*

Nu. 5 At uero sine necessitate hoc facere il licitum est, ut ait *Suar. num. 8 Reg. tom. 2. lib 28 num. 62. quare licet Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 22. num. 7. & Trid. sess. 14. de sacr. Extremæ unctionis cap. 3. num. 5.* asserat posse plures sacerdotes, cum Curato, eodem tempore ministrare huiusmodi Extremæ unctionis sacramentum, ita ut unus ungat oculos, & alios aures, &c. modo supradicto tamen hoc faciendum non esse, sine necessitate, quia extra illam non potest hoc sacramentum ministrari, absque peccato mortali, cum fiat contra usum, & praxim Ecclesiæ in re graui, qui habet, ut unus Minister, omnes unctiones, adeoq; totum sacramentum perficiat.

Necessitatis autem casus hac in re duplex est, unus ex parte ministri modo supradicto, uel ex parte infirmi *uti ex Suar.* notauimus. Nu. 6

Tādem, quid si duo sacerdotes simul ungant, unus, unum oculum, & alius alium, & sic de ceteris respondet ad hoc Quæsitum *Suar. tom. 4. disp. 43. numer. 8.* hoc semper esse illicitum, quia nunquā potest esse necessarium, uel ad ualorem sacramenti, quia sufficienter conficitur per singulas unctiones sensuum modo supradicto, uel ad subueniendum necessitati infirmi, quia sacramentum non citius conficitur illo modo, quam si ab uno tantum, per unam unctionem uniuscuiusque sensus fieret, non est tamen dubium, quin esset ualidum sacramētū. Nu. 7

An uero esset unum, uel plura licet aliqui asserant esse vnum, quia ex omnibus illis vnctionibus, integrari potest tota materia vnius sacramenti, & hæc sententia probabilis est, tamen *Suar.* cēset esse distincta, ad hoc vt fiat ualida, quia necesse est, vt unusquisque intendat perficere Sacramētum independēter ab alio, quo ad singulas unctiones nil gulorum sensuum, quia alias nihil efficerent. Nu. 8

QVAERES QVARTO.

Quid dicendum de subiecto, cui dandum est hoc sacramentum.

HOc sacramentum, tantum dari potest homini baptizato, & adultæ a tatis, itaut rationis usum habeat, uel Nu. 1

ali

aliquando habuerit *ita Suar. tom. 4. disp. 42. sect. 1. num. 2.* vbi habet cum Baptismus sit ianua omnium sacramentorũ, deberi huiusmodi sacramentum extremæ vnctionis, conferri homini baptizato, quare si conferatur homini non baptizato in re ipsa, etiam si sit baptizatus in voto, & cathecumenus fidelis, & iustus, nullum esse sacramentum, & nullũ effectum habere.

Nu. 2 Et cum huiusmodi Sacramentum, debeat infirmis præberi *vt ex Rit. Rom.* debet præberi infirmo, tam grauiter laboranti, vt mortis periculum immineredeatur, & his quorum mors timetur, & creditur cito futura, modo infirmitas nascatur ex morbo, vel ex vulnere, vel ex veneno potato, vel ex aliqua alia causa intrinseca, non tamen proximo morti violentæ, vt suspendendo, vel suffocando, quia non infirmatur *ita Barbos. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 22. num. 11.* vbi habet non esse necesse vt sit in lecto *ita etiam num. 20.*

Nu. 3 An vero, hi sub onere peccati mortalis teneantur illud recipere, ad hanc dubitationem, secluso contemptu, & scandalo, negatiue respondeo; cuius ratio est, quia nullũ inuenitur affirmatiuum præceptum de suscipiendo hoc sacramento, etiam in extremo vitę discrimine *ita Suar tom. 4 disp. 44. sect. 1. num. 2.* vbi probat huiusmodi præceptum, neque ex natura rei sequi ex institutione huius sacramenti, nec inueniri à Christo, vel ab Ecclesia traditum *ita etiam Reg. tom 2. lib. 28. num. 71.* vbi probat ad huius sacramenti susceptionem, fideles non obligari sub mortali *Diana tract. 4. de Sacr. resol. 170. §. Ad primam* an vero sit peccatum veniale, affirmatiue respõdent *Conninch, Nugnus citati apud Dianã quamquam ex Suario loco cit.* colligi potest nullum esse peccatum.

Nu. 4 Curandum est autem, vt hoc Sacramentum fidelibus detur, eo tempore, quo adhuc sunt sui compotes, & cognoscere possunt, quid circa se agatur, & ad deuotionem, & fiduciam in Dei misericordia, excitari, & maiorem fructum percipere, pro maiore dispositione *vt ex Rit. Rom quare Pitigianus citatus apud Dianam loco supra citato resol. 173.* optime habet non esse expectandum, vt infirmus, iam sensu, & cognitione careat, nam id, est contra reuerentiam, & vtilitatem Sacramenti, nec esse expectandũ tempus, in quo iam constet infirmum non posse naturaliter viuere, nam hoc etiam derogat secundario fini huius sacramenti extremæ vnctionis *ita etiam Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 22. num. 19. & in Trid. sess. 14. de sacr. extrema vnctionis cap. 3. num. 7.*

Ex his collige, negandam non esse extremam vnctionem pueris, rationis vsum sufficientem habentibus, ad peccandum, & sacrę pœnitentię, aut Eucharistiæ recipiẽdæ capacibus *ita Emanuel Sà verb. extrema vnctio num. 2. Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 22. nu. 12.* ac proinde sunt, qui asserant excusari Parochos, si pueris ante annum decimũ quartum, aut decimum quintum, iuxta diœcesis consuetudinem, extremam vnctionem negent (excepto tamen casu necessitatis) si puer quem rationis vsum assequutum esse constat, aliud ante mortem sacramentum suscipere non possit *ita Layman citatus apud Barb. loco supra citato.* Nu. 5

An vero danda sit pueris, sub conditione, quando dubitatur si habeant vsũ rationis, ad hanc difficultatem respondet *Zambranus de casibus occurrentibus tempore mortis cap 1. dub. 1. num. 7. citatus apud Dianam tract. 4. de sacram. 169.* daudam esse extremam vnctionem sub conditione, quando de puero dubitatur, an habeat vsum rationis sufficientem ad Sacramentum Pœnitentiæ, licet in tali casu dubij de vsu rationis videatur esse tutius non date vnctionem, quando dictus puer non posset recipere sacramentum Pœnitentiæ sub conditione, quamquam non sit omnino improbabile, etiam tunc posse dari vnctionem sub conditione scilicet si es capax propter maximam eius vtilitatem, & fructum in tali articulo mortis, ita ille sed sine formidine respondet *Sanctius in selectis disp. 27. num. 17.* vbi asserit, quod sicut quando dubitatur de puero, num habeat vsum rationis tenetur Parochus ministrare sacramentum Pœnitentiæ sub conditione, sic sub conditione etiã tenetur ministrare sacram vnctionem, propter maximam eius vtilitatem, & fru- Nu. 6

fructum *quam quidem Sanctij opinionem sequitur Diana loco supra citato, & part. 5. tract. 3. resol. 85 fine.*

Nu. 7 Similiter nec neganda est extrema vnctio diuturno tempore amentibus, aut phrenesi laborantibus, modo priusquam in talem amentiæ statum peruenissent, sacramentum hoc saltem interpretatiue desiderauerint, si nimirum Christiane vixerunt, atque salutis suæ memores fuerunt, quod quidem præsumendũ est, nisi contrarium appareat *ita Barb de off. & potest. Parochi part. 2. cap. 22. num. 13. vnde ex Rit. Rom.* habetur, quod si infirmus dum phrenesi, aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reuerentiam sacramenti, non inungatur, nisi periculũ tollatur omnino *vide Dianã par. 5. trac. 3. resol. 84.* Verum aduerte, quod habet *Zambranus in decis. cas. consc. tempore mortis cap. 5. dub. 2.* phreneticos, & furiosos si resistant esse ligandos, exclusis tamen laicis, ad tollendum scãdalum, & quod id facere, aliquando erit necessarium, quando scilicet phreneticus non possit recipere aliud sacramentum, nisi extremam vnctionem *ita etiã Diana tract. 14. de celeb miss. resol 78. fine Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 22. num. 13. fine.*

Nu. 8 Illud, ex generali Ecclesiæ consuetudine, obseruandum est, vt si tempus, & infirmi conditio permittat, ante extremam vnctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentum infirmis præbeatur *vt ex Rit. Rom.* & si tempus non adest, vel infirmus non potest recipere illa duo sacramenta, danda est extrema vnctio, absque prædictis sacramentis, qua re si quis laborat in extremis, & periculum immineat, ne decidat, antequam si neantur vnctiones, cito vngatur incipiendo ab eo loco *Per istam sanctam vnctionem, &c.* deinde si aduc superuiuat, dicantur orationes prætermissæ suo loco positæ *vt ex Rit. Rom.*

Nu. 9 Si vero dum inungitur, infirmus decidat, Præsbiter vltro non procedat, & prædictas orationes omittat *vt ex Rit. Rom.*

Nu. 10 Quod si dubitat, an viuat, adhuc vnctionem prosequatur sub conditione, pronunciando formam, dicens si viuis *Per istam sanctam vnctionem, &c. vt ex Rit Rom.*

Non ministretur prælium inituris, aut nauigationẽ, aut peregrinationem, aut alia picula subituris, aut reis vltimo supplicio mox afficiẽdis *ita ex Rit. Rom.* Nu. 11

Illud vero maxime aduertẽdum est, quod habet *Suar tom. 4. disp. 42. sect. 2. num. 8.* non esse scilicet de necessitate huius sacramenti, vt suscipiens aliquando actualiter peccauerit, cuius ratio pręcipua est, quia *ex verbis Iacobi* non habetur, quod suscipiens extremam vnctionem, aliquando actualiter debuerit peccare, sed solum *Iacobus* dixit *Si in peccatis est dimittentur ei*, quæ verba non supponunt necessario peccatum, nam conditionalis, nihil ponit in esse: item forma huius sacramenti, est intelligenda conditionaliter, seu potentialiter Ignoscat tibi Deus quidquid peccasti, scilicet si quid peccasti, vel quidquid solet per visum peccari, sicuti dicitur de illo, qui semper caruit aliquo sensu, per quem peccare non potuit *verum de hoc apud Suarium.* Nu. 12

Et licet *Sancius in selectis disp. 27. nu. 18. §. Sed huiusmodi,* habeat Parochum, & si cognoscat per confessionem, puerũ nunquam actualiter peccasse, non teneri ei extremam vnctionem ministrare, asserit enim qua ratione dici posse Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, &c. respectu illius, qui nec peccatum, nec peccati reliquias habet, cum nulla vnquam labe fuerit infectus. Nu. 13

Sed nihilhominus ex doctrina *Suarij superius allata, & ex dictis eiusdem Suarij num. 10.* dicimus teneri Parochum huic puero sacramentum vnctionis ministrare, quia tunc indigebit illo, puer infirmus, ad robur acquirendum contra tentationes demonum, & vincendã tristitiam ex infirmitate ortam, & recipiet gratiam, qua perfectius ad ingressum gloriæ præparetur, nec forma falsificatur, dicendo indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti, &c. vti asserit *Sancius* nam facit hunc sensum vt optime habet *Suar. num. 19. fine* id est conferat tibi gratiam ex se remittentem omnẽ culpam, si adsit, & confortantem contra reliquias eius, si necesse sit *ita etiam Reg. tom 2. lib. 28. num. 69. Diana tract. 4.* Nu. 14

de

de sacr. resol. 181. §. *Sed mihi, & alij.*

Nu. 15 Quare si quis in graui morbo, & in fine vitæ constitutus, baptizetur, & viaticum suscipiat potest, & debet hoc sacramentum illi ministrari, etiam si nullum peccatum, post susceptum Baptismum commiserit, quidquid dicat *Sanctus loco supra citato*, vbi habet Ego recens baptizato vnctionem ministrandam non conferrem, nisi nouum post Baptismum peccatum admisisse constaret, quare nō obstante hanc *Sancij* sententiā nostram confirmat opinionem, etiā *Diana tract. 4. de sacr. resol.* 172. §. *Sed contrariam vbi §. Vnde licet* habet valde miror, aliquos Parochos baptizare infideles, tempore mortis, & tamen illis sacramentum Extremæ vnctionis minime ministrare, cum ministratum fuisse in simili casu *anno* 1620. testatur ipsemet *Sanctus* Catecumino conuentus regalis incarnationis Matritensi, mancipio Mahumettano, periculoso morbo decumbenti, Sacramentum Baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis, successiue vnum, post aliud immediate *ita etiam Suar. tō. 4. disp. 42. sect. 2. nu. 9. Diana par. 5. tract. 3. resol.* 86.

Nu. 16 Vnde *Suar. num.* 11. concludit probabilius esse Beatam Virginem hoc sacramentum recepisse, quia nihil est, quod obstiterit, & alias decuit, tum propter fructum, tum propter exemplum, tū propter ipsum sacramentum, ne despici videretur, nec hoc est magis indicens, quam quod Beata Virgo fuerit baptizata, quandoquidem Baptismus datur etiam in remissionem peccati, tamen quia non significat remissionem, vt necessario actualiter fiendā, sed solum collationem gratiæ de se sufficientis, & ordinatæ ad peccatum expellendum, ideo in Virgine locum habere potuit, idem ergo dicendum est de forma, & effectu, sicu gratia huius sacramenti.

Nu. 17 Magis dubitari poterat, ait *Suarez* ex eo quod Beata Virgo non videtur corporaliter ægrotasse, nec ex propria infirmitate corporali, mortua fuisse: tamen dicendum est, licet nō fuerit passa infirmitatem prouenientem, ex inordinatione humorum: tamen habuisse quamdā corporis debilitatem, ab intrinseco prouenientem, quæ ad eum statum illam perduxit, in quo iam naturaliter non poterat anima naturaliter conseruari, & hæc dispositio est sufficiens infirmitas corporis, ad hoc sacramentum suscipiendum, sicuti si quis confectus senili ætate moreretur, ex ipsius naturæ defectu, absque alia ægritudine, nihilominus vngendus esset, quia illa est sufficiēs infirmitas, constituens hominem in necessitate huius sacramenti *hæc Suar.* qui concludit, ergo, & de Beata Virgine sentiendum est, *ita etiam P. Gesual. de Bononijs Capuc. de sacr. vnct. tract. vnico cap. 5. num.* 17. quamquam *Sancius loco supra citato num.* 20. contrarium sentiat.

Aduerte tamē, sicuti supra diximus, quod cōsuetudo vbique obtinet, quod sacramentum Extremæ vnctionis vltimo loco, inter sacramenta moritnro cōferatur, quia est sacramentū exeuntium; & totius vitæ Christianæ consumatiuū *vt ex Rit. Rom.* tamen propter rationabilem causam, certum est posse dari vnctionem, sine viatico, quando, vel illud haberi non potest, vel non sine vomitu, aut alia irreuerentia sumi: seclusa vero aliqua huiusmodi causa, seruandus est ille ordo, propter consuetudinem *ita Suar. tom. 4. disp. 44. sect. 1. num.* 8. vbi habet non opinor autem, hunc ordinem esse adeo rem grauem, vt si absque contemptu prætermittatur, ad peccādum mortaliter sufficiat, quia non extat adeò clarum præceptum de hac re. Nu. 18

An vero sit, mortale peccatum suscipere huiusmodi sacramentum, ante Pœnitenriæ sacramentum, quoties suscipiens habet conscientiam peccati mortalis, ad hoc Quæsitum: respondet *Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 22. nu.* 37. non esse peccatum mortale, suscipere hoc Sacramentum Extremæ vnctionis, antequam infirmus suscipiat sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia potest infirmus, per cōtritionem se disponere ad suscipiendum hoc sacramentum, nam aliquando fieri potest, vt quis recipere possit Extremam vnctionem, non vero Pœnitētiam, vel Eucharistiam, vt quando aliquis patitur vomitum, vt ita repente morbo prævenitur, vt non dederit signa Pœnitentiæ *unde Suar. tom. 4. disp. 44 sect. prima num.* 10. habet posse contingere casū, vt aliquis Nu. 19

post

post confessionem, & susceptum viaticũ peccatum aliquod mortale committat, nec possit commode, siue aliqua nota, confessionem præmittere; non peccabit suscipiendo vnctionem, cum sola contritione, cum proposito postea confitẽdi peccatum illud, regulariter vero loquendo *ait Suar.* consultius esse in tali euentu præmittere cõfessionem, quia est securius.

Nu. 20 Quare optime, *ait Diana par. 5. tract. 3. resol. 92. ex Filliucio apud ipsum* confessionem non esse necessario præmittendam, antequam Parochus inungat moribundum, quantũ est ex ordine Sacramentorum: nam ad digne Extremæ vnctionis sacramentum suscipiendum, satis est ad summum contritio, vel attritio putata contritio; aliunde tamen potest esse obligatio, vt si post viaticũ peccasset mortaliter, & post vnctionem timeretur tempus defuturum pro confessione; tunc enim hæc premittẽda esset, & absoluẽdus perfecte, etiam si tempus elaberetur pro vnctione, prius enim sumenda sunt sacramenta necessaria, & deinde vtilia *hac Diana*.

Nu. 21 An Sacerdos moribundus, possit se ipsum vngere respondet *Mercerus apud Dianam par. 5. tract. 3. resol. 94.* videri affirmatiue respondendum, quia vt supra satis probatum est, sicuti Sacerdos moribundus potest, se ipsum communicare, ita etiam & se ipsum vngere: nihilho minus respondeo negatiue quia *S. Iacobus* satis indicat diuersas esse personas infirmi, & Præsbiteri vncturi. Secundo quia forma mutaretur substantialiter, quo ad significationem verborum, non enim idem est indulgeat tibi Deus quid quid deliquisti, & indulgeat mihi quidquid deliqui, &c. sicut esset mutatio substantialis, si quis diceret baptizo me vt docet *S. Tho. quæst. 66. ar. 5. ad 4.* Tertio quia sacramenta, quæ perficiuntur ipso vsu, requirunt ministrum à suscipiente diuersum. Aliud est de Eucharistia, quæ est Sacramentum in re permanenti consistens, Ita docet *Mercerus & hac de Suscipiente.*

QVAERES VLTIMO.

Qui nam sint effectus huius Sacramenti.

De effectibus huius Sacramenti, agit *Suar. tom. 4. disput. 41.* nihilho minus effectus huius sacramenti, est remittere peccata oblita, & quæ non potuit confiteri, dat etiam sanitatem animæ, & confert robur cõtra tentationes diaboli, in articulo mortis, & ad corporis sanitatem plurimum confert *ita ex Trid sess. 14. ca. 2. Hieronymus Venero lib. 1. cap. 11. de Extrema vnctione numer. 18.* item interdum ex accidẽti confert primam gratiam, & peccata delet mortalia, cum scilicet ægrotus nequit ea confiteri, & attritus reperitur, nam ex attrito facit illum contritum *vt habet Magister meus P. Ioseph Augustino de breui notitia edictione 8. num. 10. ita etiam Suar. tõ. 4. disp. 41. sect. 1. num. 19. vbi num. 22.* obstendit quænam dispositio necessaria sit ad effectum spiritualem, huius sacramẽti consequendum, & ait per se necessarium esse, statum gratiæ, vel contritionẽ ex accidenti vero sufficere posse attritionem modo dicto. Nu. 1

Quanta vero attritio necessaria sit, ad effectum huius sacramenti, quidam putant maiorem hic requiri, quam in Pœnitentia, quia hoc sacramentum per se, non est ita efficax ad effectum hunc, sicut Pœnitentia alij è contrario minorẽ hic sufficere putant, quia attritio non est ita intrinseca sacramento huic, sicut Pœnitentiæ tandem respondet *Suar. nu. 26.* requiri eamdem per se loquendo attritionem, quæ requiritur ad *Baptismũ*, & confessionem, quare requiritur attritio supernaturalis, absoluta efficax, & vniuersalis de omnibus peccatis mortalibus commissis, & si has condictiones habeat, sufficiet, quãtumuis remissa sit, & hæc de Extrema vnctione vt autem matrimonij sacramentum explicemus sit; Nu. 2

DISPVTATIO SEPTIMA

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

De matrimonio, multa multi, & præcipue inter alios Doctissimus Thomas Sanchez diligentissime tomos tres satis magnos Regin. tom. 2. lib. 31. Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. & in Trid. sess. 24. & de off. & potest. Episc. in diuersis allegationibus Basilius Pontius Diana tract. 4 de Sacr. & alijs tum veteres, tum recentiores doctores verum vt aliqua breuiter tangamus sit.

VNICA DIFFICVLTAS

DE SPECTANTIBVS AD MATRIMONII considerationem.

Hucusque de extremæ Vnctionis Sacramento egimus, iam matrimonij tractatum aggredientes, prius de sponsalibus, cum matrimonio priora sint quare.

QVAERES PRIMO.

Quid dicendum de sponsalibus.

Nu. 1 De sponsalibus acturus, ab ipso nomine sumens principium. Dicendum puto sponsalia, a spondendo dici, cuius duplex est ratio, prima quia spondere est sponte promittere, at in hoc contractu, maxime requiritur spontanea promissio, secunda quia mos erat antiquis, vt puella nuptura, promitteretur viro à patre, vel tutore, vel amicis, inde est quod, qui promittebantur dicti sunt sponsus, & sponsa, quasi alteri promissi, qui promittebat vero, dictus est spōsor, ipse autem contractus sponsalia, quia sponsa non à se, sed ab alio promittebatur *ita Sanch. de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 1. num. 1. & alij vt videre est apud Sanch.* sumuntur vero sponsalia ab his Doctoribus, tripliciter primo pro muneribus, quæ a sponso dabantur sponsæ, & ita vsurpatur 1. Reg. cap. 18. non habet rex sponsalia necesse, scilicet non eget muneribus, quæ filiæ à genero suo dantur. Secundo pro matrimonio rato, non consumato, & dicuntur sponsalia de præsenti. Tertio pro futuri matrimonij promissione, in qua acceptione, quæ cum communior sit hic agimus de sponsalibus.

Verum vt ad sponsalium deffinitionem descendamus: sic deffiniuntur *à Nicolao Pontifice cap. nostrates 30. quæst. 5.* sunt futurarum nuptiarū promissio, vnde triplex desideratur conditio, vt valida sint, prima vt sit promissio futuri matrimonij, secunda vt sit inter personas iure habiles ad contrahendum, tertia vt verbis, aut signis manifestetur *ita Sanch. num. 7. vbi num. 8.* habet sponsalia dici sacramentalia quædam matrimonij, sicuti Exorcismum Baptismi, non tamen habere sanctitatem aliquam præuiam ipsi sacramento matrimonij, sicuti Exorcismus habet sanctitatē aliquā, qua ratione dicuntur sacramentalia, sed dicuntur sponsalia sacramentalia matrimonij, scilicet præuia ad ipsum matrimonij sacramentum. Nu. 2

Verum aduertas, quod habet *Sanch. loco supra citato disp. 3. num. 1.* nullam internam promissionem, soli homini factam, sufficere ad sponsalia, neque in ratio- Nu. 3

tione promissionis, stante iure positiuo obligare *vt num.2. probat* neque attento solo iure naturæ, huiusmodi internam promissionem homini factam obligare *vti num.5. probat* quia vnus non obligatur alteri, nisi per modum sibi connaturalem, & humanum, qui est verbis, vel signis externis, ergo homini, qui sola exteriora intuetur obligari, non potest nisi per modum sibi connaturalem, & humanum, qui est verbis, & signis externis an promissio interna facta Deo, quæ voti rationem habet, ducendi aliquam in vxorem obliget, respondet *Sanch disp.4.* & primo certum est promissionem Deo factam, matrimonij contrahendi, ex se, nisi alijs vestiatur circumstantijs inualidam esse, cum non sit promissio melioris boni, & impediat statum cælibatum, similiter huiusmodi votum obligare, casu, quo matrimonium esset in præcepto, vt esset si vouens deflorasset Virginē fide data de matrimonio, verum de his *apud Sanch.*

Animaduerte autem, huiusmodi spō-
Nu. 4 salia non esse necessarium celebrari coram Parocho, & testibus, sed clam contracta esse valida *ita Sanch. de matr. tom. 1. disp. 12. num 2.* quare clandestina contrahere sponsalia nullam culpam esse docet *Sanch. loco citato disput. 13. num. 2.* quia nullo iure prohibentur, vnde illæ personæ solæ, habiles sunt ad sponsalia contrahenda, inter quas consistere potest matrimonium, ratio manifesta est, quia sponsalia sunt promissio futuri matrimonij, ergo inhabiles ad matrimonium, sunt inhabiles ad sponsalia *ita Sāch. disp. 15. concl. prima.*

Nu. 5 Ad contrahenda sponsalia, septenniū completum desideratur, vt fatētur omnes, quia ad contrahenda sponsalia requiritur vsus rationis, qui in septennio aduenire solet, sufficit autem si vltima septennij dies, non sit completa, sed incepta *ita Sanch. loco supra citato disp. 16. num. 2. ubi num 3.* habet quod si vterque vel alter illum vsum rationis in septennio adeptus non sit, sponsalia irrita esse, *& nu. 9.* ait, quod si malitia supplet ætatem valide contrahi sponsalia, ante septennium.

Nu. 6 Et licet *Sil. Tab. & alij quamplures citati apud Sanch. de matr. tom. 1. disp. 16. nu. 4. Guttierrez de matr. cap. 22. num 6. citatos apud Dianā tract. 4. de sacr resol. 274. §. Sed ego* censeant si duo, vel tres dies dessicerent, sufficere huiusmodi septennium ad sponsalia contrahenda *imo Rebellius apud eundem Dianam citatus* addit valida esse sponsalia, etiam si octo, vel decem dies ad complendum septenniū desint.

Et hæc omnia intelliguntur in foro externo, & quando non constat malitiā Nu. 7
supplere ætatem, nam in foro conscientiæ valida erunt sponsalia, etiam multo ante septennium contracta, si malitia supplet ætatem, cum eā sufficiens vsus rationis peruenerit *ita Rebell. Pontius citati apud Dianam loco supra citato §. & hac.*

His tamen non obstantibus probabilius putat *Sanch. tom. 1. de matr. lib. 1. di-* Nu. 8
sput. 16. §. Verum exēgi septennium metaphisice completum, vbi de malitia ætatem supplente non constaret, patet quia, vel vna die deficiente, vere non diceretur septennium completum, sed inceptum.

Quare *Sanch lib. 1. de matr. tom. 1. di-* Nu. 9
sput. 16. num. 13. § Probabilius ait sponsalia valida esse, in quacunque ætate contracta, si via ordinaria, vel miraculose vsus rationis acceleretur, quia septennium non præscribitur, quasi id necessarium sit, sed quia ætate præsumit ius vsum rationis aduenire, ergo si quacumque ætate septenniū vsus rationis adueniat, erunt vera sponsalia *obi num. 16.* ait eum vsum rationis ante septennium ad sponsalia contrahenda sufficere, qui ad culpam lethalem satis est.

An vero, sit peccatum mortale, con- Nu. 10
trahere sponsalia ante septennium completum, ad hoc Quæsitum quidqu id dicant alij, negatiuam sententiam tenendam esse puto, & quo ad pueros, patet nullum esse peccatum, nam vt asserit *Pontius de matr. lib. 12. cap. 5. num. 4.* si malitia supplet ætatem illa sponsalia esse valida modo supradicto, si non supplet nihil agere, neque iniuriam inferre alicui sacramento, ergo nullo modo peccant, & ex hoc vltimo probatur, neque parentes peccare, quia cum sponsalia non sint sacramentum, neque sacramēto, neque alicui alteri parentes iniuriam

afficiunt *ita Diana tract. 4. de sacr. resol.* 275. §. *Sed quare Sanch. tom.* 1. *de matrim. lib* 1. *disp.* 17. *num.* 4. ait non solum, nullo modo, esse culpam lethalem, contrahere sponsalia ante septennium, cum nulla iniuria irrogetur tertiæ personæ, nec sacramentum, cum sponsalia sacramentum minime sint: imo nec culpam venialem in hoc contractu inueniri, quia nullo iure prohibetur, nam si pueri ante septennium rationis vsu destituti sunt, expertes sunt culpæ, & nihil prorsus agunt, si autem vsus rationis septenniū præueniat, ea esset ætas canonibus præscripta ad sponsalia, vnde concludit *Sanch.* quare non video quo pacto ius prohibere potuerit sponsalia, ante rationis vsum contrahi, & hæc de prima, & secunda conditione ad sponsalia requisitis, vt autem de tertia, nempe de verbis ad ea contrahēda requisitis, aliquid breuiter dicamus.

Nu. 11 Animaduertendum est, id quod supponit *Sanch. tom.* 1. *de matr. disp.* 18. *nu.* 9. nempe verba, quibus possunt matrimonium, vel sponsalia contrahi, esse quintuplicia, quædam sunt de præsenti, vel de futuro, quo ad sonum, & significationem, vt accipio, vel accipiam te in meam. Alia quo ad sonum, & significationem de præsenti, sed propter aliquid adiunctum sunt de futuro, vt accipio te in crastinum. Alia de futuro quo ad sonū, sed de præsenti propter aliquid adiunctum, vt ex nunc te habebo in meam. Tandem alia sunt dubia quem sensum efficiant, vt volo te habere in vxorem, vel esse meam. Insuper omnibus verbis dictis, potest bifariam contrahi, affirmatiue scilicet, vt in exemplis positis, vel negatiue, vt nullam ducam, nisi Te.

Nu. 12 Verum circa verba primi generis, quæ quo ad sensum, & significationem sunt de præsenti, vt accipio te in meam manifestum est, constituere matrimonium, similiter est matrimoniū habeo, teneo Te in vxorem, ex nunc prouidebo tibi, sicuti vxori, ex nunc reputo Te in vxorem, quia hæc omnia importaut sensum de præsenti *ita Sanch. num.* 10.

Nu. 13 Circa vero verba, quæ quo ad sonū, & significationem sunt de præsenti, sed de futuro propter adiūctum, vt accipio te in crastinum, & deinceps, respondet *Sanch nu.* 11. constituere sponsalia, quia consensus est de futuro, nec statim accipitur in vxorem femina.

Circa verba quo ad sonum, & significationem de futuro, dicendum est constituere sponsalia, siue addatur verbum promitto, vt promitto me ducturum Mariam, siue simpliciter proferantur, vt ducam, vel accipiam Mariam, quia in matrimonio huiusmodi verba, ex cōmuni Ecclesiæ consensu accipiuntur, vt promissoria *ita Sanch. num.* 12. Nu. 14

Circa verba, quæ sonant de futuro, at significant de præsenti ratione adiūcti, quando iunguntur particulæ illæ adiunctæ verbis importantibus executionē, sufficientem est constituere matrimonium, vt ex nunc, vel semper, vel omnibus diebus vitæ meæ, vel deinceps, vel post hæc, vel ab hoc tempore habebo Te, vel tenebo Te in vxorem, vel prouidebo tibi sicuti vxori, vel tractabo Te sicuti vxorē, vel eris mea vxor *ita Sāch. nu.* 14. vbi concludit Dixi quādo verba exequutionem significant, quia si ea nō importent, erunt sponsalia: verum de his, & alijs verbis negatiue appositis *apud Sanch. disp.* 18. *loco supra citato, & disput.* 19. Nu. 15

An sponsalia impuberum, ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pubertatem adepto resilere respondet *Sanch. li.* 1. *de matr. disp.* 51. *num.* 22. multo probabilius esse firmari iuramento, nec licitū esse resilere, *vbi num.* 23. habet hoc iuramentum, vt firmet sponsalia præstandū esse ab impuberib⁹ doli capacibus, quādo nam dicatur puer doli capax, ad hūc effectum, varij varie dicunt Sunt enim, qui affirmant, post septennium. Alij quando decimum, & dimidium annū masculus excedit, femina vero nonum, & dimidium. At vero *Sanch. numer.* 24. credit hoc potius arbitrio iudicis relinquendum esse. Nu. 16

At vero *Basilius Pontius citatus apud Dianam tract.* 4. *de sacr. resol.* 246. asserit etiam si iuramentum interponatur, adhuc remanere sponsalia impuberum eiusdem rationis, quia iuramentum sequitur naturam obligationis, cui adiungitur, sed sponsalia impuberum iure cōmuni dissoluūtur, alio eorum reclamāte, Nu. 17

te,cum ad pubertatem peruenerit: ergo idem etiam est, quamuis iuramentū accedat, quam opinionem tanquam satis probabilem sequitur etiam *Diana loco supra citato*, & concludit vnde impuberes possunt à sponsalibus resilere post annos pubertatis, licet sponsalia iuramento firmauerint.

Nu. 18 Illud tamen fatetur *Diana opinionem Sanch.* esse etiam probabilem: vnde impuberes contrahentes sponsalia, si ea iuramento confirment, nō possunt postea parte inuita ijs renunciare, qui iuxta suam sententiam *disp.* 27 *tom.* 1. *de matr. lib.* 1. tamquam certum tenet obligare sub culpa lethali sponsalia, quæ opinio probabilis est, quia omnis contractus obligat ex iustitia; sed hic est contractus, facio vt facias, est enim mutua, & reciproca obligatio, ergo obligat ex iustitia, & sub mortali *hæc Sanch.*

Nu. 19 Quando nam teneatur implere, qui contraxit sponsalia nullo præfixo termino, respondet *Sanch. tom.* 1. *de matr. lib.* 1. *disp.* 28. *num.* 2. si dies apposita minime sit obligationi, nec alia conditio, non teneri promissorem statim implere, sed tantum requirente eo, cui promissio facta est, tunc vero cum alter petit, teneri contrahere, & reddit rationem quia, id generale est omni debito, absque diei præfixione, solum enim tenetur debitor à creditore requisitus, soluere, *hæc Sāch. quamquam Basilius Pontius citatus apud Dianam tract.* 4. *de sacr. resol.* 145. asserat incipere obligationem adimplendi spōsalia à momento contractus, hoc tamen non obstante, probabilem esse putat Diana S. *Sed his opinionem Sanch.*

QVAERES SECVNDO.

Quibus nam modis sponsalia dissolui Possint.

Nu. 1 PRimo dissolui possunt puberum spōsalia, mutuo ipsorum consensu, patet quia omnis res per quascunque causas nascitur per easdem dissoluitur *cap.* 1. *de regul. iur.* ergo cū sponsalia ex mutuo consensu consurgant, eodem dissoluuntur *ita Sanch. tom.* 1. *de matr. lib.* 1. *disput.* 52. *num.* 2. *vbi num.* 6. ait & si huiusmodi sponsalia iuramento firmata sint, & illud iuramentum in partis fauorem præstitum sit, posse mutuo consensu dissolui. At vero si iuramentum principaliter in honorem Dei præstitum sit, vt si intuitu pietatis, quis iuret feminæ pauperi, se eam ducturum, at tota res promissa cedit in fauorē partis, doctores licet non conueniant, *tamen Sanch. loco supra citato num.* 8. habet multo probabilius esse, etiam mutuo consensu dissolui posse, quia quamuis iuramentum Deo præstitum sit, ipse Deus recipit illud, in partis vtilitatem, ergo pars cui debetur remittere potest.

Aduerte adnotanter dixisse (Puberū sponsalia) nam si vterque, vel alter impubes sit, non sufficit dissensus, donec ad pubertatem accedat, quia ne ob debile iudicium passim contrahant, & resiliant *ita Sāch. loco supra citato disp.* 51. *n.* 7. Nu. 2

Secundo, quidquid dicant aliqui citati *apud Dianam tract.* 4. *de sacr. resolut.* 207. in prima, & secunda opinione, multo probabilius est, dirimi sponsalia per solum religionis ingressum, professione non sequuta, & proinde statim potest manens in seculo aliud matrimonium contrahere, patet quia eo ipso quo, quis religionem ingreditur, satis declarat se sponsalibus renunciare: ergo manens in seculo ab obligatione exemptus est *ita Sanch lib.* 1 *de matr. tom.* 1. *disp.* 41. *n.* 2. *vbi num.* 3. habet, & si ingrediatur fraudulenter animo egrediendi ad defraudandum alterum sponsum, ad huc manentem in seculo, liberum esse, *& nu.* 5. verius reputat omnino ex parte vtriusque dissolui, quando sponsus bona fide ingreditur religionem, secus si dolo, & animo statim exeundi; fraus enim nemini patrocinari debet. Nu. 3

Quare *Sanch. loco supra citato disp.* 43. *num.* 3. respondens ad illud dubium. An qui sponsalia iurauit, possit ingredi religionem matrimonio minime contracto, vel teneatur prius contraherr, vt iuramentum seruet, air verissimam, & tenendam esse eam sententiam, quæ docet posse religionem ingredi, non contracto matrimonio: Tamen hanc sententiam *nu.* 4 limitat nisi necessitas vrgeret ad prius contrahendum, tunc enim teneretur, & ante consumationem posset ingredi religionem, ut si ita dedecori feminæ Nu. 4

minæ satis cõsuleretur, vel proles ex ea nata legitima efficeretur, hæc autem obligatio non consurgit ex iuramenti viribus, sed ad reparandum damnum.

Nu. 5 Tertio sponsalia dissoluuntur, voto simplici castitatis præcedenti, quia continent rei illicitæ promissionẽ *ita Sãch. tom. 1. de matr. lib. 1. disp. 46. num. 3. Reg. tom. 2. lib. 31. num. 259.* An vero sponsalia dissoluantur, voto simplici castitatis superueniente: varij varia dicunt. Sunt enim qui affirmant post sponsalia licite emitti posse votum simplex castitatis, & illa dirimi, nec vouentem posse matrimoniũ antea promissum inire ex hac sẽtentia infert *Sanch. loco supra citato nu. 8.* si hic post votum castitatis contrahat matrimonium, cum alia, tenui esse voti, non tamen sponsalium priorum, quia iã omnino dissoluta erant, & licet pro hac sententia *Sanch.* auctores, & rationes afferat, tamen negantem, probabiliorem iudicat, asserit enim *nu 9.* votum simplicis castitatis, sponsalia subsequens, non dirimi sponsalia, quia Deus non acceptat promissionẽ rei, prius alteri promissæ, & in eius præiudicium, vt si promisi equum Petro, & postea repromitto Ecclesiæ, præualet prior promissio, sed sponsus per sponsalia promisit suum corpus alteri, ergo repromissio eiusdem corporis facta Deo per votum, non est illi accepta *hac Sanch qui nu. 10.* affert aliquos asserentes vouẽtem castitatem post sponsalia, lethaliter peccare, tamen habet hoc intellige, dum voueret animo manendi in seculo, & a sponsalibus resilendi, si enim aut animo ingrediendi religionem, aut perficiendi sponsalia matrimonio inito, & obligandi se ad castitatẽ ex parte sua, in quantum potest, nullius culpæ reus esset.

Nu. 6 Quarto sponsalia, non dirimi voto ordinis sacri suscipiendi, superuenientĩ post sponsalia, nec his astrictum, posse sacros ordines sumere *tenet Sanch loco supra citato disp. 47. num. 3. vbi num. 4.* habet cũ sponsus se astringens suscipiendi ordinis sacri, censeatur renunciare sponsalibus, posse alterum liberum esse à sponsalium fide, aduertenter dixi (ordinis sacri) nã ordines minores, post sponsalia assumptos minime ea dirimunt, quo ad neutrũ coniugem.

Quinto sponsalia dirimuntur, per matrimonium cum alia valide contractum *ita Reg tom. 2 lib. 21. num. 260. §. Quinta causa Sanch. tom. 1. de matr. lib. 1. disp. 48. num. 1. & 3. vbi num. 4.* habet hanc sentẽtiam adhuc veram esse, licet priora sponsalia iuramento firmata sint, at vero nulli dubium est, priora sponsalia dissolui per posteriora, copula, subsequuta, cum posteriori *ita Sanch. loco supra citato disp. 49. num 1. Reg loco supra citato §. Aduerte tamen.* Nu. 7

Sexto priora sponsalia non dissoluuntur, per posteriora, etiam iuramento firmata, quia iuramentum illud fuit de re iniqua, & in præiudicium tertij, quo casu nullo modo obligat *ita Sanch. disput. 50. num. 2.* Nu. 8

Septimo dissoluuntur sponsalia, ob alterius sequentem fornicationem, & si iuramento firmata sint *ita Sanch. disp. 55. num. 1.* idem dicendum est de spirituali fornicatione: vt si alter sponsus in hæresim labatur, est enim notabilissima mutatio *ita Sanch. num. 3.* idem dicendum est, siue vir, siue femina fornicetur *ita n. 4. vbi nu. 5.* ait posse virum à sponsalibus recedere, si post femina tactus impudicos alterius, aut amplexus, & oscula patiatur, quia est notabilis mutatio, & id in magnum viri dedecus cedit, quare hæc sponsalium dissolutio, est in solius innocentis fauorem, vnde fornicans astrictus manet, innocens autem liber *ita num. 6.* alias causas, ob quas dissolui possunt sponsalia legite *apud Sanch. disp. 56. per sequentes* atque hæc de sponsalibus, vt autem ad matrimonij explicationem deueniamus. Nu. 9

QVAERES TERTIO.

Quid sit matrimonium, in quo eius essentia consistat, & quotuplex sit.

VT autem ad primam huius Quæsiti partem respondeamus matrimonium sic definiri solet. Est cõiunctio maritalis viri, & fœminæ inter legitimas personas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens *sic apud Sanch. tom. 1. de matrim. lib 2 cap. 1. num. 1.* Nu. 1

Vbi *n. 2.* supponit in matrimonio septem inueniri, primo inuenitur mutuus con- Nu. 2

consensus: secundo externus contractus, tertio mutua corporum traditio, quæ est immediatus illius contractus effectus, quarto quoddam vinculum ortum ex illo contractu, quinto, quod immediate sequitur ex his scilicet mutua obligatio, ad reddendum debitum, sexto ius, quod est in vno quoque ad alterum, septimo vsus, & consumatio matrimonij, ex quibus videndum est in quo consistat matrimonij essentia, quod est secunda nostri Quæsiti pars.

Nu. 3 Consistit autem essentia matrimonij, seu matrimonium ipsum in vinculo illo, quo formaliter sunt cōiuges vniti, quod oritur ex mutua traditione *ita D. Tho. & alij citati apud Sanch. tom. 1. de matr. lib. 2. disp. prima num 6.*

Nu. 4 Ex quo sequitur primo matrimonij consumationem, non esse de eius essentia, patet quia Beata Virgo verum contraxit matrimonium *Matth. 1.* nec tamen cognita est *ita Sanch. num. 3.* Item nec consensus internus, nec externus contractus, quia sunt causa efficiens matrimonij. Item hi transeunt, matrimonium autem vsque ad mortem durat, ergo non possunt esse de eius essentia *ita nu. 4.* Tandem neque mutua corporum traditio, quia illa transit, matrimonio permanente, nec mutua obligatio ad reddendum debitum; hæc enim alterius adulterio, vel ingressu religionis, & communi consensu, cessat, manente matrimonij consumati vinculo *ita nu. 5* maneat igitur essentia matrimonij manere, & cōsistere in vinculo illo à nobis supradicto.

Nu. 5 Ex dictis igitur, explicanda venit matrimonij definitio. Dicitur, coniunctio, quia in hac consistit matrimonij essentia. Dicitur, maritalis, scilicet orta ex mutua traditione vt explicatur fundamentum, nam in sponsalibus, est vinculum ortum ex promissione, & ad differētiā coniunctionis militum sub vno duce. Dicitur, viri, & feminæ, vt explicetur subiectum, inter legitimas personas, scilicet non habentes impedimentum dirimens, Dicitur, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, scilicet perseuerantem, vt explicetur finis matrimonij, qui est mutua habitatio, & non esse solubile, sicuti alia vincula contractuum, quæ mutuo consensu tolluntur *hac Sanch. num 8.*

Vt autem tertiam Quæsiti partem explicemus, matrimonium diuidi solet in legitimum, ratum, & consumatum, legitimum dicitur, quod legitimo consensu contrahitur, quale est apud infideles, ratum dicitur quando est sacramentum, non dum tamen copula carnali consumatum, & sic infidelium dicitur legitimum, non tamen ratum, quia nō est sacramentum; matrimonium vero consumatum est, quando iam est copula carnali perfectum *ita Sanch. loco supra citato num. 9. qui disp 2. num. 2.* habet matrimonium non esse naturale, quasi ex principijs naturę prouenieus vt moueri sursum, est naturale igni; esse tamen naturale, scilicet ex inclinatione naturali prouenieus. Nu. 6

Verum aduerte matrimonium dum genus hominum paucis continebatur, obligare singulos, nūc autem minime, vt asserit *Sanch de matr. tom. 1. lib 2. disp. 3. num. 1.* illud negandum non est, etiam multiplicatis iam hominibus, matrimonij præceptum extare, & extiturum, vsque ad mundi finē, cuius ratio est quia, Christus nulla præcepta naturalia abrogauit, sed tantum ceremonialia per legem nouam, præceptum autem matrimonij est naturale, maneat igitur dicendum, quod licet olim cum pauci homines erāt, obligabat singulos, nunc tamē illis multiplicatis tantum obligat Rempublicam in cōmuni, vt optime asserit *Sanch. loco supra citato num. 13. vbi num. 14 S. Melius* habet deficientibus hominibus secularibus, teneri Monachos propter hanc vrgentem necessitatem contrahere matrimonium, nisi Deus reuelasset finem mundi adesse *quamquam Pontius apud Dianam tract. 4. de sacram. resol. 289* contrarium teneat. Nu. 7

Aduerte tamen, matrimonium ante Adami lapsum institutum fuisse, in officium naturę, eo autem sequuto, in remedium concupiscentiæ, & tandem in noua lege institutum fuisse, & eleuatū à Christo, vt esset sacramētum *ita Sāch. disp. 4. num. 1. vbi num. 3.* habet probabilius esse matrimonium in lege naturæ, esse institutum, simul ac præceptū à Deo illis verbis, quæ dixit *crescite, & multiplicamini,* Nu. 8

camini, in lege etiam Euangelica constat de fide matrimonium eleuatum esse à Christo, vt sit Sacramentum, circa quod quidem institutionis tempus, varij varia dixerunt. Alij enim sunt, qui asseruntinstitutum esse *Ioan.* 2. dum Christus interfuit nuptijs. Alij, & verius tenent *Ioa.* 2. approbatum esse, institutũ autem *Matth.* 19. dum Christus illud commendauit, & eius inseparabilitatẽ præcepit, dicens *Quos Deus coniunxit homo non separet.*

QVAERES QVARTO.

Quænam sit Materia, & Forma Sacramenti Matrimonij.

Nu. 1 HVius sacramenti materia duplex est, Remota vna, Propinqua altera, circa quam variæ sunt opiniones. Aiunt enim aliqui loquentes de Proxima materia, vt videre est *Sanch. tom.* 1. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 5. *n.* 1. *& sequentes, Diana tract.* 4 *de sacr. resol.* 251. verba contrahentium esse materiã. Formam autem, Verba sacerdotis, si matrimonium consideretur quatenus est sacramentũ, licet in quantum contractus, non exigat sacerdotis verba, credunt enim matrimonium absque sacerdotis præsentia contractum, esse validum.

Nu. 2 Alij dicunt, contrahentium consensum, esse materiam, verba autẽ quibus ille exprimitur, esse formam, quia consensus informatur per formam.

Nu. 3 Alij tertio tenent consensum esse formam, verba autem exprimentia, esse materiam.

Nu. 4 Alij docent, verba, quæ à priori contrahente proferuntur, esse materiam, quæ vero à posteriori esse formam.

Nu. 5 Item quinto alij affirmant, contrahẽtes esse materiam, verba autem Formã, his igitur assignatis.

Dicendum puto, & melius, Materiã remotam sacramenti matrimonij, esse personas habiles ad contrahendum, & dicitur etiam materia circa quam, vnde *Sanch. loco supra citato nu.* 7. habet, quod sicut sacramentum Eucharistiæ, est Sacramentum, non tantum dum est in fieri, sed etiam dum est in facto esse, nam species permanentes, sunt signum sensibile interni alimenti, per gratiam, & dum est in fieri tota essentia consistit in verbis cõsecrationis; panis autẽ, & vinũ concurrunt, vt materia circa quam: at dum postea permanet, species sunt materia, ex qua, sic sacramentum matrimonij, est sacramentum, dum est in fieri, & eius materia, & forma sunt verba modo infra explicando, & contrahentes sunt materia circa quam, intellige, Tu, materiam remotam modo supradicto, sequitur deinde *Sanch.* est etiam sacramẽtum postquam factum permanet, viuentibus etiam coniugibus, ea coniunctio est signum externũ coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, & tunc contrahentes sũt materia ex qua vide P. *Gesual. de Bononijs Capuc. de sacr. matr. cap.* 2. *num.* 14.

Materia vero proxima sunt verba, seu signa, quibus consensus exprimuntur, sub hac consideratione, quatenus exprimunt mutuam traditionem, qua quilibet tradit alteri, sui corporis potestatem, & secundum hoc dicuntur materia proxima *ita Sanch. loco supra citato num.* 6. Nu. 6

Forma autem huius sacramenti sunt eadem verba, seu signa, quibus consensus exprimuntur, sub alia consideratione, quatenus exprimũt mutuam acceptationem, qua quilibet acceptat traditionem sibi per alterum factam, & secundum hoc dicuntur forma, quare iã vides verba, seu signa esse sibi inuicem materiam, & formam, secundum diuersas, tamen rationes, qua enim matrimonij contractum inchoãt, & offerunt, materiæ rationem obtinent, qua vero eundem, acceptant, & perficiunt, & cõplẽt, formæ rationem habent *ita etiam Diana loco supra citato* patet, quia id, e censetur esse materia, quod est informe, forma vero, id per quod, species perficitur, consẽsus vero vnius, matrimonio conficiẽdo, non sufficit, sed alter alteri adiunctus illud conglutinat, vnde fit vt vnus sit materia, alter vero forma *ita Sotus in* 4. *dist.* 1. *quæst. prima artic.* 6. *S. Ad dubium ergo* vbi asserit, & quamuis posset quis fingere verba prius prolata, vt verba mulieris in solemni matrimonio esse materiã, & alia superuenientia esse forma, congruentius tamen ambo censentur, sibi mutuo esse materiam, & formam; tum Nu. 7

quod

quod nihil refert vter coniugum prior consensiat, tùm maxime, quod posterior etiam consensus, per priorem informatur, & ideo æqua ratione vterque, ab altero pendet, & patet etiam quia sicuti in numeris, quãuis vltima trium numerata vnitas, compleat ternarium, tamen quia quælibet in illa specie pendet ab alia, vna quælibet potest cõsignificari, vt forma, reliquæ vt materia *hac Sotus*, & hanc sententiam etiam tenet *dist. 26. qu. 2. ar. 3. §. Quod autem*, verba ergo ipsa cõtrahentium, sunt sibi mutuo pro materia, & forma.

Nu. 9 Quare deinde §. *Respondetur ergo* demostrat matrimonium conferre gratiã, & quo tempore, dicens quod actus illi contrahentium nempe verba exprimẽtia consensum, eo quod directe faciunt nexum, qui est sacramentum matrimonij, non quidem tamquã meri actus humani, vt aiebant Pelagiani, sed ex institutione Christi conferunt gratiam, quæ ideò tunc confertur dum amborum cõsensus coeunt, nempe in illo momento, quo posterior consensus, accedit priori, neque alia expectatur forma modo supradicto.

Nu. 10 De matrimonio inter absentes, aut per epistolam, aut per internuncium maior offertur dubitandi occasio: Tamẽ breuitatis causa dicimus verba, seu signa, modo supra explicato esse sibi inuicem materiam, & formam, etiam si per litteras, aut procuratorem fiat, quare *Sanch. tom. 1. de matr. lib. 2. disp. 11. nu. 27.* probat huiusmodi matrimonium per procuratorem contractum, esse sacramentum, quia est verum matrimoniũ ratum, & indissolubile, ergo est Sacramẽtum, consequentia probatur *ex cap. quãto de diuor.* vbi habetur ideo Christianorum matrimonium esse indissolubile, quia est sacramentum, idem probat de matrimonio per epistolam contractum *disp. 12. num. 4.* posito quod sit sacramẽtum.

Nu. 11 Respondet igitur *Sanch. disp. 11. loco supra citato num. 28.* ad dubium supra positum, quando matrimonium fit per Procuratorem, nec procurator est minister, nec in ipso recipitur Sacramentũ, nec verba ipsius sunt materia, & forma sacramenti, sed ipsi principales contrahentes, sunt ministri, & recipiunt in se sacramentum, & expressiones consensuum ipsorum, quatenus innotescunt per procuratorem, sunt materia, & forma Procurator autem est conditio sine qua non, patet quia vbi sunt materia, & forma ibi recipitur sacramentũ, cum ergo matrimonium recipiatur in principalibus contrahentibus, in ipsis erũt materia, & forma.

Quare ex hoc iam patet, non peccare procuratorem, si dum contrahit peccato lethali sit affectus, quia non recipit in se sacramentũ, nec est minister *ita Sãch. num. 39. vbi num. 30.* habet mittentem procuratorem, teneri sub culpa lethali esse in gratia, eo tempore, quo verisimile est fore vt procurator, nomine ipsius contrahat, quia tunc recipit sacramentum, licet aliqui excusent ab hac culpa mittentem, quãdo prorsus ignorat, quo tempore matrimonium, celebrandum sit, tamen *Sanch.* contrarium tenet quia sacramenti susceptio obligat ad debitã dispositionem sub lethali culpa, & ita, vel tenetur non mittere procuratorem, vel toto eo tempore dispositos esse, quo probabiliter is contracturus est. Nu. 12

Tamen *Sotus in 4 dist. 27. quest. 1 art. 3. §. Non prorsus sine* ait contrahẽtes per procuratorem ad tollendos scrupulos, ne forte fuerint consensus interrupti, laudabile esse, vt in præsentia postea eosdem ratificent *ita etiam Sanch. loco supra citato disp. 11. num. 31.* quamquam ad tollendos scrupulos, & omnem difficultatem vitandam ait P. *Gesualdus de Bononijs Capuc. de sacramento matrimonij cap. 2. num. 14.* optime facere contrahẽtes si post modum ipsi met iterum corã Parocho faciant mutuum consensum. Nu. 13

Ex hoc inferas, idem dicendum esse de matrimonio contracto per Epistolã lectam coram Parocho, & testibus, & alter consenseat, tunc cum vtriusque traditio, & acceptatio fiat corã Parocho, & testibus est verum matrimonium *ita Sanch. disp. 12. num. 3. vbi num. 4.* probat esse sacramentum, quonam tempore conferat gratiam, iam diximus: de Procuratore vero, qui potest esse etiam fœmina pro viro *vide Dianam tract. 4. de Sacram. resol. 250 §. Notandum est tamẽ.* Nu. 14

QVAERES QVINTO.

Quis sit minister huius Sacramenti, Matrimonij.

Nu. 1 ET licet circa ministrũ huius sacramenti, nouissime non solum nostris temporibus, insurrexerint duo viri doctissimi *apud Dianam tract. 4. de sacr. resol 254. § His tamen, sed etiam ex vete ribus apud Sanch. tom. 1. de matr. disput. 6. lib. 2. num. 1.* asserentes sacramenti matrimonij ministrum esse solum sacerdotem, quod probabile iudicatur *à Didaco Nugno in 3 par. tom. 1. quæst. 64 art. 6. diff. 1. concl. 2.* sed an ita reuera sit alijs indicandum reliquit Diana, sicut & ego, qui communiorem sentẽtiam assequor, ac proinde.

Nu. 2 Respondeo dicendum omnino tenẽdum esse, nunquam Parochum fuisse, nec post Tridentinum esse, ministrum sacramenti matrimonij ita cõmuniter omnes, *& præcipue Sanch. tom. 1. de matr. lib. 2 disp 6. num. 2.* sed ministros essentiales huius sacramenti esse ipsosmet cõtrahentes *ita etiam Diana loco supra citato § His tamen fine*, & patet quia is est sacramẽti minister, qui formam applicat *vti ex Soto in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 3. §. Hanc autem*, sed formam applicans sunt ipsi contrahentes, vti supra obstensum est, ergo contrahentes sunt ministri.

Nu. 3 Ex quo multi inferunt, coniuges lethali peccato contrahentes, peccare mortaliter, non solum ea ratione, qua sacramentum suscipiunt; sed etiam quatenus ministrant, quia ministrantes in mortali sacramentum ex officio, & tãquam ministri ad id deputati peccant mortaliter, huiusmodi autem sunt coniuges *ita Pontius, & alij non solũ apud Sanch. loco suprà citato num. 3. sed etiam apud Dianam tract. 4 de sacr. resol. 199.* tamen multo verius est non peccare mortaliter *ita Sanch. loco citato num. 4. Diana, & alij* cuius ratio est quia licet contrahentes sint ministri, tamen non dicũtur proprie ministri sacramenti, cum non sint consecrati, sicuti sunt sacerdotes ministri sacramentorũ: vnde coniuges peccato lethali affecti celebrantes, & conficientes sacramentum matrimonij, licet mortaliter peccent, ea ratione, qua sacramentum suscipiunt modo supradicto, tamen vt ministri, nõ peccant, quia non sunt ministri consecrati ad id munus.

Quare in re optimo *Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 32. num. 171.* habet curare maxime debet Parochus, ne cõtrahentes in peccato mortali, ad huiusmodi sacramentum accedant, & vt triduo antequam contrahant peccata confiteantur, & communicent, cum contrahentes matrimonium cũ peccato mortali, non dum deleto per contritionem, vel per confessionem indigne recipiant Sacramentum, ac per consequens peccatũ mortale incurrant. Non committunt tamen duo peccata mortalia, vnũ quatenus recipiunt sacramentum, alterum quatenus administrant, quia solũ committunt quatenus recipiunt, nec aliud incurrunt peccatum, quatenus videntur præceptum concilij violare, confessionem præcipientis, quia consilium tantum nõ præceptum, decretum illud, quo ad hoc continet *ita etiam Fagundez præcep. 2. lib. 1. cap. 1. num 12* vbi habet de sacramento matrimonij constare *ex Concil. Trid sess. 24 cap. 1. de refor.* non obligare diuinum præceptum confessionis, ibi enim hortatur Sancta Synodus, contrahentes, vt antequam contrahant, confiteantur, & in verbo (hortor) consilium est, non præceptum, & sic contrahentes in peccato mortali, non peccare contra aliquod præceptum Ecclesiasticum, aut diuinum, directè obligans ad præmittẽdam confessionem, ante illud sacramentum, licet aliunde mortaliter peccent, sumendo sacramentum matrimonij in peccato, cum sint ipsi contrahentes ministri, huius sacramenti *tenet Fagundez ita etiam Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. num 8.* Nu. 4

Vnde ex hoc infertur, Parochum nõ esse ministrum, qui licet *ante Trid.* non fuerat necessarius ad hoc sacramẽtum, tamen *post concilium* ad tollenda matrimonia clandestrina, est necessarius, ad validitatem huius sacramenti, ad quod Parochus non concurrit, tamquam minister, sed vt testis, maxime fide dignus, & vt notarius cum duobus testibus, & cum non sit minister huius sacramenti, Nu. 5

non

non requiritur eius intentio, sed tātum eius præsentia, tamquam testis principalis, & vt notarius cum duobus testibus copulatiue, vnde non sufficeret si successiue, coram illis explicarent contrahentes consensum, vt modo coram solo Parocho, & postea coram testibus, absque Parocho *ita Sanch. lib. 3. de matr. tom. 1. disp. 41. num. 3. ita etiam Barbos. de off. & potest. Epis. par. 2. alleg. 32. nu. 137. & in Trid. sess. 24. de refor. cap. 1. nu. 120.*

Nu. 6 Hinc infertur iterum, Parochum etiā in peccato mortali assistentem, valide matrimonio assistere posse, quia Parochus, non est essentialis minister sacramenti matrimonij, nec ipse formam profert, sed tantum solemnem ad actum auctoritatem lege eius præsentiam requirente *ita Barb. de off. & potest. Epis. par. 2. alleg. 32. num. 106. & de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. numer. 57.* nec peccat mortaliter, quia non est minister conficiens sacramentum, & benedictio, quā præstat, est sacramentale quoddam *ita Sanch. tom. 1. de matr. lib. 2. disp. 6. num. 5.* vbi habet nec sacerdotem in mortali nuptiarum benedictionem celebrantē, hac ratione peccare mortaliter, quia ea benedictio, non est sacramentum, sed sacramentale.

Nu. 7 An Parochus excommunicatus existens matrimonio peccet.

Nu. 8 Et præsupponendum est, quod nos supra diximus, Parochum scilicet excommunicatum valide posse matrimonio assiste, reitem suspensum, & irregularē, etiam si sit excommunicatus non tolleratus, & denunciatus nominatim *ita Sanch. tom. 1. de matr. lib. 3. disp. 21. nu. 4. vbi §. Item* habet dummodo non sit actu aliter depositus: patet quia præsentia Parochi requiritur in matrimonio: qua si auctoritatem præstans illi, per potestatem, quam habet in subditos, sed auctoritatem præstare actu sua præsentia, non est actus iurisdictionis, ergo potest valide fieri ab excommunicato, non tollerato *ita etiam Barb. de off. & potest. Ep. par. 2. alleg. 32. num. 90. Diana tract. 4. de sacr. resol. 233.*

Nu. 9 Difficultas est, an peccet, & licet *Basilius Pontius citatus apud Dianam* asserat peccare mortaliter, cum communicet in re graui, & sacra, tamen *Sanch loco supra citato num. 8.* contrarium docet, & verius, quia cum spectet ad suum munus, cōmunicat in re necessaria, & quamquam ex alia parte, videatur peccare, quia videtur actus iurisdictionis, benedicere sponsos, illis verbis. Ego vos coniungo, &c. Non tamen excedet venialem culpam, quia in nullius est præiudicium, & res est parui momenti, nec necessaria ad sacramentum, & si omitterentur ea verba, tantum esset veniale *hæc Sanch. hic, & disp. 38. huius libri num. 7.*

Quare *Diana loco supra citato* notat ex communicatum tolleratum assistentem matrimonio, nullam culpam committere, secus autem non tolleratum, nam peccatum veniale contraheret modo dicto, & notat *cum Suar. de censuris disp. 11. sect. 1. num. 24.* certum esse nullum peccatum committere Parochum excōmunicatum, quando in articulo mortis esset necessarium matrimonio assistere, animaduertit etiam, sicuti nos supra notauimus excommunicatum etiā non tolleratum, valide posse alijs licentiam dare, vt matrimonio assistant, nec peccare alijs licentiam dantem, quia tūc nullam exercet iurisdictionem *ita etiā Sanch. tom. 1. de matr. lib. 3. disp. 21. nu. 8. §. Non peccaret.* Nu. 10

An propter magnam necessitatem, possit contrahi aliquando matrimoniū sine præsentia Parochi, & testiū, & licet *Vega, & Iacobus de Graffis citati apud Barbos. de off. & potest. Epis. par. 2. allegat. 32. num. 147. & alij apud Sanch. tom. 1. de matrim. lib. 3. disp. 17. §. Tandem,* affirmatiuā sententiam doceant asserentes, quando necessitas adeò esset vrgens, vt copia Parochi, & testium haberi non possit, vt pote, quādo quis est in articulo mortis, vel quando aliqua virgo sub tutela iniqui tutoris constituta timet, quod ipse eam viro ignobili, & indigno tradet in vxorem, vel tempore belli, aut pestis, posse quidem in his casibus per mutuū consensum cōtrahi matrimonium, sine præsentia Parochi, & testium, ita hi auctores. Nu. 11

Sed tamquam certum, tenendum est adeò strictè ad litteram seruandum esse *decretum Trid. sess. 24. de matr. cap. 1.* vt nullo modo contrahi posse matrimonium, sine Parocho, & testibus modo Nu. 12

supra dicto, vt procedat ipsius decisio, etiam vrgente maxima necessitate, vt si morte vicinus, vellet concubinam du cere, & id omnino videatur necessariũ ad legitimam prolem ex ea susceptam, & adimplendam fidem ei datam *ita Petrus Ceneda quaest. 30. num. 16. & 18. citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resolut. 234. Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 32. num. 147. Sanch. de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 17. num. 4. vbi num. 5 §. Hinc infertur* habet quod licet simplex sacerdos possit, deficiente proprio, ministrare confessionem, Eucharistiam, & Extremam vnctionem, minime tamen posse matrimonium, & reddit rationem, quia Eucharistia, & Poenitentia sunt sacramenta necessaria, matrimonium autem est voluntarium, & si vrgeas licere extremam vnctionem, simplici sacerdoti, in eo articulo conferre, vbi Parochi copia deesset, cum tamen extrema vnctio non sit in praecepto, iuxta veriorem sententiã, respondetur esse simplex praeceptum Ecclesiae iubens, vt extrema vnctio à proprio Parocho ministretur, & ideo nõ obligare in casu tantae necessitatis, matrimonium autem celebrari coram Parocho, & testibus continet formam substantialem, & est decretum irritans matrimonium, aliter contractum, vt videre est *Trid. loco supra citato* maneat igitur in nullo euentu, absque ea sollemnitate matrimonium ipitum esse validum, res enim sine sua forma, nunquam subsistere potest.

Nu. 13 Et est adeo stricte obseruandum huiusmodi decretum, vt neque ex Episcopi dispensatione, in casu magnae necessitatis, quando non potest consuli Pontifex, possit contrahi matrimonium absq; Parocho, & testibus, quamuis enim possit Episcopus semel, vel iterum dispensare in Pontificis, aut concilij lege, in casu magnae necessitatis, tamen in hoc nõ potest ita *etiam Sanch. loco supra citato num. 6.*

Nu. 14 Aduerte autem ad matrimonium cõtrahendum coram Parocho, & testibus obligari omnes, apud quos promulgatũ est Tridentinum, & receptũ, patet quia Ecclesia in hoc noluit hoc decretum obligare, nisi post promulgationem in singulis Parochijs factã, & triginta à publicatione diebus elapsis *ita Barbos. in Trid. sess. 24. de refor. cap. 1. num. 169. vbi num. 170.* infert vbi non dum huiusmodi publicatio facta est, nullam obligationem arctare habitatores, nec ignorãtes ligare, prout in quibusdam Galliae partibus, & Poloniae tradunt non nulli, & praecipue *Sanch. tom. 1. de matr. lib. 3. disp. 18. numer. 1.* vbi habet in his locis si matrimonium contrahatur, absque Parocho, & testibus, ab illorum Incolis, dum in illis habitant, certum est, esse validum.

Verum an quando incolae locorum, vbi Trid. obligat, diuertunt ad loca vbi non obligat, teneantur coram Parocho, & testibus contrahere respondet *Sanch. loco supra citato num. 28.* probabilius esse non teneri *ita etiam Barb. in Trid. sess. 24. de refor. cap. 1. nu. 171. & de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. num. 91. & de off. & potestate Episc. par. 2. alleg. 32. numer. 153.* vbi habet posse valide contrahere clandestine, seruata quo ad fieri possit antiqua lege Ecclesiastica, siue illàc transeant, siue domicilium ibidem collocauerint: limitant hanc sententiam aliqui, nisi adirent ea loca, in fraudem decreti Trid. vt ibi possent libere absque Parocho, & testibus matrimonio copulari, tunc enim aiunt, esse inualidum, quae limitatio licet displiceat *Sanch. loco supra citato §. Caeterum*, & credit licet adirent eo fine, vt possent libere, absque Parocho, & testibus contrahere, esse ratum matrimonium *tamen Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. num. 92.* contrarium affirmat quoties recessus sit factus per fraudem, quia aderat impedimentum *& Hurtado apud ipsum citatus refert sic fuisse decisum sub die 7.* Februarij 1602. *& ideo eadem sacra Congregatio cõcil. in Colonien. 5. Septembris 1626. & in Antuerpien. 16. Decembris 1628. declarauit Matrimonium non esse legitimum si cõtrahabatur inter se, transferentes ad locum, in quo concilium non est promulgatum, sub animo sine Parocho, & testibus contrahendi.* Sic e contra incola illius loci, in quo non est acceptatum Trid. tenetur contrahere matrimonium coram Parocho, & testibus si diuertat ad locum, in quo est receptum *ita etiam Sanch. tom. 1. de matr. disp. 18. num. 26. & Barb. in Trid. lo-* Nu. 15

co

ro supra citato num. 173.*& de off.& potest. Episc.par.* 2.*alleg.*32.*num.*155. quia contractus celebrari debet iuxta consuetudines præscriptas in eo loco, in quo ipse celebratur.

Nu. 16 Ex quo inferas probabilius esse eos, qui inter infideles commorantur, vel mercium congerendarum causa, vel alia ratione, aut inter turchas captiui detinentur, etiam si ex his locis sint oriundi, in quibus promulgatum, & receptū est *Trid. decretum* non teneri contrahere *iuxta formam concilij præscriptam ita Sanch.tom* 1.*de matr.lib.*3.*disp.*18.*nu.*35. *Barb.de off.& potest.Episc.par.*2.*alleg.*32. *num.*154.

Nu. 17 An validum sit matrimonium, cui proprius Parochus vnius contrahentis assistit in Parochia alterius, sibi non subditi, v.g. si Parochus Petri contrahentis, assistat in Parochia Mariæ, cuius non est Parochus, affirmatiue respōdet *Sāch. tom.*1.*de matr. lib.* 3.*disp.* 19.*numer.*11. dicensque muis Parochum ex duobus contrahētium sufficere, & ita Parochū viri, in Parochia feminæ, & e contra possè illos matrimonio iungere, quam sententiam *Layman Villa.citati apud Dianā tract.*4.*de sacr.resolut.* 232.§.*Verum* satis probabilem tenent, & nouissime sequitur *Barb.de off.& potest.Episc.par.*2.*alleg.* 32.*num.*98. vbi reddit rationem, quia *Trid.* declarauit matrimonium contrahendum esse coram Parocho, & non magis expressit Parochum viri, quam feminę *quamquam Pontius de matr.lib.*5. *cap.*16.*num.*4.*citatus apud Dianam* contrarium teneat, adducens aliquas Cardinalium decisiones, quas commode legi possunt apud Dianam.

Nu. 18 Sed an proprius Parochus assistens matrimonio, extra Parochiam, absque licentia Ordinarij, vel Parochi loci, peccet, & puniendus sit *negat Sanch. tom.* 1. *de matr.lib.*3.*disp.*19.*num.* 18. cessante scandalo quare *Barb.de off.& potest. Episcop.par.*2.*alleg.*32.*num.*95. habet posse Parochum valide assistere matrimonio suorum Parochianorum, extra suam Parochiam, sine licentia Parochi illius loci, in quo assistit, quia proprius Parochus administrare potest sacramenta suis ouibus, vbique existant, & idem dic de Sacerdote, qui de Parochi licentia matrimonio assistit, valide assistere ex tra parochiā, sicuti si Parochus ipse extra parochiam interesset, quia iurisdictio voluntaria, ad quam hæc assistentia reducitur, potest valide ab ordinario, & à delegato extra territorium exerceri *ita Sanch.tom.*1.*de matr.lib.*3.*disput.* 34. *num.*3.*Barb.loco supra citato num.* 96. *vbi num.*97. confirmat sententiam supra allatam, scilicet Parochū extra parochiā, matrimonio suorum Parochianorum assistentem, non peccare cessante scandalo, nec puniendum esse.

An peccet Parochus, intellecto consensu contrahentium, mortaliter, non dicens Ego vos in matrimonium coniungo, &c.& primo certum est, ad matrimonij validitatē, minime requiri, vt Parochus, vel alius sacerdos assistens, vtatur in eius celebratione his verbis, patet, quia Sacerdos nō est minister huius sacramenti, nec eius verba sunt materia, & forma, ergo ea verba non sunt de essentia matrimonij *ita Barb.de off.& potest.Episc.alleg.*32.*num.*169 *& in Trid. sess.*24.*de refor.cap.*1.*num* 41.*Sanch tom.* 1.*de matr.disp.*38.*num.* 4. *vbi num.* 5. infert si audito vtriusque consensu, Parochus dicat. Ego postea vos coniungam, non impediri effectū matrimonij, quia mutuo consensu coniugum, iam initū est, & cum ea verba non sint de sacramēti necessitate, parum refert, quo ad sacramenti valorem, siue de præsenti, siue de futuro exprimantur. Nu. 19

Secundo certum est, ea verba, vel alia esse de necessitate præcepti *Cōcilij Trid.* patet ex verbis *eiusdem Concilij sess* 24. *de refor.c.*1. ait enim concilium, vbi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vtriusque prouinciæ ritum *ita etiam Barb.in Tridēt.sess.loco supra citato num.*41. Nu. 20

Verum an istorum verborum omissio, sit peccatum mortale, cum violetur *Concilij* præceptum, affirmatiue respondent *Henriq.Rebellius Salzed citati apud Barb.de off.& potest.Episc par.*2 *alleg.* 32. *num.*170.*item Cenedus.& Zenardus citati apud Dianam tract* 4.*de sacr.resol.*256. *& hanc* Nu. 21

& hanc opinionem tenet etiam Barbos. At *Sanch. tom. 1. de matr. lib 3. disp. 38. nu. 7.* ait culpam esse veniale ea verba omittere, quia materia non est grauis, cum ea verba non sint forma sacramenti, & licet *Trid.* vtatur verbis praeceptiuis, tamen sub illo praecepto, non continetur tantum, vt Parochus ea verba proferat, sed alia magni momenti, nempe vt praemittantur denunciationes, & vt matrimonium celebretur coram Parocho, & testibus, & vt habeat librum, &c. cum ergo hoc solum non sit materia illius praecepti, sed contineatur inter alia grauiora, tamen hoc quid leue est, vnde eius omissio non erit mortale *hac Sanch.* & hanc sententiam sequitur *Diana loco supra citato, & alij.*

Nu. 22 Quod si quaeras, an matrimonium contractum sine praesentia Parochi, & testium, saltem transeant in sponsalia de futuro, affirmatiue respondent *Henriq. Vega, & alij citati apud* Dianam *tract. 4. de sacr. resol. 258.* tamen contraria sententia tenenda est *ita Barb. in Trid. sess. 24. de refor. cap. 1. nu. 130. & de off. & potest. Epis. par. 2. alleg. 32. num. 143.* vbi habet matrimonium contractum absque praesentia Parochi, seu alterius sacerdotis de ipsius Parochi, seu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus, in vim sponsaliorum non resolui, itaut contrahentes iudicialiter cogi possint, ad denuo contrahendum seruata forma *Concilij Tridentini*, & ita declarasse Sacrã Cardinalium cõgregationem, testatur *Petrus de Ceaedo citatus apud* Dianam *vnde Diana* habet hanc sententiam procedere, etiam si illud matrimonium fuerit iuramento confirmatum, ac proinde dicti contrahentes, possunt discedere à tali contractu matrimonij, sine vlla iudicis auctoritate, & cum alijs contrahere, nec indigent iuramenti absolutione, cuius ratio est quia *attento decreto Tridentini sess. 24. cap. 1. de refor.* tale matrimoniũ non solum non tenet tamquam de praesenti, sed neque etiam tamquam sponsalia de futuro, nam cum sic contrahentes peccent, & contraueniant dispositioni *Concilij, & precepto superioris* videntur potius facere actum illum illusoriũ, quam aliquo modo validum.

Nu. 23 Quid vero dicendum de contrahentibus matrimonium, ante legitimam aetatem, an peccent mortaliter affirmatiue respondent *Villa Coninch, Filli. Pontius, & alij citati apud* Dianam *tract. 4. de sacr. resol. 276.* quam probabiliorem, & communiorem tenet *Diana*, tamẽ *Sãch. de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 17. num. 6.* negatiuam docet sententiam.

Nu. 24 Iterum si Quęras, an sit peccatũ mortale contrahere matrimonium in vltimo die, quo completur legitima aetas, affirmatiue respondet *Pontius citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resol. 277.* cõtrariam tamen sententiam tenent *Barb. Villal. citati apud eundem Dianam* vbi notat, quod habet *Guttierrez de matr. cap. 2. num. 10.* scilicet satis enim erit si prima dies anni duodecimi in femina, & decimi quarti in viro sit incepta, quin imo, & idem erit dicendum quamuis tres dies ex ea ętate deficiãt, ex eo quod moraliter censeatur tunc completa, nõ enim metaphisice compleri requiritur, Imo *Ledesma citatus apud* Dianam vlterius dicit, satis esse, quamuis decem dies desint.

Nu. 25 Illud aduertendum est, validum esse matrimonium contractum, ante legitimam aetatem, si malitia suppleat aetatẽ *ita Barb. de off. & potest. Parochi part. 2. cap. 21. num. 5. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 104 num. 5.*

Nu. 26 Difficultas tandem esse potest, an inter fideles possit esse matrimoniũ, quod non sit sacramentum, & primo certum est matrimonium fidelium in noua lege, esse vere, & proprie sacramentum gratiam conferens modo supradicto *ita Sanch. tom. 1. de matr. lib. 1. disp. 10. nu. 2. vbi num. 3.* habet in hoc sacramento actus contrahentium, esse sacramentum tantum, effectum sacramenti esse rem tantum, vinculum vero, quo coniuges vniri perseuerant, dici rem, & sacramẽtum, *& nu. 4.* docet gratiam sacramentalem matrimonij habere duplicem effectum, alter enim est concupiscentiam reprimere, alter vero efficere, vt coniuges fideliter sibi assistant, operas suas communicent, ac prolem religiose educent, *& tandem numer. 5.* affert sententiam aliquorum asserentium, matrimonium licet sit vnus contractus, tamẽ esse duo sacramenta, quia multiplican-

tur

tur iuxta numerum suscipientium, qui sunt duo. Alij vero dicunt esse duo sacramenta partialia, & vnum totale, sicuti contingit in duplici Eucharistiæ specie, & hoc aiunt non esse improbabile. Tandem §. *Sed dicendum* affert suam veram opinionem, dicens esse vnicum sacramentum, quia licet ibi sint plura materialiter, & in genere entis, at est vnicum signum repræsentans vnicam vnionem Christi cum Ecclesia, & vnica materia, & forma, his dictis ad difficultatem respondet *Sanch. loco supra citato num.* 6. fideles contrahentes matrimonium, si ex intentione intendunt separare ratione sacramenti à contractu, & procedat ex errore, quo credant matrimonium non esse sacramentum, intendunt tamen facere quod fideles per matrimonium efficiunt, esse verum matrimonij sacramentum, quia hic error non excludit debitam intentionem, at vero si ea voluntas sit vera intentio separandi, quantum in ipsis est, rationem sacramenti à matrimonio, & celebrandi merum cōtractum naturalem, dicendum est non esse sacramentum defectu intentionis, quare habet *Sanch.* in hoc casu matrimonium non esse validum in ratione contractus, quia ex Christi institutione inseparabile est à contractu matrimonij, esse sacramenti vnde intentio non conficiendi sacramentum repugnat intentioni legitimæ, faciēdi matrimon. ū, vt est contractus, & è contra, qui intenderet facere sacramentum matrimonij, non autem contractum, nihil efficeret, quia ex Christi institutione hæc duo sūt inseparabiliter coniuncta, & ita mutuo se ponunt, ac destruunt *hac Sach. quamquam contrarium asserant Pontius, & alij citati apud Dianam tract.* 4. *de sacr. resol.* 255.

QVAERES SESTO.

Quæ sint matrimonij impedimenta.

No. 1 VErum cum matrimonium cōtrahi nequeat, cum omnibus generibus personarum, propter nonnulla impedimenta, quæ in duplici consistunt differentia, quædam enim sunt, quæ impediunt, & dirimūt matrimonium, quędam verò, quę impediunt tantum, & nō dirimunt.

Impedimenta impedientia, & dirimentia continentur in his carminibus infra ponendis, verum antequam carmina ponamus, aduerte impedimenta dirimentia attēto iure antiquo esse duo decim, quibus *Trid.* addidit alia duo, quare omnia sūt quatuordicim *ita Sāch. lib 7 de matr. d. sp.* 6. *num.* 3. quæ his versibus continentur. No. 2

Error, Conditio, Votū, Cognatio, Crimen, No. 3
Cultus, Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas
Si sit affinis, si forte coire nequibis
Si Parochi, & duplici desit præsentia testis
Raptaue sit mulier, nec parti reddita tutæ
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant

Singulorum explicationem plenam inueniens apud Doctores, & præcipue *apud Sanch. tom.* 2. *de matr. lib.* 7. *à disp.* 6. *persequentes* interim accipe breuissimā. No. 4

Error, quod est primum impedimētum, de quo agit *Sanch. loco citato disp.* 18 potest esse duplex in substantia, scilicet, & qualitate personæ *ita Reg. tom.* 2. *lib.* 31. *num* 91. error ille, qui contingit circa substantiam personæ, vt cum, Maria nubit *Petro*, existimans esse Ioannem, dirimit matrimonium, iure naturæ, cuius ratio est, quia huiusmodi error libertatem, & consensum aufert, sed matrimonium absque consensu, est iure naturæ irritum, ergo, item huiusmodi error est circa substantialia matrimonij, nempe circa corpora tradita, quod ad matrimonij essentiam pertinet, nam contrahens putat se contrahere cum Petro, & tradere suum corpus Petro, & contrahit, & tradit suum corpus Ioanni *ita inter alios Sanch loco supra citato num.* 12. *Reg. num.* 92. vbi ait huiusmodi errorem facere matrimonium iure naturæ omnino inualidum, itaut nusquam conualescat, nisi post cognitum errorē, accedat nouus in illud consensus. No. 5

Ex quo infert *Sanch. loco supra citato num.* 14. non valere inter infideles, matrimonium initum cum errore personę quia inter ipsos non valet matrimoniū ini- No. 6

irritum,cum impedimento iuris naturalis:item *num.* 15.infert non posse Ecclesiam statuere,ne error personæ dirimat matrimonium,quia nequit efficere, vt absque consensu, matrimonium consistat,quem error personæ tollit.

Nu. 7 Si vero error esset in qualitate, quia putabat esse virginem, pulchram, diuitem,nobilem, sanam, licet decipiatur; tenet matrimonium, quia huiusmodi error,seu dolus non efficit matrimoniũ inuoluntarium: item tales qualitates non attinẽt ad essentiam matrimonij, sed extra eam sunt,tanquam mortua cõtrahendi,maneat igitur cum huiusmodi error qualitatis contingat, circa accidentia matrimonij non illud vitiabit *ita Sanch.lib.7.de matr.disp.*18.*nu.*18.*Reg.tom.*2.*lib.*31.*num.*33.

Nu. 8 Conditio,quando scilicet error conditionis est deterior, & non æqualis, vt quando liber contrahit cum ancilla, vel libera cũ seruo, reddit irritum matrimonium *ita Sanch loco supra citato disput.*19 *num.*1.*Et* patet quia is error, val de bonis matrimonij aduersatur; item bono sacramenti, & indiuiduæ cohabitationis,nam seruus debet in domo domini habitare,& ab eo potest mitti in partes remotas,& ibi vendendus: item bono fidei,quia non potest ad libitum reddere debitum, sed cũ ei vacauerit,& satisfecerit obsequijs,in quibus à domino occupatur:item bono prolis, quia ne quibit eam alere, cum omnia domino acquirat,nec erit in parentis potestate vt religiose educetur.

Nu. 9 Infert autem *Sanch.loco supra citato n.* 3.quod quamuis seruitus ignorata, non sit perpetua,sed pro certo tempore,con cedatur seruo libertas, vt biennij spatio, vt eo transacto in pristinam redigatur seruitutem, dirimit matrimonium eo medio libertatis tempore contractum, quod reuera manet ille seruilis conditionis,& quidquid interim agit, agit vt seruus,atque ita non potest domicilium murare, nec potest libere tradere potestatem sui corporis, at vero si putabat esse seruam,& erat libera valet matrimonium *ita Sanch. nu.* 23 similiter valebit si seruus contrahat,cum ancilla credens eam liberam esse, quod serui conditio non efficitur deterior, sed æqualem suæ conditionem reperit, verũ legite *Sanch. qui à disp.*19 *vsque ad* 25. agit de his, & similibus conditionibus erroris.

Votum,solemne scilicet religionis,& non simplex:item votum ordinis sacri, atque etiam simplicia religiosorum Societatis Iesu,quę emittuntur ex actu biennio nouitiatus, & hoc impedimẽtum habet annexam excommunicationem *ita Emanuel Sa verb. impedimentum nu.* 3.*Ioseph Augustinus magister meus in breui notitia de sacr.matr.num.*15.de quo impedimento agit *Sanch.lib.*7.*à disp.*25.*vsque ad quinquagesimam.* Nu. 10

An vero peccet mortaliter, qui votũ religionis, seu castitatis habet, cõtrahẽdo matrimonium, animo ingrediendæ religionis, antequam consumet matrimonium,affirmatiue respondet *Sanch. tom.*1.*de matr. lib.* 1. *disp.* 43.*num.*7.vbi habet multo probabilius esse non licere absque culpa lethali: primo quia facit grauem iniuriam alteri coniugi, nam cogeretur eius expectare professionem, secundo quia eo animo contrahens, videtur illudere Sacramentum, quam opinionem probabiliorem, & sequendam esse ait *Diana tract.* 4. *de sacr. resol.* 281. quamquam contraria sententia probabilis sit,& talem vocat *Sanch.numer.*6.*S. Et confirmatur fine.* Nu. 11

Cognatio: triplex Spiritualis, Legalis,& Naturalis.Spiritualis de qua *Sãch. lib.*7.*disp* 54. est propinquitas quædam personarum, ex statu Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, & confirmationis,vel susceptionem recipientis hæc sacramenta, quare iam vides, hanc cognationem ex Baptismo,& confirmatione ortam,non esse ex iure diuino naturali,aut ex diuino positiuo, sed ex solo Ecclesiastico *ita Sanch.loco citato num.* 2. Nu. 12

Verum Cognatio hæc spiritualis, nullo habito ordine ad ius antiquum, sed solum attento iure nouo *Tridẽt.sess.* 24. *de matr.cap.*2. partim ablata est, partim restricta:ablata enim omnino est fraternitas *per Tridentinum*,& sic baptizatus, vel confirmatus,nullam spiritualem cognationem contrahit, cum filijs baptizantis,vel confirmantis, vel patrinorũ: restricta autem est paternitas, ne transfundatur ad vxorem,nec similiter com- Nu. 13

pater-

paternitas,ac proinde cognatio spiritualis à viro contracta, eo quod aliquem baptizarit, aut tenuerit in Baptismo, vel confirmatione non transfunditur, ad vxorem,& è contra,eo quod sint vna caro *ita Sanch. num.* 10. *&* 11. *vbi nu.* 12. habet nec cognationem hanc contrahi inter ipsosmet patrinos,quare si vir, & femina sint simul patrini, possunt inter se matrimonio iungi.

Nu. 14 Restricta similiter est compaternitas, vt non contrahatur inter baptizantem, vel confirmantem, & patrinos *ita Sãch. num.* 10.

Nu. 15 Quare hodie, duplex dumtaxat est huius cognationis spiritualis species, neupe Paternitas, & Compaternitas. Paternitas contrahitur inter baptizantem cum baptizato,& inter patrinos cũ ipsomet baptizato, & similiter inter cõfirmantem cum confirmato, & inter patrinos confirmationis cum ipsomet cõfirmato. Compaternitas autem contrahitur inter baptizantem cum patre, & matre baptizati, & inter hos parentes carnales baptizati cum patrinis Baptismi,& similiter inter hos parentes confirmati cum confirmante, & cum Patrinis confirmationis,quod constat ex verbis expressis *Trid.loco citato ita Sanch.num.* 10.*vide Barb.in Trid.sess.*24.*de matr cap.* 2.*à num.* 32. *vsque ad* 40. *ita etiam Ioseph Augustinus magister meus in breui notitia de sacr.matr.num.*16.

Nu. 16 Aduerte autem,dum dicitur *in prædicto Tridentini decreto* parentes baptizati,vel confirmati contrahere cognationem spiritualem cum baptizante, vel confirmante,& cum Patrinis intelligendum esse de Patre,& matre carnalibus, siue legitimis,siue illegitimis; quare ex hoc sequitur parentes legales, nimirum adoptiui ipsius baptizati, vel confirmati,nullam prorsus cognationem contrahere, cum ea sacramenta conferentibus,aut cum patrinis,quia nec antiquitus eam contrahebant, & textus loquẽs de parentibus,est intelligendus de naturalibus, vtpote qui soli vere parentes sunt *ita Sanch.num.*16.

Nu. 17 Quæri hic potest,an per hæc verba, censeatur sublatum impedimentum Catechismi,seu cognatio quædam spiritualis,nata ex catechismo affirmant *Sãch.* *lib.*7.*disp.*10.*num.*10.*Reg.tom.*2.*lib.* 31. *num.*190.*Barb.in Tridẽt. loco supra citato num.*41.Quare cum infans vrgente necessitate domi baptizatur,sine ceremonijs,& postea in templo eædem ceremoniæ adhibentur,illic contrahitur cognatio à suscipiente,nõ autem hic,quia illic contrahitur huiusmodi cognatio, vbi scilicet confertur sacramentum, sed domi;non autem in templo, confertur sacramentum, ergo domi contrahitur cognatio : in ecclesia autem solummodo confertur sacramentale *ita Reg num.* 154.§.*Secundum*,& nos autem supra.

Cognatio legalis ex eo dicitur, quod Nu. 18
ex lege ciuili sit desumpta *ita* Reg. *loco supra citato num* 158 *initio de qua* Sanch. *tom* 2.*de matr.lib.*7.*disp.* 63. est autem huiusmodi legalis cognatio, effectus adoptionis,qua quis adoptat aliquem, vel aliquam in filium, vel filiam *vel ex* D.T*ho.apud Sanch.*est extraneæ personæ in filium,vel nepotem, vel deinceps legitima assumptio, quam deffinitionem non reprobant *Sanch.loco supra citato nu.* 1.*Reg.tom.*2.*lib.*31.*num.* 158.vnde adoptio est quædam legalis,seu artificialis generatio,vti concludit *Sanch. nu.*10.*fine*. Nu. 19

Hæc autem adoptio duplex est perfecta vna per quam adoptatus transit in adoptantis potestatem, & illi succedit, & hæc dicitur arrogatio: altera est imperfecta, per quam adoptatus non transit in adoptantis potestatem,& hæc dicitur simplex adoptio. hac posita distinctione. Difficultas est, ex qua nam ex his oriatur impedimentum dirimẽs matrimonium,ad quam difficultatem respondet *Sanch.loco supra citato num.* 9. ex probabiliori sententia ipsum non nasci ex adoptione imperfecta, sed solum ex perfecta *ita etiam Reg loco supra citato num.*161.cuius ratio est, quia cognatio hæc introducta est, à iure positiuo, ad impediendam fornicationem, quæ facile esse potest,inter personas in eadẽ domo commorantes, sed per adoptionẽ imperfectam,non traducitur adoptatus in domum,nec in adoptantis potestatẽ, ergo ea non obstat matrimonio:& licet aliqui asserãt,oriri ex adoptione imperfecta,impedimentum saltem impediẽs, non tamen dirimens;nihilhominus neque hoc verum est vti probant *Innoc.*

cap. unico num. unico de cognat. legali Syl. verb mat. 8. quaest. 8. dicto. 4. quare ex im perfecta adoptione nullum oritur impedimentum, neque impediens, neque dirimens *ita etiam Sanch. lib. 7. de matr. disp. 63. num. 10.*

Nu. 20 Cognatio autem legalis perfecta, dirimit matrimonium: Primo inter ipsum adoptantem, & adoptatum: Secundo inter ipsum adoptantem, & filios adoptati vsque ad quartum gradum: Tertio inter ipsum adoptatum, & omnes filios adoptantis, saltem legitimos simul, & naturales, dum sunt sub patria potestate: Quarto inter adoptatum, & vxorem adoptantis: Quinto inter adoptantem, & vxorem adoptati *ita magister meus Ioseph Augustinus breuis notitia de sacr. matrim. numer. 16. vers. quod impedimentum est.*

Nu. 21 Cognatio carnalis, seu naturalis *de qua Sanch. tom. 2. de matr. disput. 50.* quae etiam consanguinitas appellatur, & vt ab ipsa nominis etimologia incipiamus: consanguinitas dicitur quasi sanguinis vnitas, consanguinei enim ab eodem sanguine originem trahunt, & menstruum mulieris, ex quo generatio fit immediate ex sanguine efficitur *ita Sanch. nu. 1.* vbi definiens consanguinitatem ait Est autem consanguinitas vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum, quare cum vinculum consanguinitatis, fundetur, in naturali eiusdem sanguinis cõmunicatione, qui eo inter se connectuntur dicuntur consanguinei *hac Sanch.*

Nu. 22 Distinguitur consanguinitas, per lineas, & gradus: linea dicitur ordinata collectio personarum, ab vno stipite descẽdentium, diuersos continens gradus, seu potius ipsemet personae consanguineae collectiue sumptae, vt aceruus lapidum, dicuntur ipsimet lapides in vnum coacti, & ducitur similitudo à linea mathematica, in qua plura ordinatim continentur punta. Gradus est mensura distantium personarum, qua cognoscitur quota consanguinitatis distantia, aliqui consanguinei coniungantur, & sunt gradus ad similitudinem graduum scalae, per quos a proximo in proximum tendimus sursum ascensuri, aut deorsum descensuri *ita Sanch. lib. 7. disp. 50. nu. 2. Barb. de off. & potest. Episc. par. 3 alleg. 51. num. 155.*

Tripliciter diuidi solet hęc linea, quędam est ascendentium, in qua continẽtur personae, a quibus origo deducitur, vt Pater, Auus, Proauus, Atauus. Alia descendentium, quae claudit personas originem ab eo stipite trahentes, vt filios, nepotes, pronepotes, trinepotes, & haec duplex linea, est, re ipsa eadem, nã eodem gradu ascenditur, & descẽditur in scala; distinguitur autem ratione, quia quatenus per illam ascenditur ad stipites, dicitur ascendentium, quatenus autem descenditur ad sobolem à stipite procedentem, dicitur descendentium, & haec appellatur linea recta, quod continet directos gradus, per quos ad progenitores ascenditur, & ad progenitos descenditur, & ad neutrum latus deflectitur ita ingeniose *Sanch. loco supra citato num. 2.* Nu. 23

Altera tandem collateralis, seu transuersalis dicta est, in qua cõtinentur personae, quae ex latere, & ex transuerso iunctae sunt, à quibus nos non ducimus originem, nec ipsae a nobis, & tamen ab eodem stipite, & sanguine descendimus vt fratres, & eorum filij *ita Sanch. loco citato.* Nu. 24

Item haec trãsuersa linea, duplex est, quędam aequalis, scilicet, in qua continẽtur gradus consanguineorum, aequae à stipite distantium, vt sunt duo fratres, aut duorum fratrum filij, alia vero inaequalis, nẽpe quando consanguinei trãsuersi, seu collaterales distant inaequaliter à communi stipite, in quo vniuntur, vt contingit in Patruo, & Amita respectu consubrini, distat enim consubrinus, ab illis in secundo gradu dispari *hac Sanch.* Nu. 25

Item diuidi solet linea in maternam, cuius scilicet est caput mater, & in paternam, cuius scilicet est caput Pater, sed haec distinctio minime deseruit matrimonio. Nu. 26


Stipes, est persona illa, à qua omnes personae, de quarum coniunctione tractatur, descendunt, & originem ducunt *ita Sanch. num. 3. vbi habet licet in cap. series 35. quaest. 5.* truncus, seu stipes huius arboris consanguinitatis non sit primus parens, à quo alij descendunt, sed pri- Nu. 27

prima eius generatio, scilicet filij ip[si]us. At iam diu Ecclesia recepit primum parentem, a quo procedunt omnes, de quorum consanguinitate tractatur esse truncum, seu stipitem.

Nu. 28 Ad agnoscendos gradus consanguinitatis hæ regulæ tradi solent, secundum ius canonicum, quod seruatur in materia matrimonij. Prima pro linea recta, tam descendentium, quam ascendentium, quot Personæ sunt in linea, vna dēpta tot sunt gradus sic Pater, & filius sunt in primo gradu, auus, & nepos in secundo, & sic de c. *ita Barb. de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 51. num. 158. S. Prior sit Ioseph Augustinus magister meus de sacr. matrim. num. 17.*

Nu. 29 Secunda regula pro linea collaterali in distantia æquali, quādo scilicet vtraque persona distat æqualiter à communi proximo stipite, quoto gradu distant à communi stipite, eodem distant inter se, sic duo fratres sunt in primo gradu, duo consobrini primi, sunt in secundo, &c. *ita Sanch. lib. 7 de matr disp. 50 num. 5. Barb. loco supra citato num. 159. Reg. tō. 2 lib. 31. num. 142.*

Tertia regula pro linea transuersali inæquali, est, eo gradu distant inter se, quo remotior distat à stipite v.g. duo filij, sunt in primo gradu, filius vero, & nepos sunt in secundo gradu, quia remotior scilicet nepos distat a stipite in secundo gradu, sic nepos, & pronepos, sunt in tertio gradu, non autem in secūdo, & sic de cæteris ob eamdem causā, semper enim habetur ratio maioris distantiæ, vt videre est in exemplis supra allatis *ita Sanch loco supra citato num 6. Reg. num. 142. vers. sin autem* verum vt facilius præ oculis tota hæc graduum consanguinitatis cognitio habeatur operæ prætium duxi, hanc sequentem consanguinitatis arborem apponere. Nu. 30


Stipes Pater & Mater.
I. Generatio
I. Generatio
Linea transuersa.
I. Gradus Filius vel filia, Quorum stipes Pater & mater
I. Gradus lineæ transuersæ est inter fratres & sorores.
I. Gradus Filius vel filia, Quorum stipes Pater & mater
Linea recta Descendentium.
Linea recta Descendentium.
II Generatio
II Generatio
V. Gradus linea transuersæ inæqualis non prohibitus.
II. Gradus Nepos vel Neptis stipes Auus vel Auia
II. Gradus æqualis est inter Patrueles, Consobrinos, Amitinos idest, inter liberos duorum fratrum, duarum sororum, aut fratris & sororis
II. Gradus Nepos vel Neptis stipes Auus vel Auia
IV. Gradus lineæ transuersæ inæqualis prohibitus.
III Generatio
III Generatio
III. Gradus Pronepos & proneptis, stipes Proauus & Proauia.
III. Gradus est inter Sobrinos, idest Nepotes duorum fratrum.
III. Gradus Pronepos & proneptis, stipes Proauus & Proauia.
IV Generatio
IV Generatio
IV. Gradus Abnepos & Abneptis, stipes Abauus & Abauia.
IV. Gradus est inter filios duorum Sobrinorum.
IV. Gradus Abnepos & Abneptis, stipes Abauus & Abauia
V Generatio
V Generatio
Linea recta Ascendentium.
Linea recta Ascendentium.
V. Gradus Trinepos vel Trineptis, stipes Tritauus vel Tritauia.
V. Gradus est inter nepotes Sobrinorum; in quo validum est matrimonium; non item in superioribus.
V. Gradus Trinepos vel Trineptis, stipes Tritauus vel Tritauia.

Nu. 31 Hac posita consanguinitatis arbore, licet olim Ecclesia coniugium interdixerat, vsque ad septimum consanguinitatis gradum, vti refert *Barb. de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 51. nu. 163.* post modum sub Innocentio tertio, in Concilio Lateranensi restricti sunt gradus consanguinitatis vsque ad quartum, quæ restrictio locum habet, non solum in linea collaterarium, seu transuersa, sed etiam in recta ascendentium, & descendentium linea; ita vt quicunque consanguinei vltra quartum gradum possint coniungi *ita Sanch. lib. 7. disp. 51. num. 22* vbi habet posse fideles contrahere matrimonium, in linea recta ascendētium, & descendentium vltra quartum gradum, quia iure naturæ, solus primus interdicitur, vti probat *num. 19.* & iure Ecclesiastico prohibitio non excedit quartum gradum, *vt patet ex cap. non debet de consang. ita etiam Barb. loco supra citato num. 163.*

Nu. 32 Aduerte autem in linea transuersali, consanguinitatem impedire matrimonium iure naturæ, etiam in solo primo gradu, ac proinde inter fratres, & sorores esse interdictum, ac irritum iure naturæ matrimonium *ita Sanch. lib. 7. disp. 51. num. 11. vbi num. 12.* infert infideles matrimonio coniunctos in primo gradu consanguinitatis lineæ transuersæ, vt sunt fratres separandos esse, dum ad fidē conuertuntur, quia id matrimoniū iure naturæ est irritum, quamquam probabile sit hoc matrimonium sola lege ecclesiastica irritari, vti probāt nonnulli citati *apud Sanch. num. 10.* & hac posita sententia asserunt separandos non esse, cum ad fidem conuertuntur, quia quando matrimonium contraxerunt legi ecclesiasticæ non subiciebant, & hanc sententiam probabilem vocat etiam *Sanch. num. 11.*

Nu. 33 Aduerte quod habet *Sanch. lib. 7. disp. 53. num. 4.* duos consanguineos inæqualiter distantes à stipite, si alter distet vltra quartum gradum, alter vero intra illum posse matrimonio copulari, & patet ex regula supra assignata, nam cum remotior à stipite distet, vltra quartum gradum, ambo erunt consanguinei inter se, vltra quartum gradum, ac proinde nulla erit prohibitio matrimonij inter illos, & hæc de cognatione.

Crimen de quo agit *Sanch. tom. 1. de matr. lib. 7. disp. 78.* & est impedimentū dirimens matrimonium, quatruplex est. Primum occisio realis vnius coniugis ab altero cōiuge facta, vel procurata, cum pacto contrahendi, siue sit vir, qui occidat vxorem, siue vxor virum ad contrahendum cum adulterante *ita Sanch. num. 8. Reg. tom. 2. lib. 31. num. 130. §. Prima est.* Secundum occisio realis adulterio mixta, & intentione contrahendi, facta, siue à coniuge, siue ab adultero, etiam altero ignorante *ita Sanch. nu. 9. Reg. num. 133.* Tertium adulterium cum promissione contrahendi, cum adulterante, post mortem coniugis, siue promissio antecedat, siue sequatur copula. Quartum adulterium mixtum cum cōtractu secundi matrimonij, per verba de præsenti, stante adhuc primo de quibus legite *Sanch. loco supra citato disp. 79.* Nu. 34

Disparitas cultus, de qua *Sanch. tom. 2. de matr. disp. 71.* est inter fidelem, & infidelem, inter quos dispares cultu, est irritum matrimonium *ita Sanch. num. 1. vbi num 2.* habet etiam inter personam baptizatam, & cathecumenam esse irritum matrimonium, quia cathecumena Baptismo, qui sacramentorum ianua est caret. *item num. 3.* ait matrimonium initum inter catholicum, cum ficte baptizata, non valere, quia reuera, qui ficte baptizatur est infidelis, vtpote que eoram Deo verum Baptismum non suscepit *sicuti num 4.* infert nec valere matrimonium initum inter hæreticum, aut apostatam cum infideli, quia illi tanquā vere baptizati subduntur legibus Ecclesiæ, matrimonium hoc irritantibus. Nu. 35

Hinc aduertas matrimonium fidelis cum infideli vetitum esse iure diuino naturali, ac proinde secluso quouis iure ecclesiastico, nullatenus licere nisi in aliquo speciali euentu, ita vrgens causa occurreret, vt recta ratio id matrimoniū tunc ineundum dictaret *ita inter alios Sanch. loco supra citato num. 5. vbi num. 7.* respondens ad difficultatem *nu. 6.* propositam scilicet an ita id matrimonium iure diuino interdictum sit, vt eodem iure sit etiam irritum, ait verius esse, nō esse id matrimonium irritum aliquo iure naturali diuino, aut diuino positiuo, sed Nu. 36

sed solo iure ecclesiastico, quare ex põtificia dispensatione, potest matrimoniũ contrahi inter fidelem, & infidelem *ita Sanch. num.* 10.

Nu. 37 Ex quo collige matrimonium initũ inter hæreticum, & hæreticam esse validum, sicuti matrimonium inter fidelem cum hæretica, aut apostata, licet sit illicitum, tamen est validum *ita Sanch. lib. 7. disp. 72. num* 2. *vbi num.* 3. ait sponsalia inita, inter personam catholicam, & hæreticam, seu apostatam esse irrita, quia promissio illa est de re turpi, & omnino illicita, ac proinde nullam sponsalium obligationem inducere potest, quare aliqui fatentur matrimonium catholicę personæ, cum hæretica, vel apostata esse peccatum *imo Sanch. nu.* 4. tenet esse mortale.

Nu. 38 Ex quo *Sanch. num.* 5. infert excipi debere loca, in quibus hæretici non denũciati, nec notorij clericorum, percussores, cum catholicis permisti, conuiuũt, vt in Germanea, Gallea, Polonia, in ijs enim ex consuetudine recepta, & tolleratalicent coniugia catholicæ personæ cum hæretica, dummodo catholica libere, & absque peruersionis periculo in fide permanere permittatur.

Nu. 39 Aduerte tamen, quod licet apud infideles matrimonium non sit sacramentum, tamen esse validum, quando non adest in ipsorum matrimonio impedimentum iure naturali dirimẽs *ita Sãch. lib. 7. disp* 73. *num.* 3. *vbi num* 4. habet infidelem, qui repudiata legitima vxore, aliam duxit, si conuertatur ad fidem cogendum esse, à matrimonio posteriori tamquam irrito recedere, & ad prius redire, si habitare possit cum prima sine iniuria creatoris, sin minus dissoluitur primum, & coniux conuersus ad fidem potest posterius de nouo inire, si is coniux conuertatur quoque, & si infidelis conuersus plures habeat vxores, separandus est ab alijs, dempta prima, quæ sola est legitima vxor, licet fuerit contractum matrimonium cum aliquo impedimento iuris canonici, At vero si legitima vxor monita noluerit cõuerti, aut omnino cohabitationem respuat, aut habitare nolit absque creatoris contumelia, aut absque eo quod coniugem fidelem ad peccatũ lethale pertrahat, potest cõuersus in tali casu quamcumque aliam, quæ cõuertitur ducere, sicut potest quamuis aliam personam fidelẽ ducere *ita Sanch. num* 5.

Aduerte quod habet *Sanch. lib. 7. disput.* 73 *num.* 12. hodie non licere alteri coniugi ad fidem conuerso permanere in consortio coniugis infidelis, sed tenetur ab eo nolente ad fidem conuerti diuertere, quantumuis possit absque creatoris contumelia habitare *vbi num.* 15. asserit præceptum hoc diuertendi à coniuge infideli nolente conuerti, non obligare cum vitæ discrimine. Nu. 40

Sed quid si spes subesset cõuersionis, infidelis coniugis ex fidelis consortio, an liceat tunc fideli cohabitare; quidquid dicant alij verius ęxistimat negatiue *Sanch. loco supra citato num.* 13. verũ de hoc apud ipsum. Nu. 41

Vis, est cum alter coniugum per violentiam, aut per metum cadentem in virum constantem contraxit, de quo impedimento *agit Sanch. tom.* 1. *de matr. lib.* 4. *vbi disp prima num.* 9. diuidit metum, in metum cadentem in virum cõstantem, & in inconstantem *vnde nu.* 10. Quinque assignat conditiones, vt metus cadat in virum constantem. Nu. 42

Prima est, vt malum, quod timetur sit graue, scilicet vt sit timor grauis mali in se considerati, non autem compatatiue, ad minus malum *ita Sanch. num.* 12. *&* *num* 10. §. *Prima est.* Nu. 43

Secunda ad metum cadentem in virum constantem requiritur, vt æxistimatio mali, quod timetur sit fortis, scilicet, vt timens non vane, & leuiter credat malum illud sibi imminere, sed probabiliter, & rationabiliter *ita Sanch. nu.* 15. Nu. 44

Tertia ad metum cadentem in virũ constantem requiritur, vt incutiens metum sit potens minas exequutione mãdare, non enim esset viri constantis, ac fortis quibuscunque terreri minis, vt viri inermis, vel si minans sit senex, vel debilis, & alter iuuenis, ac fortis *ita Sanchez num.* 19. §. *Non tamen* habet hoc nõ esse ita accipiendum, vt minans vere de facto possit implere, sed vt timens rationabiliter æxistimet posse eum implere, quamuis de facto vere non possit ob aliquam rationem timenti incognitam. Nu. 45

Quar-

Nu. 46 Quarta requiritur, vt metum incutiens, minas exequi solitus sit, secus si homo sit facile minas iactans, faciliusque ita deposita, nihil, aut parum exequutioni mandans *ita Sanch num.* 20.

Nu. 47 Vltima requiritur, ne possit timens facile occurrere malis, quæ timentur, si enim posset alia ratione facile occurrere malis, quæ timentur, vt implorando alicuius auxilium, consulendo superiorem, &c. non esset timor cadens in virũ constantem, inconstantis enim est, & timidi metuere ea mala, quæ facili negotio vitare potest, & immerito sibi persuadet illud malum euenturũ *ita Sãch. num.* 23.

Nu. 48 Aduerte, metum cadentem in virũ constantem, duplicem item esse, quidã enim est incussus ab intrinseco, vel à causis naturalibus, vt à morbo, tempestate, feris, animalibus, ab his enim metus incussus dicitur ab intrinseco, quia incutitur per modum naturæ, scilicet non peractũm liberum *vt aduertit Sotus in 4. dist. 29. quæst. 1. artic 3. vers. hinc primo colligitur*, alter vero est ab extrinseco scilicet à causa libera, vt dum quis incidit in latrones mortem comminãtes *ita Sanch. tom. 1. de matr. lib. 4. disp. 12 num. 2. vbi habet* §. *Rursus* hunc metum adhuc duplicem esse, quidam enim est incussus à causa libera, sed non gratia matrimonium extorquendi, sed alia de causa; alter vero incussus, gratia extorquendi matrimonium, & hic potest incuti iuste, vel iniuste, his igitur dictis.

Nu. 49 Breuiter dicendum est, quoties metus non est incussus ad extorquendum matrimonium, siue proueniat à causa naturali, siue libera quantumuis grauissimus sit, non reddere irritum matrimonium *ita Sanch. loco supra citato disp. 12. num. 3. vbi num.* 4. infert matrimoniũ contractũm cum concubina, metu præsentaniæ mortis, ex morbo, aut naufragio, aut fera, bestia, aut inferni timore esse firmum, quia is metus non infertur à causa extrinseca libera ad extorquendum matrimonium, item valere matrimonium, si medici afferant quempiam obiturum ob humoris abundantiam, nisi ducat vxorem, quia metus est ab intrinseca causa naturali *vti habet Sotus, Ledesma, & alij citati apud Sanch. num.* 5. sicuti etiam valet matrimonium dum morte dãnatus, quo incolumis euadat, ducit meretricem iuxta morem, aut statutum aliquarum Regionum, quia is metus non cõtendit, vt matrimonium ineat, sed propria sponte damnatus id, euadendi medium eligit *sic etiam Sotus, & alij apud Sanch. num* 8. item validum est matrimonium contractum ab ægro, morbo lethali oppresso, cum filia medici, aliter ei mederi nolentis, quia medicus minime mortis timorem incutit, sed morbus, ac matrimonium petit tanquam stipendium *ita Sanch. num.* 15.

His igitur dictis difficultas est, an metus cadens in virum constantem, iniuste incussus ad extorquendum matrimonium, illud irritum reddat, in vtroque foro ad quam quidem difficultatem. Respondeo matrimonium contractum metu cadenti, in constantem virum, ad eũ finem iniuste incusso, esse nullum in vtroque foro *ita inter alios Sanch loco supracitato num.* 18. Nu. 50

Ex quo patet, metum cadentem in virum constantem, iuste illatum ad extorquendum matrimonium, minime illud irritum reddere, patet quia quoties metus incutitur alicui, damni debiti delicto, quem incutiẽs iuste inferri potest, tunc magis censetur ille metus oriri ex lege, & natura delicti, & proinde ab intrinseco, quam ab extrinseco incuti, ergo dum quis malum iustum minatur, reperto in delicto, v.g. te accusabo, nisi contrahas matrimonium, non censetur metum inferre, sed potius metum iam ex delicto, conceptum auferre, offerendo immunitatem, si ducat vxorem *ita Sanch. tom. 1. de matr lib. 4. disp. 13. nu. 3. vbi num.* 7. infert si iudex præcise cogat stupratorem, vt ducat virginem à se vitiatam, absque fide matrimonij, non valere, quia iniuste, & per iniuriam extorquet, cum tantum possit cogere, ducere, vel dotare. Nu. 51

An vero metus cadens in virum constantem, irritet matrimonium iure naturæ, vel solo iure ecclesiastico *respondet Sanch. tom. 1. de matr. lib 4. disp. 14. n. 2.* verius esse solo iure Ecclesiastico irritum esse. Verum de his, & alijs apud Sanch. & hæc de metu. Nu. 52

Ordo scilicet sacer, Subdiaconatus, Nu. 53

D 4

Diaconatus,& Presbiteratus,de quo im pedimento agit *Sanch.tom.2.de matrim. lib.7.disp.38.* quare post hos ordines sacros susceptos,non possunt contrahere matrimonium, nec licite,nec valide *ita Reg.tom.2.lib.31.num.120.Ioseph Augustinus magister meus breuis notitia de sacrã. matr,num.23.* quare si contrahunt,sunt excommunicati *vti habet Sanch.lib.27. de matr.disp.48.nu.1. Ioseph Augustinus Reg loco supra citati* an vero fiant irregulares *legite Sanch.disp.49.& disp.85.* vbi habet fieri irregulares.

Nu. 54 Vxoratus vero, si suscipiat ordines sacros, vere est ordinatus,& tenetur obseruare castitatem ratione voti annexi ordini sacro assumpto,& ad abstinendum in quantum lex matrimonij petit *vti habet Sanch lib.7.disp.38.nu.20.& 21.* hũc vxoratum absque licentia expressa, & spontanea vxoris ad ordines sacros promotum, ante matrimonij consumationem,& monitum, vt religionem ingrediatur, ac renuentem restituendum esse vxori petenti,& cogendum consumare,non petendo,sed debitum reddẽdo, sicuti quando matrimonio iam consumato, vir suscipit ordines sacros, si ab vxore reuocetur,tenetur reddere,quia non potuit per ordinem superuenientẽ, præiudicare iuri exigendi acquisito ab vxore,at non potest petere *vbi num.22.* habet non teneri vxorem, vito promoto ad ordines,absque eius spontanea licentia,& sibi restituto,petenti,debitum reddere,& hoc verius esse, quia vir non solum castitatis votum emisit, sed valide mutauit statum,ac proinde visus est omnino,& plane iure suo exigendi cedere, *& tandem num. 24.* ait quod si vir sacris initiatus,absque vxoris licentia, ab ipsa reuocetur ad consortium coniugale,ea defuncta,non posse ad alias transire nuptias,& secundum matrimoniũ esse irritum.

Nu. 55 Aduerte,impedimentum autem hoc non esse iuris naturæ, sed tantum iuris Ecclesiastici, Ecclesia enim inhabiles reddidit initiatos sacris,ad matrimonium *ita Sanch.lib.7.disp.28.num.11.Reg. loco supra citato§.Impedimentum.*

Nu. 56 Impedimentum ligaminis, de quo agit *Sanch tom.2.de matr.lib. 7. disput. 80.* consurgit ex matrimonio rato, & consumato *ita magister meus Ioseph Augustinus breuis notitia de sacr.matr.nu.24.* quare si aliquis post matrimonium ratũ cum vna,contrahat cum alia,non tenet hoc secundum matrimonium, & multo minus tenet,si primum matrimonium fuisset etiam consumatum, & quidem catholica veritas hoc nos docet, scilicet in euangelica lege prohibitum esse iure diuino,plures simul habere vxores, quod definit *Trid.sess.24.can. 2. his verbis.Si quis dixerit,licere Christianis plures simul habere vxores,& hoc nulla lege diuina esse prohibitum,anathema sit ita etiam Sanch.loco supra citato num.1.vbi num.9.* infert nullatenus posse Pontificem, in hac vxorũ pluralitate,dispensare, quod tum lege naturali, tum lege Christi ob veram sacramenti significationem interdicta sit *item num.10.*hab t nulla consuetudine,effici posse,licitam hanc vxorum pluralitatem,quia consuetudo præualere nequit,aduersus ius naturale, & diuinum positiuum, sed solum contra humanum,quare *num.11.* infert posse Deum dispensare,in hac vxorũ pluralitate,quia nulla innenitur repugnantia.

Honestas,scilicet impedimentum publicæ honestatis,de quo *Sanch.lib. 7. de matr.disp.68.* ex triplici capite oriri potest,vel sponsalibus certis,& absolutis, siue validis, siue irritis, vel ex sponsalibus cõditionalibus, vel ex matrimonio rato. Nu. 57

Deffiniri potest, huiusmodi publicæ honestatis impedimentum sic,est propinquitas,ex sponsalibus proueniens,robur trahens ab Ecclesiæ institutione, propter honestatem eius. Dicitur propinquitas, vt denotetur conuenientia, quam habet cum affinitate. Dicitur ex sponsalibus proueniens, quia in hoc distinguitur ab affinitate, quæ ex copula oritur. Dicitur robur trahens ab Ecclesiæ institutione, vt denotetur hoc impedimentum solo iure Ecclesiastico inductum esse. Dicitur propter eius honestatem,vt denotetur causa,ob quam ecclesia hoc impedimentum statuit *ita Sanch.loco supra citato num.1.* hac posita deffinitione animaduertas, q̃ certa sũt. Nu. 58

Et primo certum est, ex sponsalibus validis,& certis,iure Ecclesiastico, oriri huiusmodi impedimentum, in primo Nu. 59

gra-

gradu *ita ex Trid sess.24. de refor. cap. 3. Sanch.loco supra citato num.10. Barbos. de off.& potest. Episc.par.3.alleg.51.nu.182. & in Trid.sess.24.cap.3.num.12.* quare iniens sponsalia, non potest validum matrimonium inire, cum patre, matre, fratribus, sororibus, vel filijs sponsi alterius, vel sponsæ, at potest cum alijs consanguineis, siue ascendentibus, siue descendentibus, siue collateralibus coniũctis vltra primum gradum *ita Sãch.n.4.* & licet videatur huiusmodi impedimẽtum non oriri cum consanguineis illegitimis alterius sponsi, tamen contrarium certissimum est, quia in contrahendis matrimonijs ius naturale, & pudor inspicienda sunt, at cum hi sint veri naturales consanguinei, eadem honestas naturalis versatur, in abstinendo à matrimonio: cum consanguineis sponsi legitimis, ac illegitimis.

Nu. 60 Quid vero dicendum, quando sponsalia sunt valida de iure, eo quod nullũ iuris impedimentum intercedat, at solũ sunt irrita defectu consensus interni, consurgat ne ex illis hoc impedimentũ, affirmatiue *respondet Sanch.loco supra citato num.14. vbi nu.15.* addit idem pari ratione dicendum esse, quoties sponsalia essent nulla, ex defectu aliquo quocunque occulto, vt ex voto castitatis, vel religionis, vel non nubendi interno *ita etiam Reg.tom.2.lib.31.nu.127. Barb. in Trid.loco supra citato num.4.* vbi habet impedimentum publicæ honestatis, oriri ex omnibus sponsalibus, quacumq; ratione irritis, quãdiu ipsa publica sunt, & nullitas occulta, *& de off. & potest. Episc par.3.alleg.51.num.187.*

Nu. 61 Vnde, ex sponsalibus contractis à parentibus, filiorum nomine, sine eorum consensu, non oritur publicæ honestatis impedimentum *ita Sanch. loco supra citato num.18.& 19.* secus vero si ijdem filij consenserint, siue expresse, siue tacite *ita etiam Reg num.129.§. Aduerte quinto Barb. de off.& potest.Episc. par. 3. alleg. 51.num.186.*

Nu. 62 Quare *Sanch.num 20.* tenet hoc impedimentum esse perpetuum, ita vt nec morte alterius sponsi extingui *vbi num.21.* asserit impedimentum publicæ honestatis contractum ex sponsalibus validis, & certis non cessare, quando sponsalia dissoluuntur mutuo cõtrahentium consensu, quamquam *Gutier. Rebell.& alij citati apud Barb. in Tridẽt. sess 24.cap.3.num 7.* contrarium asserant *& Sa Hurtado citati apud eundem Barb. de off.& potest. Episc par.3. alleg.51. num. 188.* qui opinionem horum laudant.

Quid tandem dicendum, si post sponsalia de futuro cum certa persona, contrahat sponsus matrimonium de præsẽti cum eius sorore, & non dum consumarit. An teneatur contrahere cum prima, videtur enim cum neutra valere matrimonium, non cum secunda propter impedimentum publicæ honestatis ortum, ex sponsalibus validis, cum sorore initis, neque cum Prima, quia licet posterius matrimoniũ sit irritũ, tamen cum non sit irritum ex defectu consensus, sed propter solum publicæ honestatis impedimentum, orietur ex illo hoc impedimentum publicæ honestatis. Tamen dicẽdum est teneri cum prima contrahere, nam secundum matrimonium cum sit irritum, ex illo non oritur publicæ honestatis impedimentum *ita Sanch num.24.* Nu. 63

At vero si cum secunda matrimoniũ consumasset, cum neutra posset valide contrahere, non cum prima, ob impedimentum affinitatis ortum, ex copula cum sorore habita, non cum secunda, propter impedimentum publicæ honestatis, ex sponsalibus valide contractis, cum eius sorore, sed de hoc *apud Sanch. num.24.* & hæc de sponsalibus validis, & certis. Nu. 64

Ex sponsalibus autem incertis, nullum publicæ honestatis impedimentũ oritur, vt si quis det fidem deducenda quadam ex filiabus Titij, nulla ex illis designata *ita Sanch.lib.7.disp.69.num.1. Reg.loco supra citato num.128.circa finem.* Nu. 65

Ex sponsalibus vero conditionalibus, nullum oritur publicæ honestatis impedimentum, ante aduẽtum conditionis, quare valebit matrimonium initum cum sorore eius sponsæ, conditione non dum extante *ita Sanch num.2 Reg. num. 129 Barb.de off.& potest. Episc. par. 3. alleg.51.num.185.* & hæc de incertis, & conditionatis sponsalibus. Verum cum matrimonium ratum duplex possit esse, vel absolutum, vel conditionatum, Nu. 66

Pri⁹ de obsoluto, & deinde breuiter de conditionato tractabim⁹ ex matrimonio rato non consumato, quantumuis absoluto, non oritur affinitatis impedimentum, sed publicæ honestatis dirimens matrimonium *ita Sanch. lib. 7. disp. 70 num. 1. Reg num. 129. §. Aduerte postremo Barb. de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 51. num. 174. & in Trid. sess. 24. cap. 3. numer. 12. §. Ex matrimonio rato* quod quidem impedimentum est solo iure ecclesiastico inductum, nec in aliquo gradu, lineæ transuersæ, vel rectę dirimit iure naturæ matrimonium *ita Sanch. num. 2. vbi nu. 16.* demostrat hoc impedimentum dirimere matrimonium vsque ad quartum gradum *ita etiam Barb. in Tridentinum loco citato numer. 13. & de off. & potest. Episc. par. 3 alleg. 51. num. 174.*

Nu. 67 Impedimentum hoc oritur ex quocunque matrimonio rato, etiam irrito, ex quacunque causa, dummodo non sit irritum ex defectu consensus *ita docet Sanch. lib. 7. disp. 70. num. 5.*

Nu. 68 Impedimentum item hoc publicæ honestatis, oritur ex matrimonio per verba de præsenti contracto, inter impuberes, aut inter impuberem, & puberem, in quo malitia non supplet ætatem *ita Sanch. num. 8.* vbi habet si vero id matrimonium ex solo ætatis defectu esset irritum, orietur ex illo impedimentum publicæ honestatis, vsque ad solum primum gradum, quia huiusmodi matrimonium vim habet legitimorum sponsalium *vbi num. 9.* infert ex matrimonio rato irrito, ratione metus cadentis in virum constantem, non oriri hoc impedimentum, quia est nullum defectu liberi consensus, sicuti, nec oritur vbi matrimonium non valet ratione erroris personæ, quia est nullum, defectu consensus *ita num. 10. vbi num. item* 18. ait hoc impedimentum esse perpetuum, nec morte alterutrius sponsi de præsenti extingui, modo supradicto, & hæc de matrimonio rato absoluto.

Nu. 69 Ex matrimonio tandem celebrato sub conditione de futuro, non oritur impedimentum hoc, ante impletionem conditionis, quia suspendit consensum *ita Sanch. loco supra citato num. 21. Barb. in Trid. sess. 24 cap. 3 num. 14. & de off. & potest. Episc. par. 3 alleg. 51. num.* 180. vbi habet ex matrimonio autem celebrato sub conditione de futuro, non oriri impedimentum hoc, antequam adimpleatur conditio, quia contractus non obligat, ante conditionis euentum, ea vero adimpleta, statim inducitur impedimentum, absque nouo consensu *ita etiam Sanch. num. 22.*

Si sis affinis, scilicet affinitas de qua agit *Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7. disp. 64.* quoad nominis significationem, est quasi finium propinquitas, vnde affines dicuntur aliqui, quia vnus trahit ad fines alterius, sicuti agri dicuntur affines, quia finis vnius est proximus fini alterius, ita affines sunt consanguinei alterius coniugis, alteri coniugi, quod duæ cognationes inter se diuersæ copulentur, per nuptias, & altera ad alterius fines accedat, cuius ratio est, quia vt ait *Sanch. num. 1.* cum vir, & vxor efficiantur per copulam vna caro, sanguis vnius dicitur alterius sanguinem tangere, ac proinde consanguinei vnius trahuntur ad quamdam alterius cognationem, quæ affinitas nuncupatur; vnde solus vir contrahit affinitatem cum consanguineis mulieris, & sola mulier cum consanguineis viri, non autem consanguinei mulieris cum consanguineis viri, vel è contra affinitatem contrahunt, inde est, quod pater, & filius possunt in vxores accipere matrem, & filiam, & duo fratres, duas sorores *ita Reg tom. 2. lib. 31. num. 145.* Nu. 70

Gradus autem affinitatis, hac ratione computari possunt; qui copulantur non censentur esse affines, sed quasi stipes, & truncus; vnde sumitur initium affinitatis *ita Sanch. num. 5. Barb. de off. & potest. Episc. par. 3 alleg 51. num.* 166. item affinitas proprie gradus non habet, sed mensurantur gradus, inter affines iuxta gradus consanguinitatis, & ita quo gradu quis distat, in consanguinitate à viro, eodem gradu affinitatis distat ab eius vxore *ita Barb. & Sanch. num. 3.* Nu. 71

Deffiniri potest, affinitas est propinquitas personarum, ex carnali copula proueniens, omni carens parentela ita inter alios *Sanch. num. 1.* Dicitur propinquitas, quia in hoc conuenit cum cognatione carnali. Dicitur ex carnali copula proueniens, in quo ab illa distinguitur. Dicitur generaliter ex copula, quia Nu. 72

ori-

oritur ex copula licita, vel illicita vti ꝑbat *Sanch. num.* 16. Dicitur omni carens parentela, intellige per se, & ex parte affinitatis, cui per accidens est, vt aliquan do affinitas, & consanguinitas in eodē reperiantur.

Nu. 73 Durat autem affinitas post mortem eius, qui affinitatis contrahendæ causa fuit, sicut, & consanguinitas, quare mortuo altero coniuge, vel alterutro ex fornicantibus, non dissoluitur affinitas, producta ex copula ita probat *Sanch. n. 2. ex cop. fraternitatis* 35. *quæst.* 10. *Reg. loco supra citato num.* 144.

Nu. 74 Affinitas autem, ex copula licita orta dirimit matrimonium vsque ad quartū gradum inclusiue *ita Sanch. lib.* 7. *disput.* 67. *num.* 5. qui pro se citat quamplures doctores *Emanuel Sa verb. matr. nu.* 13. *Tol. in summa lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 4. *Barb. in Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 4. *numer.* 7 *& de off. & potest. Episc. par.* 3. *alleg.* 51. *num.* 164. quod quidem impedimentum affinitatis, vsque ad quartum gradum, non nulli asserūt, oriri etiam ex matrimonio rato, vt videre est nonnullos citatos *apud Sanch. lib.* 7. *disp.* 64 *num.* 24. *vbi num.* 25. habet quamuis possit dici oriri affinitatem improprie, & large, seu potius quodam affinitatis initium ex matrimonio rato, eo quod potestas corporum tradita, per matrimonium est initium actus coniugalis, vnde affinitas oritur, at vere, & in rigore non est inde oriri affinitatem, *& ita censet Sanch.* impedimentum quod oritur ex matrimonio rato, esse vere, & proprie publicæ honestatis, & nō affinitatis, quia affinitas oritur, ex eo quod vir, & vxor efficiuntur vna caro, per copulam perfectam, & cōsumatam, quod non reperitur in matrimonio rato, his tamen non obstantibus *Barb. loco supra citato* ait huiusmodi impedimentum affinitatis, vsque ad quartum gradum, oriri ex matrimonio rato, non consumato ex sacra Congr. Conc. sub die 17. Augusti 1617.

Nu. 75 Affinitas matrimonio orta, quidquid dicant alij, in nullo gradu, lineæ rectæ, ita prohibet iure naturæ matrimoniū, vt illud irritum reddat, ac proinde seclu so iure ecclesiastico, in quocunque gradu esset validum *ita Sanch. lib.* 7. *disput.* 76. *num.* 7. *vbi num.* 11. habet neque in linea transuersa, nullum gradum affinitatis, adeò esse prohibitum iure naturę, vt eo attento, irritet matrimonium, & hæc de affinitate ex copula licita orta, vt autem ad fornicariam deueniamus.

Et licet aliqui asserant, affinitatem or tam, ex copula fornicaria, esse vinculum naturale, ac proinde etiam tempore infidelitatis oriri, vnde inferunt infidelē cognoscentem fornicarie mulierem, ad fidem conuersum, non posse ducere in vxorem cōsanguineam dictæ mulieris, quia aiunt per Baptismum non tollitur affinitas orta, ex iure naturę, ante ipsum, quæ matrimonium impedit *ita Vega, & alij citati apud Barb. de off & potest. Episc. par.* 3. *alleg.* 51. *num.* 156. *fine.* Nu. 76

Tamen his non obstantibus mihi placet sententia *Sanch. lib.* 7. *disp.* 65. *num.* 9. asserentis affinitatem ortam, ex copula fornicaria non esse naturalem, ac proin de seclusa omni lege ecclesiastica, nullū impedimentum oriri, inter consanguineos viri, & feminæ, ab eo fornicate cognitæ, quare ex hoc infert *Sanch. nu.* 10. §. *At verius* quod si quis tempore infidelitatis, aliquam fornicarie cognouit, posse post Baptismum ducere consanguineam eius, intra gradum prohibitum, quia cum ea affinitas non sit vinculum naturale, & subinde non contrahatur tempore infidelitatis, nil est, q̄ post Baptismum impediat matrimonium inter illum fidelem, & consanguineam mulieris, ante Baptismum fornicarie cognitæ. Nu. 77

Ex hac igitur, illicita copula *attento Trid decreto sess.* 24. *de matr. cap.* 4. oritur impedimentum dirimens matrimoniū, quod se extendit vsque ad secundum tantum gradum *ita Sanch. lib.* 7. *disp.* 67. *num.* 4. *vbi num.* 6. ait nomine fornicationis, ex qua consurgit huiusmodi impedimentum non intelligi *à Trid.* solam fornicationem simplicem condistinctā contra adulterium, stuprum, & cæteras luxuriæ species, sed fornicationem generice, prout omnem illicitum concubitum complectitur. Nu. 78

Vt autem vtraque contrahatur affinitas requiritur, ea copula, quæ sit sufficiens ad generationem, & requiritur perfecta copula, in qua virile semen intra vas femineum recipiatur, quare ex Nu. 79

sola vasis feminei penetratione nō emissi so intra virili semine minime oritur affinitas *ita Sanch.lib.7.disp.64.num.8.Reg. tom.2.lib.31.num.146.* vbi habet huiusmodi affinitatem nasci tantum, ex copula carnali, ex qua sequi potest generatio prolis, nisi obstet sterilitas, aut quid simile *ita etiam Barb.de off. & pot.Ep. par.3.alleg.51.nu.167.Emanuel Sa.verb. matr.num.13.*

Nu. 80 Quare non contrahitur affinitas, ex copula, in qua sola femina seminat, quia ea non satis est ad prolis generationem, neque ex congressu spadonum consumantium intra legitimum vas, quia non verum emittunt semē, ex quo generatio subsequi potest *ita Sanch. nu. 10 & 11.* item nec ex quacunque extra vas legitimū pollutione, vel nec ex quibuscunque tactibus, nec ex copula sodomitica, quia ex hac non potest sequi generatio *ita Sanch num.12.& 13.*

Nu. 81 Vnde *Sanch.num.15.* infert ex copula, licet sit extra vas, contrahi affinitatem, si virile semen quacunque arte, vel matrice feminea, illud attrahente in vas femineum subintret, quia id ad prolis generationem sufficit: item oriri affinitatem, etiam si copula sit cum femina inuita, & coacta, ignoranti, dormiente, ebrea, insana, quia ea copula satis est ad generationem *ita Sanch. num. 17. Barb. num.169.* ex copula vero habita cum muliere mortua, non oritur affinitas, quia perinde est, ac cum ligno, nec ea copula satis est ad generationem *vti ait Sanch.num.17 fin.*

Nu. 82 Quare si semen alicuius viri ope demonis deferatur in vterum femineum, non contrahitur affinitas, quia illi non sunt facti vna caro, nec sibi adhæserunt, & aliàs innumeros scrupulos inijceret ea opinio dubitantibus hominibus, an ab illis dormientibus effusum semen raptum à demone, & alio delatum esset *hac optime Barb de off. & potest. Epis par. 3.alleg 51.num.170.* quamquam cōtrarium teneant plures citati *apud Sanch. tom.1.de matr.lib.2.disp 21.numer. 2. fine* vbi affert sententiam aliquorum asserētium censeri consumatum matrimonium, quamuis demonis ministerio, semē viri in vase debito recipiatur.

Nu. 83 Demum an ad contrahendam affinitatem requiratur vtriusque viri, & feminæ seminis effusio, & licet multo probabilius sit, non requiri semen feminæ, sed sufficere ad affinitatem, si vir intra claustra pudoris feminei seminet *vt ait Sanchez lib.7.disp.64.nu.21. Barb. loco supra citato nu.168. & alij* cuius ratio est quia semen femineum, ad generationem necessarium non est, tamen hoc certum non est, quia satis probabiliter multi censent femineum semen, esse necessarium ad generationem, ergo cum fundamentum non sit certum, ita nec opinio illi inhærens, vt videre est quoplures citatos *apud Sanch. tom. 1. lib 2 de matrim disp. 21. num. 11. vbi §. Item* habet probabile esse non oriri affinitatem ex copula, in qua mulier non seminat, quia probabile est per solam vtriusque seminis commixtionem fieri coniuges vnā carnem. Quare ad contrahendam affinitatem cum consanguineis vxoris secūdum hanc probabilem opinionem requiritur necessario concursus vtriusque feminum viri, scilicet, & feminæ *ita etiam P. Gesualdus de Bononijs Capuc.par. 1.theolog moral.tract.32.cap.9. numer.4.* ex qua sententia sequitur viro semināte, si mulier non seminauerit, idque partibus constet, matrimonium non esse adhuc consumatum; posse alterum religionem ingredi, & alteram in seculo relictam posse licite aliud inhire matrimonium. Similiter etiam sequitur virū in eadem circumstantia, mortua vxore, si aliam accipiat, cum qua consumet matrimonium, non esse bigamum, eo quod cum priore matrimonium non fuerit consumatum. Sequitur etiam nō contraxisse affinitatem, cum consanguineis prioris vxoris, cum qua matrimonium non fuerat consumatum *ita Gesualdus num. 5.* & hanc opinionem probabilissimam, & tutam in praxi vocat *Doctissimus Diana in addit. resolut. 21. & par 4.trac.2. de irregul resol 43. §. Sed ego.* Nu. 84

Quod adeo probabile est vt *Suar. in 3.par.quest.32.disp.10 art.1.sect.1.§.Ad primam* ait si semen maternum simpliciter necessarium est, ad concipiendum filium, consequenter dicendum esse B. Virginem per naturalem facultatem, partem sanguinis in semen conuertisse, idque ad debitum locum concepti-

onis

onis transmisisse, qui tamen ita sentit, consequenter dicere debet illam seminis transmissionem factam esse, sine vlla inordinatione, & voluptate, aut aliquo motu concupiscentiæ, vel spiritu sancto obumbrante, vel quia subito, & absque vlla commotione naturalium membrorum, facta est, & inde fit, vt non magis deroget integritati, & puritati virginis, quam solius sanguinis trāsmissio. Vnde etiam dicendum est, quando sancti dicunt formatum esse Christi corpus ex purissimis sanguinibus, vel à maiori potiori, & certiori parte, materiam hanc nominasse, vel certe sub illa necessariam seminis partem coprehendisse, quia semen quodammodo sub sanguine comprehenditur, quia ex sanguine decocto, & depurato conficitur *hæc Suar.* ex qua iam vides supradictam opinionem probabilem esse, & hæc de affinitate.

Nu. 85 Si forte coire nequibis, de hoc impedimento *agit Sanch. lib. 7. de matr. disp. 92. vbi num.* 1. inter alia aduertit, quid, & quotuplex sit impotentia, & circa primum habet esse vitium naturale, aut accidentale, impediens coitum: potest autem consurgere ex causa intrinseca naturali, vt ex viri frigiditate, aut ex feminæ arctitudine; frigiditas enim reddens coniugem impotentem, soli viro accidit, & licet hoc impedimentum, frigiditas vocetur, tamen aliquando potest etiā caloris excessus, virum impotentem reddere, ac matrimonium dirimere *vti habet Sanch num.* 13.

Nu. 86 Hæc autem impotentia duplex esse potest, vna naturalis, quę ex causa intrinseca, & naturali oritur, vt frigiditate, aut excessu caloris in viro, aut arctatione in femina; altera quę oritur ex causa extrinseca accidentali, vt ex maleficio, quod vtrique sexui commune est, aut ex castratione, quæ solis viris est peculiaris; item huiusmodi impotentia, vel est perpetua, vel temporalis: deinde alia est impotentia ad copulam: alia vero ad solam generationem, quæ vocatur sterilitas. Tandem impotentia perpetua, quædā est absoluta respectu omnium, quædā vero respectiua, respectu huius, vel alterius similis *ita Sanch. loco supra citato nu.* 1. *Reg. tom. 2. lib. 31. num* 99.

Hoc autem impedimentum duas habere debet conditiones, altera est, vt præcedat matrimonium, nā subsequēs, non dissoluit illud, altera, quod impedimentum sit perpetuum *ita Reg. loco citato num.* 99 §. *Vtraque autem, & num.* 100. quando autem est dubia, solet per leges expectari triennium ad talem impotentiam probandam *ita Reg.* §. *Porro* his igitur dictis. Nu. 87

Impotentia perpetua ad copulam, reddit irritum subsequens matrimoniū, secus autem temporalis, cuius vtriusque ratio est, quia obligatio ad copulam coniugalem, consurgens ex contractu matrimonij repugnat impotētiæ perpetuæ, impossibilium enim nulla potest esse obligatio, secus de impotentia temporali, nam qui in præsenti, licet non sit soluendus, tamen si spes fore sit in futurū, potest ad soluendum obligari *ita Sanch. num.* 2. Nu. 88

Vbi aduertas ad valorē matrimonij, non satis esse, vt vir sit potens vas femineum penetrare, sed requiritur, etiam, vt intra illud seminet, quare potens coire, impotens autem perpetuo ad semen emittendum in vas, vel quia nullo modo seminat, vel quia præ nimio calore, ita præpropere, vt vas expectare nequeat, est incapax matrimonij si id vitium ita sit perpetuum, vt nulla medicinæ ope tolli possit, quia per hanc copulam solam, deficiente semine, non fiunt vna caro *ita Sanch. num.* 7 *Reg nu.* 101 Quid autem, si vir non intra seminet, sed matrix attrahat *respondet Sanch. disp.* 99. *nu.* 37 esse irritum matrimonium, quia valor matrimonij non pēdet ex casu raro, ac fortuito. item quia verificatur virum illum esse impotentem ad seminandum intra vas. Nu. 89

Aduerte autem contingere posse interdum, vt impotētia sit respectu vnius perpetua, & non respectu alterius personæ, & tunc potest esse matrimonium cum illa, aut illo in ordine, ad quem nō est impotentia, *ita Sanch lib 7. disput. 93. num. 3. vbi num.* 5. probat huiusmodi impotentiam naturalem, perpetuam respectiuam probabilius esse dari posse, nā dari potest casus, vt naturaliter vir sit ita debilis virtutis, vt feminam virginē penetrare nequeat, cū tamē possit corruptā. Nu. 90

His

Nu. 91 His præmissis, item dicendum est impotentiam perpetuam ad copulam ex maleficio, & demonis arte, dirimere subsequens matrimonium, cum persona illa, ad quam est impotentia *ita Sanch. lib. 7. disp. 94. nu. 8. vbi num. 2.* assignat quinque modos, quibus demonis arte solent malefici, viros impotentes ad copulam reddere, quos apud ipsum *& num. 9.* habet censeri maleficium perpetuum, si non possit auferri per opus humanum, nisi per aliud maleficium, sicuti impedimentum censetur perpetuum, si absq; peccato auferri nequeat, at maleficium, maleficio tollere, grauissimum peccatũ est: Item censetur perpetuum, licet tolli possit per diuinum miraculum, secus per Ecclesiæ exorcismos *ita Sanch. num. 10. vbi num. 11.* ait censeri, etiam perpetuum impedimentum maleficij, iuxta aliquos doctores, si à solo maleficij auctore, etiam modo licito auferri potest; quamuis ipse censeat esse tunc temporale, nec per illud dirimi matrimoniũ.

Nu. 92 At vero quando constare nequit, perpetuum ne sit, an temporale maleficiũ, præsumetur perpetuum, ac dissoluetur coniugium, quando triennio coniuges dedere operam carnali copulæ, nec perficere potuere *ita Sanch. num. 12.*

Nu. 93 Impotentia perpetua ad copulam, siue sit absoluta, siue respectu alicuius, dirimit subsequens matrimonium iure naturali, non autem pontificio, patet, quia carens perpetua potentia, ad copulã coniugalem habendam, non potest tradere alteri potestatem ad eum actũ, compossibilium nulla sit obligatio, sed essentia matrimonij cõsistit in perpetua obligatione, & traditione potestatis corporis ad copulam cõiugalem, maneat igitur cum res naturaliter absque sua essentia consistere nequeat, repugnare naturæ matrimonij, id validum esse, existenti ea impotentia, ac proinde ipso attento iure naturæ, irritum esse *ita Sanch. lib. 7. disp. 98. num. 2.*

Nu. 94 Vbi aduertas, quod habet *num. 4.* scilicet dirimi quoque iure naturæ matrimonium, quando vir non est omnino frigidus, vt quia semen verum omnino emittit, vt præ nimio calore, statim semen spargit extra vas, aut ex indebita membri figura, aut debilitate, non potest intra vas seminare, nec his morbis aliqua medica arte succurri potest: itẽ dirimi iure naturæ matrimonium per impotentiam perpetuam, quæ non est absoluta respectu omnium, sed tantum respectiua, ad aliquam personam: item inter infideles, esse matrimonium irritũ ob impotentiæ ad copulam coniugalẽ impedimentum.

Hæc, & superius impedimenta dicta fuut de iure antiquo, *Tridentinum autẽ* addidit alia duo. Primum est raptus. Secũdum si sine præsentia Parochi, & duorum testium matrimonium contrahatur, quare vt breuiter explicentur. Nu.

Raptus, de quo agit *Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7. disput. 13. & de quo Trid. sess. 24. de matr. cap. 6. agit, aliquot pœnas raptoribus statuens,* est quando rapitur mulier inuita, causa contrahendi matrimonij, dum durat raptus, non potest illam ducere in vxorem, nisi illam constituat, in loco libero, & tunc si illa velit consẽtire tenet matrimonium, quare inter raptorem, & raptam consistere nequit matrimonium, quandiu rapta in potestate raptoris manserit *ita Sanch. loco supra citato num. 2.* secus si extra illius sit iam potestatem, & in loco tuto, & libero cõstituta *ita ex Trid. loco supra citato* vbi etiam alias pœnas raptoribus statuit, vt raptores, ac consilium, auxilium, aut fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, perpetuo infames, ac omniũ dignitatũ incapaces, & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant: item vt raptor teneatur raptam, decenter arbitrio iudicis dotare, siue eam duxerit, siue nõ *hac Trid. vnde Sanch. loco supra citato nu. 1.* licet asserat hanc excommunicationẽ esse latæ sententiæ, & nullum iudicis actum desiderare, tamen non esse Pontifici reseruatã *ita etiam Barb. in Trid. sess. 24. de matr. cap. 6. num. 12. vbi affert Hurtadum asserentem* raptores statim absq; alia declaratione excommunicatos manere, etiam si postea ducant raptam. Nu. 96

Ex quo sequitur *Tridentinum* loqui de raptu solo feminarum causa contrahendi, cum eis matrimonium *ita Sanch. lib. 7. disp. 13. num. 4. Reg. tom. 2. lib. 31 nu. 165. Guttier. Saized. & alij citati apud Barb. in Trid. sess. 24 de matr cap. 6 nu. 2.* vnde si quis rapuit feminã, libidinis causa, Nu. 97

sa,& cum illa matrimonium contraxit, non punitur huiusmodi raptus in hoc Tridentini decreto *ita Sanch. numer.* 5. vbi aduertit nisi fieret simul causa libidinis, ac matrimonij ineundi, quia tunc ea sola ratione, quod causa matrimonij fieret comprehenderetur sub hoc decreto.

Nu. 98 At vero è contra *Sanch. Emanuel Sà verb. matr. num. 9. Ochag. Bonac. citati apud Barb. num.* 3. putant, non solum illũ esse raptorem, qui abduxit feminam, causa contrahendi, sed etiam, qui abduxit tantum, causa explendæ libidinis, & consequenter subiacere pœnis constitutis, in hoc decreto quare *Sa* aitinter raptorem, & raptam etiam alia causa, quam vt vxor ducatur, quandiu est in potestate raptoris, non posse fieri validum matrimonium *ex Concilij Tridentini decreto* Tu vero sententiam *Sanch.* tene, quia licet *Tridentini decretum cap.* 6. videatur esse dubium, an vniuersaliter loquatur, vel tantum de raptu causa contrahendi facto, tamen vbi textus est dubius, rubrica probat qualiter sit intelligendus, & textus in dubio intelligendus est, vt conueniat rubricæ, sub qua continetur vnde *cum huiusmodi Tridentini decretum* licet sit dubium, contineatur sub rubrica de reformatione matrimonij, intelligendum est de raptu solo causa contrahendi facto *ita Diana tract. 4. de sacr. resol.* 261.

Nu. 99 Sequitur secundo *per Tridentinum* solum eam raptus speciem puniri, per quẽ uis infertur puellæ, non parentibus, vnde si illa consentiat, etiam si rapiatur, vim parentibus inferendo, validum erit matrimonium *ita Sanch. num.* 13. quam opinionem probabilem putant *Coninch Fill. citati apud Dianam tract. 4. de sacrã. resolut.* 261. §. *Notandum est quare Sanch. aduertit num.* 13. si autem virgo nolens abducatur, parentibus volentibus, erit vtique locus huic pœnæ, quia sola voluntas feminæ, eiusue contradictio in eo decreto attenditur.

Nu. 100 Quamquam *Salzed. Henriq. Vega, & alij citati apud Barb. in Trident. sess. 24. de matr. num* 3. existiment raptum, quo femina inuitis parentibus, ipsa tamen cõsentiente, rapitur, dirimere matrimonium. Tu vero tene superius sententiam *apud Sanch. citatam* quia huiusmodi *Tridentini decretum* libertati matrimonij fauere intendit, & cauere ne femina retinens, cogatur illud inire.

An raptus cuiuscunque feminæ, siue virginis, siue corruptæ, siue meretricis, & inhonestæ, coniugatæ, & cuiusuis status comprehendatur, in eo decreto, affirmant *Sanch. lib. 7. disp. 13. nu.* 14 *Reg. tom. 2. lib. 31. num. 165. vers. sextum est Bonac. citatus apud Barb. num* 4. Nu. 101

Aduerte, quod habet *Sanch. numer.* 9. scilicet non esse locum his pœnis si femina volens abducta sit, quamuis abductione sequuta, voluntatem mutet prioris facti Pœnitentia ducta, secus si principio abductioni renitatur, quãuis post abductionem factam, velit *vbi num.* 16. ait nec esse locum his pœnis, si femina virum rapiat nolentem, vt secum ineat matrimonium, quia *Tridentinum* de solo viro raptore verba facit *vnde Barbos. nu.* 5. habet cum hoc decretum loquẽs de raptore, sit odiosum, & pœnale non esse extendendum ad raptricem *quamquam Henriq. Vega, & alij apud ipsum* existiment raptum, quo femina rapit virum dirimere matrimonium. Nu. 102

Nec comprehenditur hoc decreto, raptus propriæ sponsæ de futuro, reclamantibus parentibus, quia iure communi raptus hic à pœnis liberatur *ita Sanch. num.* 15. nec comprehẽditur raptus, si solis importunis præcibus, aut pretio conducta femina, extrahatur, quia vere non est raptus *ita Sanch. numer.* 11. *sicuti num.* 12. ait si dolis circumuenta virgo extrahatur, non esse locum his pœnis, quia non est proprie raptus. Nu. 103

An vt raptus dirimat matrimoniũ, requirat traductionem de loco ad locũ, affirmatiue respondet *Sanch. num.* 7. vnde aliqui Doctores citati *apud Barbos. in Trid. sess. 24. de matr. cap. 6. numer.* 8. asserunt raptum non committi ab eo, qui virginem repertam in domo patris, vel in alia domo, non educit de ea domo, sed illam ibi opprimit, aut trahit de vno cubiculo, in aliud, vt ibi illam commodius violet, & idem dicendum asserũt, si virginem in agro repertam, inde trahat per aliquos passus, vt abutatur, secus si inde deducat in aliquam domum extra illum agrum, aut in alium locum. Nu. 104

An

Nu. 105 In prædictum *Tridentini* decretum irritet etiam sponsalia celebrata inter raptorem, & raptam, dum rapta est in potestate raptoris, etiam si libere consentiat affirmatiue respondent *Sanch. n. 17. Vega, Bonac. & alij citati apud Barb. in Trid. loco supra citato num 9.* & hæc de raptu.

Nu. 106 Si clandestinus initis, de hoc impedimento agit *Sanch. tom. 1. de matr. lib. 3. disp. 17. vsque ad disp. 54* & sine præsentia Parochi, vel alterius sacerdotis de licentia illius, vel ordinarij, cum duobus testibus copulatiue, vti nos supra diximus, quæ clandestina vocantur matrimonia, & hodie contracta irrita sunt vt constituit *Trid. sess. 24. de refor. matrim. c. 1.* dicēs matrimonia aliter contracta, quam præsente Parocho, vel alio sacerdote de eiusdem Parochi, aut Ordinarij licentia, & simul præsentibus duobus, vel tribus testibus, nulla, & irrita esse, posse autem hoc facere Ecclesia, probant *Sanch. tom. 1. de matrim. lib. 3. num. 2. Barb. in Trid. sess. 24. de refor. cap. 1. nu. 126.* nō quia possit mutare substantialia sacramentorum, sed quia cum sacramētum matrimonij consistat in quodam contractu politico potest præcipere Ecclesia suis subditis, vt contrahant hunc contractum his, vel illis cōditionibus, alioquin sit nullus *ita Magister meus Ioseph Augustinus breuis notitia de sacr. matr. nu. 33.* vnde consequenter non tenet matrimonium, in quātum sacramentū, cum fundetur in vero, & valido contractu *ita Sanch. tom. 1. de matr. lib. 3. disput. 4. num. 6.* vbi totum hoc probat quia sublato fundamento, tollitur ædificiū; sed contractus humanus, qui subiacet Ecclesiasticæ potestati, est fundamentū, & materia sacramenti matrimonij, ergo irritato per ecclesiam contractu humano, indirecte, & consequenter irritatur sacramentum matrimonij *ita etiam Diana par. 8. tract. 1. resol. 59. §. Ex his.*

Nu. 107 Et licet fides catholica doceat matrimonia clandestina ante Tridentinū fuisse valida *ita Sanch tom. 1. de matr. lib. 3. disp. 3. num. 2.* tamen post Tridentinū clam absque Parocho, & testibus cōtrahere esse peccatum mortale *ait Sanch. num 6. Barb de off. & potest. Epis part. 2. alleg. 32. num. 140 & in Tridēt. sess. 24. de matr. cap. 1. num. 129.* quia inualide contrahit, & facit irritum sacramentum cōtra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, *vnde Diana loco supra citato §. Sed his*, probat potuisse Pontificem irritare huiusmodi matrimonia clandestina vt patet *in Trid. sess. 24. cap. 1. de matr.*

An vero sola Ecclesiastica lege clandestinum matrimonium interdictum sit, affirmatiue respondēt aliqui *apud Sanch. tom. 1. de matr. lib. 3. disp. 3. num. 7.* At ipse verius ait esse culpam læthalem contra ius naturæ, patet quia clam contrahere ex natura rei continet in se mala grauia, cedit enim in prolis detrimētum, & vtriusque coniugis, cum facile possint ad alias nuptias transire, & est Reipublicæ nociuum, contrariumque eius paci, ac quieti, vnde infert *Sanchez* infideles clam contrahentes lethaliter peccare contra iux naturæ *vbi num. 9.* respondet ad primum argumentum pro contraria sententia allatum, scilicet quod intrinsice, & ex natura rei malum est, nunquam licet; matrimonium autē clandestinum, in multis casibus, olim licebat ergo: vnde ait quædam esse intrinsice mala, quæ nulla ex causa honestari possunt, vt mendacium, fornicatio: alia vero ex natura rei mala, non tamen intrinsice, quia iustis de causis honesta esse possint, vt occidere hominem, habere plura beneficia, & huius generis est matrimonium clandestinum, verum de hoc apud Sāch. vnde *Diana par. 8 tract. 1. resol. 59. §. Sed si quæras* affert *Dominicū Sotum* sentientem in certas causas, licitum esse clandestine contrahere matrimonium, ita vt sit ratum, tamen sine cōcludit Sacram congregationem contrarium respondisse, & nos iam alibi. Nu. 108

Sed tandem si quæras an contrahere cum impedimento dirimēte sit duplex peccatum, affirmant enim viri docti, & cum magna probabilitate, vt testatur *Petrus de Ledesma de matr. quæst. 50. art. 1. diff. 3. post secundā conclusionem*, & reddunt rationem, quia vltra culpam transgressionis iuris naturalis, aut ecclesiastici secundum quod est impedimentum, reperitur sacrilegium irritationis sacramenti matrimonij, *sed Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7. disp 5. num 1.* probabilius iudicat vnum tantum esse peccatum, quia con- Nu. 109

contraueniunt præcepto iuris naturalis, si de iure naturæ sit impedimentum, vel Ecclesiastici, si sit de iure Ecclesiastico, nam contrahêtes quantũ est ex se non faciunt irritum sacramentum, sed ius Ecclesiasticum, aut naturale statuēs id impedimentum illud irritat, quare solum sunt transgressores iuris naturalis, aut Ecclesiastici, secundum quod est impedimẽtum, & cum sit in re maximi momenti peccatum est mortale *ita Sāchez loco supra citato, & Fill. citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resol.* 297. & hæc de impedimentis dirimentibus, vt autē impedimenta quæ impediunt explicemus.

QVAERES SEPTIMO.

Quænam sint impedimenta impedientia tantum.

Nu. 1 IMpedimēta tandem, quæ impediũt, sed non dirimunt matrimonium, duo numerari solent, scilicet interdictũ Ecclesiæ, & tempus feriarum: alia autē vt ait *Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7. disput. 6. num.* 5. non solent poni seorsum in numerum, quia reducuntur ad impedimē ta dirimentia, vt votum simplex, ad impedimentum voti solemnis, sponsalia ad impedimentum ligaminis, catechismus ad impedimentum cognationis, crimina ad impedimentum criminis, sed maioris claritatis, hæc impedimenta sunt duplicis generis, quædam non consurgunt ex crimine aliquo, & hæc sunt quinque, quæ his versibus continentur.

Nu. 2 *Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum*
Atque Catechismus, sponsalia iungito votum
Impediunt, fieri permittunt, facta teneri.

Nu. 3 Quæ vero ex crimine proficiscuntur septem sunt, que his versibus continentur.

Nu. 4 *Incestus, raptus sponsæ, mors mulieris,*
Susceptus propriæ sobolis, mors presbiteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc coniugiũ sociandum.

Verum aduerte, quod annumeratur inter crimina, solemnis Pœnitentia nō quod crimen sit, sed quia ob crimen imponitur *vt ait Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7 disp. 6. num. 5. §. Annumeratur.* Nu. 5

Interdictum, scilicet prohibitio specialis Episcopi, ne aliquæ personæ in particulari contrahant, ob legitimam causam, vt ad sedãdum scandalum, vel ad discutiendam impedimenti obiecti veritatem, hoc interdictum impedit matrimonium licite contrahi, non tamen dirimit *ita Sanch. loco supra citato n.* 6. vbi etiã habet posse etiam Parochos ad tempus interdicere matrimonium contrahi, nomine autem huius interdicti potest etiam intelligi prohibitio Ecclesiæ, ne matrimonia clam ineantur, quæ olim non dirimebat matrimonia, at iam hodie si ita clam celebrentur, vt desint Parochus, & duos testes modo supradicto sunt irrita, si vero solæ denunciationes, culpa admittetur, valebit tamen matrimonium, sed de hoc infra. Nu. 6

An tempore interdicti liceat matrimonium inire, affirmatiue respondet *Sanch. lib. 7. disp. 8. num. 2.* quia ea sola sacramenta censentur tempore interdicti vetita, quæ pure sacramenta sunt, & omnino spiritualia; at matrimonium est cõtractus quidam naturalis, cui per accidēs adiecit Christus Dominus sacramē tirationem. At vero insurgit contrà *Sanch. Basilius Pontius citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resol.* 267. negatiue respondens, quia generali prohibitione vetitum est, sacramenta ministrare tempore interdicti, exceptis Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Eucharistia per modum viatici, cum ergo matrimonium vere, & proprie sacramentum sit, nec excipiatur à supradicta generali prohibitione, illa comprehēdi censetur vtramque sententiam probabilem putat *Diana loco supra citato*, & hãc *Pontij* sententiam sequitur etiam *Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. num* 15. Nu. 7

Vbi habet cauebit etiã *Parochus*, ne tempore interdicti, aut personarum interdictarum matrimonijs, intersit, quia tunc hoc non licet *ita etiam de off & potest. Episc. par. 2. alleg.* 32 *numer.* 200. vbi Nu. 8

vet'orem existimat sententiam aductā *num:* 197. asserentem matrimonium licitum non esse, neque absque peccato contrahi posse, tempore interdicti, vel à personis Interdictis, & citat pro se *Vgol. de censuris Suar. tom. 5. disp. 33. sect. 1. & alios*.

Nu. 9 Tempus feriarū, scilicet interdictio sollemnitatum nuptiarum, certis temporibus, & licet iure veteri, pluribus tēporibus sollemnitates nuptiarum interdicebantur, scilicet ab Aduentu ad Epiphaniam à Septuagesima ad octauam Paschatis, à diebus Rogationum ad octauam Pentecostes, vti refert *Sanch. lib. 7. disp. 7. num. 1.* tamen *Trid.* huiusmodi prohibitionem temperat, & solum interdicit ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi ad Epiphaniam, & à feria quarta cinerum, vsque ad octauam Paschatis, vt videre est *sess. 24. de matr. cap. 10.* vbi habet, ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi, vsque in diem Epiphaniæ, & feria quarta cinerum, vsque in octauā Paschatis inclusiue, antiquitas solemnium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus obseruari sancta Synodus præcipit, in alijs vero temporibus, nuptias solemniter celebrari permittit.

Nu. 10 An dies præcedens Dominicā Aduētus, & dies cinerum saltem à vesperis comprehendatur *decreto concilij Tridentini* est res controuersa inter doctores nam *Sanch. tom 2. de matr. lib. 7. disp. 7. n. 2.* ait de feria quarta cinerum nullam prorsus esse difficultatem, quia prohibitio incipit, à media nocte illius feriæ quartæ, quia totum officium diei præcedentis, etiam completorium, minime pertinet ad diem sequentem, & quidē, quod attinet ad diem cinerum, conueniunt doctores non incipere prohibitionem, nisi à media nocte, itaq; integro die martis, sollemniter nuptias celebrari posse fatentur: at quod spectat ad Aduentum Domini non pauci doctores, inter quos existimat *Sanch.* in vesperis præcedentis diei esse nuptias prohibitas, nisi vbi consuetudo aliud approbauerit, & reddit rationem, quia officium Aduētus incipit à vesperis sabbati præcedentis, quamuis per accidens fiat aliquando sola commemoratio, propter festum maius occurrens.

Verum *Basilius Pontius citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resol. 202.* contrarium putat, scilicet prohibitionem incipere à media nocte, atque in sabbato integro, ante Dominicam primam Aduētus nuptiarum sollemnitatem, non esse prohibitam, quia nomine Aduentus Domini, intelligitur prima Dominica Aduentus, quæ incipit à media nocte, quā opinionem probabilem putat *Diana loco citato contra Sanch. sicuti, & alij contra Sanch. etiā citati apud Barb. in Tridēt. sess. 24. cap. 10. num. 2. § Contra.* Nu. 11

Quare cauebit Parochus, ne ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi, vsq; ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum, vsque in octauam Paschæ inclusiue nuptiarum sollemnitates celebret, aut benedictiones faciat, vt statuit *Trid.* quare culpa esset lethalis huic præcepto contrauenire, ita inter alios *Sāch. lib. 7. disp. 7. num 3. Barb. in Trid. loco citato n. 3.* quamquam *Iacobus de Graffis citatus apud Dianam* tantum peccatum veniale in hoc agnoscat. Nu. 12

Vbi aduertas, quod habet *Sanch. loco supra citato num. 4.* scilicet Sacerdotem aduersus hoc præceptum benedicentē nuptias, eo tempore vetito, graui pœna plectendum esse, arbitraria tamen, cum nulla in iure præscripta sit vti ait *Barbos. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. nu. 12* Nu. 13

At vero sponsos ipsos, id præceptum transgredientes, esse in delicti pœnam, ad tempus separandos *vti ait Sanch. loco supra citato nu. 5.* vnde habet id tempus, quo separandi sunt, esse dum feriarum tempus, quo interdictæ sunt nuptiarum sollemnitates, durat, quare bene aliqui doctores, hoc temperant, nisi esset periculum in continentiæ, in altero cōiuge, tunc enim à separatione prædicta, abstinendum esse, & aliā pœnā iniungendā. Nu. 14

Denunciationes vero, de quibus infra, matrimonio præmittendas, constat posse tunc fieri *ita Sanch. tom. 1. de matr. disp. 7. lib. 7. num. 8. Barb. in Trid. sess. 24. cap. 10. num. 4.* sicuti matrimonium eo tempore, nullatenus interdictum est, si absque magna sollemnitate, & pompa fiat *ita Sanch. num. 12.* quam sollemnitatem explicans *nu. 16.* ait esse solam sollemnem traductionem sponsæ, in sponsi do-

domum, & nu. 17. explicans quid intelligatur, nomine traductionis sollemnis prohibitæ, eo tempore, intelligi conuiuio, & alijs vanæ letitiæ signis comitatã traductionem.

Nu. 16 Si iterum queras, quale peccatum sit, hisce diebus vxorem traducere, conuiuia solemnia facere, aliaque secularis letitiæ signa exhibere, ad quam quidem difficultatem, quidquid dicat *Basilius Pontius citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resol. 266. vbi §. Sed contrariam* habet sponsum traducentem solemniter sponsam in domum suam, ac conuiuia facientem, peccare mortaliter. Tamẽ negatiue respondet *Sanch. loco supra citato num.* 18. vbi sic ait verum (vt meam sententiam explicem) solas nuptiarum benedictiones hoc tempore vetitas esse sub mortali existimo, quia generali consuetudine receptum esse video, vt sponsæ eo tempore in sponsi domum traducantur, conuiuiaque fiant, ac alia letitiæ signa præbeantur, conniuentibus prælatis, quare si hæc moderata sint, nullam culpam agnosco, si aliquantulus sit excessus, solam venialem, mortalem autem minime, nisi vbi nimius esset excessus, itaut sanctitati prædictorum temporum, notabiliter detraheretur, & ansa notabilis iure optimo offensionis, ac scãdali spectantium animis tribueretur *ita Sanch.*

Nu. 17 Tandem matrimonium consumare his temporibus, prohibitum non esse ratione illius temporis, nisi alia mala circumstantia vestiatur *docet Sanch. nu.* 23. *Reg. tom.* 2. *lib.* 31. *num.* 189.

Nu. 18 Catechismus, ad explicationem huius particulæ præmittendum est primo, quid sit Catechismus, est instructio fidei, quæ fit ante ianuam Ecclesiæ super baptizando, & dicitur, (à Catechizo) scilicet instruo *ita Sanch. lib.* 7. *disput.* 10. *num.* 1. præmittendum secundo eum, qui tenet puerum in cathecismo, contrahere cognationem spiritualem, imperfectam quidem impedientem, nõ autem dirimentem matrimonium *ita Sanch. num.* 2. *vnde num.* 3. optime asserit oportere vt is patrinus in toto catechismo teneat, vt hanc cognationem contrahat, & *num.* 4. habet nec satis esse tenere in catechismo, sed eum contrahe re hanc cognationem, qui infantis personam gerit, respondens ad fidei interrogata, dum sacerdos rogat; an credat, quare sicuti in Baptismo, hæc cognatio spiritualis contrahitur, per eleuationẽ pueri de sacro fonte, ita in cathechismo per professionem illam fidei, nomine infantis factam, catechismus enim est quædam fidei instructio.

Et licet aliqui censeant, cathechismũ non producere hanc cognationem matrimonium impedientem, nisi quando Baptismo coesistit, & alij quando absq; Baptismo fit, vt videre est *Sanch. num.* 8. tamen dicendum puto nihil conferre, siue catechismus solus, siue vna cum Baptismo concurrat, illud tamen negandum non est, quoties est idem Patrinus in catechismo, & in Baptismo vnicam pulutare cognationem, superflua enim esset alia, at vbi diuersi sunt patrini, vterque suam cognationem contraheret, *ita Sanch. loco citato num.* 8. vide etiam *nu.* 9. Nu. 19

Verum potissima difficultas est, an hodie hoc catechismi impedimentum, sublatum sit prorsus *per Trid. sess.* 24. *de matr. cap.* 2. & licet valde probabilis sit opinio eorum, qui post Tridentinum scribentes asserunt huiusmodi catechismi impedimentum adhuc manere, tamen verior sententia habet huiusmodi catechismi impedimentum esse omnino sublatum, modo supradicto *ita Reg. tom.* 2. *lib.* 31. *nu.* 190. *Petrus de Ledesma Rebella, Guttier. Bonac. & alij citati apud Barb. in Trid. sess.* 24 *de refor. cap.* 2. *num.* 41. *Basilius Pontius citatus apud Dianam tract.* 4 *de sacr. resol.* 260. *Sanch. de matr. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 10. *num.* 12. *vbi ex Trid.* probat in Baptismo, vel confirmatione tantum contrahi hanc spiritualem cognationem, vbi sic ait, hanc opinionẽ esse modo communem. Nu. 20

Sed quia contraria opinio est etiam probabilis, valde notandum est, quod habet *Sanch. loco supra citato num.* 13. expedire vt Parochus describat in libro, quem habere debet ad describendum, nomina patrinorum Baptismi iuxta *Tridentinum sess.* 14. *de matr. cap.* 2. an sint illi patrini in toto catechismo, quod puer sit iam baptizatus, quia latissima est differẽtia, num in Baptismo tenuerint, Nu. 21

an.. solo catechismo quia in priori casu, et. impedimentum dirimens, in posteriori autem ad summum impediens, iuxta opinionem eorum contrariam, quæ probabilis est, & iuxta veriorem sententiam est nullum impedimentum, vnde nō fideliter id scriberet Parochus nisi adnotaret solius catechismi eos patrinos fuisse, & tenetur hoc facere Parochus, vti habet *Sanch loco citato num. 12. vnde Guttierrez citatus apud Dianam resol. supra citata fine* ait licet Parochus ad hoc teneatur, tamen præcisè, & in rigore nō videri hoc onus sub peccato mortali Parochis imponere.

Sponsalia quoque priora, impediunt
Nu. 22 matrimonium, qui enim contraxit sponsalia, cum aliqua, antequam soluantur talia sponsalia, non potest contrahere cum alia, etiam si hæc secunda non sit consanguinea *ita Tol. lib. 7. cap. 18. nu. 4.* nam si esset consanguinea posset esse impedimentum dirimens modo supra explicato.

Nu. 23 Votum simplex, non autem solemne religionis, pro quo vt distintius procedamus aduerte primo, quod votum simplex castitatis impedit matrimonium licite iniri, non tamen dirimit initum *ita inter alios Sanch tom. 2. de matr. lib. 7. disp. 11 num. 4. vbi num. 6.* habet similiter impedire matrimonium licite contrahi, non tamen illud dirimere, simplicia vota ingrediendi religionem, assumendi ordinis sacri, non ineundi coniugij, & iuramentum de his rebus, vel de castitate seruanda factum.

Nu. 24 Aduerte, his votis astrictum, non posse matrimonium absque dispensatione iniri, quamuis vehementissimis carnis stimulis vrgeatur, expertusq; sit passim se succumbere, nec vires ad resistendū sentiat, siue votum antecesserit difficultatem hanc se continendi, siue subsequutum sit *ita Sanch num. 9. vbi num. 11.* habet scienter contrahentes cum habēte votum castitatis, peccare mortaliter, qui vero tale votū vouit, non solum peccat contrahendo, sed etiā consumando matrimonium *ita Tol. lib. 7. summæ cap. 18. §. Secundo.*

Nu. 25 Et hæc sunt impedimenta matrimonium impedientia, quæ ex crimine non oriuntur, illa vero, quæ ex crimine proficiscuntur hæc sunt.

Incestus, de quo *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 15.* scilicet admissus à viro cum cōsanguineis suæ vxoris impedit, non tamen dirimit matrimonium vnde hoc impedimentum interdicit viro, vel mulieri committentibus huiusmodi delictum aliud matrimonium, cum quacunque alia persona contrahere *ita inter alios Sanch. loco supra citato numer. 1. & 2. vbi num. 3.* habet nec tantum ipsis coniugibus incestus huiusmodi reis interdicitur aliud matrimonium, sed etiam illis consanguineis, cum quibus alter coniux incestum admisit. Nu. 26

Et licet huiusmodi impedimentum attento iure communi extendebatur, vsque ad quartum gradum, itaut coniux incestum admittens cum cōsanguineis alterius coniugis, intra quartum gradū incurreret hoc impedimentum tamen hodie *ex Trid sess. 24. de matr. cap. 4.* restrictum est ad secundum gradum, ac proinde ex copula cum consanguineis coniugis citra secundum gradum, non oritur hec affinitas cum altero coniuge, quam esse causam huius impedimenti diximus supra, inde est vt hoc impedimentum sit quoque restrictum, & hodie non oriatur nisi ex incestu cum consanguineis coniugis, intra secundum gradum *ita Sanch. lib. 7. disput. 15. num. 4.* Nu. 27

Ex incesto autem occulto, multi habent non consurgere huiusmodi impedimentum ita inter alios *Emanuel Sà verb. matr. num. 7.* quam opinionem *Sàchez num. 13.* non approbat, quia cum incestus sit eius naturæ, vt semper occulte committatur, raro esset locus huic impedimento. Nu. 28

Raptus, de quo *Tridentinum sess. 24. de matr. cap. 6.* & nos iam supra, quare legite quæ ibi: intelligitur autem hic de raptu sponsæ alienæ *Sà verb. matr. nu. 8.* Nu. 29

Mors mulieris, de qua *Sanch. lib. 7. disput. 16.* scilicet non facta animo ad aliud matrimonium transeundi, quia vt sic ad impedimentum criminis, quod matrimonium dirimit pertinet, sed facta alia causa, vt ait *Sanch. num. 1.* nempe iræ, odij, vindictæ, adulterij, & tunc vxoricidium est impedimentum, ne vir aliam ducere possit, non tamen dirimere matrimonium postea initum, & hoc ve- Nu. 30

verum est, quamuis maritus vxorem, in adulterio deprensam enecet, propria auctoritate, quia licet leges id impune permittant, tamen ius canonicum spectans culpam mortalem in ea occisione repertam, eam minime permittit *ita Sanch. num. 2. vbi num 6* ait vxorem virum interficientem, nõ incurrere idem impedimentum ad matrimonium ineundum *vide Emanuel Sa verb. matrim. num 6.*

Nu. 31 Susceptor propriæ sobolis, scilicet eleuatio proprij filij de sacro fonte, animo insidiandi matrimonio facta ad priuandum alterum coniugem, debito coniugali, obstat matrimonio ineundo, vbi illud dissolutum fuerit, si tamen sic leuãs aliud inierit, erit validum *ita Sanch. lib. 7. de matr. disp. 6. num. 8.* vbi habet idem dicendum esse si fiat patrinus filij, alter coniux tenens eum in confirmatione, eodem animo insidiandi matrimonio.

Nu. 32 Mors præsbiteralis scilicet interfectio sacerdotis impedit matrimonium, non tamen dirimit, desideratur tamen ad hanc pœnam incurrendam, vt is interfector conuinctus sit in iudicio contentioso eius criminis *ita Sanch. loco citato disp 6. num. 9.*

Nu. 33 Vel si pœniteat sollemniter, scilicet sollemnis Pœnitentia ita matrimoniũ impedit, vt illud minime dirimat, intellige quandiu Pœnitentia illa durat, tamen cum Pœnitentia sollemnis non sit in vsu, cessat hoc impedimentum *ita Sanch loco citato num 9.*

Nu. 34 Aut monialem accipiat, scilicet sanctimonialem ducenti scienter interdicitur matrimoniũ contrahendo, quia delinquens in matrimonium sponsæ Christi, indignus est matrimonio, at si contrahat, factum tenet *ita Sanch. num. 11.*

Nu. 35 Aduerte tamen huiusmodi impedimẽta non dirimentia esse iure ecclesiastico inducta, præter sponsalia priora, & votum, quæ iure naturali, & diuino obligãt fidem seruare, illa homini, hoc Deo, ac proinde iure eodem impediunt matrimonium *ita Sanch. lib. 7. disp. 17. num. 13.*

Nu. 36 Atque ex hoc sequitur, non posse Episcopum in sponsalium impedimento dispensare, quamquam possit Pontifex *vti habet Sanch. loco citato num. 13* in voti autem impedimento, quis dispensare possit, licet ad aliam pertineat materiã, tamen breuiter dico cum ex consuetudine reseruentur Pontifici votum religionis, & castitatis non posse in his Episcopum dispensare, verum de hoc legite *Sanch. tom. 3. de matr. lib. 8. à disp. 9. vsque ad 13.* in alijs vero impedimentis impedientibus, posse Episcopum dispẽsare, nulli dubium est *ita etiam Diana tract. 4. de sacr. resol. 259. Sanch. num. 15. lib. 7. disp. 16.*

Aduerte etiam, impedimenta, quæ impediunt, sed non dirimunt, & quæ in vsu extant, secundum aliquos doctores, hæc tantum tria esse, scilicet. Primum interdictum modo supra explicatum. Secundum votum simplex castitatis, aut religionis. Tertium sponsalia modo supra explicata, quare *Diana loco supra citato* ait impedimenta criminum, scilicet Vxoricidium, Præsbitericidium, Matrimonium cum Moniali scienter initum, propriam prolem de sacro fonte suscipiens in fraudem vsus coniugalis, sollemniter Pœnitens, raptus sponsæ alienæ, incestus cum consanguineis coniugis, aut sponsæ adhuc viuentis, intra secundum gradum modo supra explicata, sunt per diuturnam consuetudinẽ penitus sublata, vnde si huiusmodi incestuosi, aut vxoricidij, &c. contrahere velint non tenentur; super huiusmodi criminibus dispensationẽ prius petere *ita Diana loco citato §. Vnde.* Nu. 37

An sit peccatum mortale cum his tribus impedimentis solum impedientibus, & non dirimentibus, quę secundũ aliquos in vsu extant matrimonium contrahere. Nu. 3[illegible]

Et primo, circa Interdictum, quando scilicet est impedimentum interdicti Ecclesiæ modo supra explicato, licet aliqui asserant esse culpam mortalem cõtra illud contrahere, alij solam venialẽ tamen *Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7. disp. 17. num. 1 fine* habet non semper esse culpã mortalem, contra id interdictum contrahere, sed attendenda est causa prohibitionis, & iuxta eam, res hæc metienda erit, quis enim dicet esse mortale, quando solum ob honorem dei est prohibitio, aut si causa alicuius impedimẽ- Nu. [illegible]

ti

ti obiecti,& contrahentibus constat falso in positũ esse, vnde caute *Petrus de Ledesma* non dixit semper esse peccatũ mortale contrahere contra interdictũ Ecclesiæ,sed aliquando *hæc Sanch.*

Nu. 40 De prioribus sponsalibus *ait Sanch. loco supra citato lib.7.disp.6.numer.7.* qui enim sponsalia cum aliqua contraxit tenetur sub mortali,nisi iusta dissoluendi causa adsit,non transire ad aliud matrimonium,at si transeat erit validum.

Nu. 41 Ex dictis patet quid dicendum sit de voto,& legi potest *Sanch.lib. 7. disp. 11. num.8. & disp.17.num.2.* & hæc de impedimentis, verum vt aliquid dicamus circa Pontificis potestatem, in ordine ad sacramentum matrimonij.

Nu. 42 Animaduertendum est primo, licet Ecclesia non potuerit mutare materias, & formas sacramentorum : vnde cum matrimonium sit sacramẽtum, videtur non potuisse Ecclesiam impedimenta matrimonium dirimentia statuere,reddendo inhabiles personas ad verũ matrimonium incundum,cum hæ personæ sint matrimonij materia. Tamen fide catholica tenendum est, posse Ecclesiã impedimenta matrimonium dirimentia statuere,quare matrimonium,aduersus eam prohibitionem contractum,esse nullum docet *Sanch lib. 7. de matr. disput.1.num.2.* vbi habet Nec id esse mutare essentiam, aut variare materiam, & formam sacramenti,sed irritum facere contractum humanum,qui in sacramento matrimonij prærequiritur *vnde nouissime* Diana *par.8.tract.1.resol.49.ad primum argumentum* §. *Itaque ex his* ait ex hoc non dici materiam, & formam matrimonij mutasse,quia hæc, non sunt personæ,& consensus quomodocunque spectati, sed personæ legitimæ,similiter legitimi consensus. Porro Ecclesia non facit,vt personæ legitimæ, & consensus legitimus non sufficiant ad valorem matrimonij, sed solum, vt personæ aliter contrahentes,quam prescribit,nec sint, nec censeantur legitimæ,similiter consensus aliter præstitus non sit legitimus, quod potest facere, eo quod matrimonium,non tantum sit sacramentum, sed sit etiam contractus ciuilis, qui subest publicæ potestati humanæ, Ita vt hæc possit varias conditiones in contractu requirere,sine quibus non subsistat,nec censeatur legitimus, vel etiam materia legitima.

Et licet aliqui hanc Ecclesiæ potestatem,ad infideles etiam extendant, vt videre est *apud Sanch.loco supra citato num.3.* tamen cum ipso dicendum est Ecclesiam minime habere eam potestatem aduersus infideles,cuius ratio est, quia cum sint extra Ecclesiæ gremium, nulla iurisdictione in eos gaudet : atque adeò constitutionibus Pontificijs minime arctantur *vbi etiã n.3.& disp.3. n.4.* habet non esse integrum hodie Principi sæculari fideli disponere aliquid circa matrimonia fidelium impedienda, aut dissoluenda:cum tamen Principibus infidelibus hoc sit integrum.Quia Ecclesia hanc sibi reseruauit facultatem, Ecclesiæ autem reseruatio ad fideles, non autem ad infideles protrahitur, vtpote qui illi, non autem isti Ecclesiasticæ iurisdictioni subsunt. Id tamen *cum Sãch. lib.7 de matr.disp.1.num.3.* libenter concedimus,nimirum posse Pontificem nõ tanquam Ecclesiasticũ Principem,sed tanquam temporalem,impedimenta dirimentia matrimonium, infidelibus inhabitantibus oppida suæ temporali iurisdictioni subdita decernere. Sicut potest Princeps infidelis sibi subditis.Quia veram habet iurisdictionem temporalem supremam Põtifex in eos infideles, tanquam dominus temporalis eorum *hæc Sanch.* Qui optime dixit, (infidelibus suæ temporalis iurisdictionis oppida inhabitantibus :) nam infidelibus incolis aliorum oppidorum, quæ Principibus fidelibus subduntur, nequit Põtifex ea impedimenta statuere. Quia nulla temporali iurisdictione fungitur in ijs oppidis,sed sola spirituali, tanquã supremum Ecclesiæ caput,ab hac autẽ iurisdictione infideles exempti sunt. Nu. 43

Ex quibus iam patet primo, hodie Principibus Catholicis, nõ esse integrũ impedimenta matrimonium fidelium dissoluentia,suis legibus indicere; quoniam Pontifex hanc sibi potestatem reseruauit. Principes autẽ infideles, posse hodie leges,suis subditis indicere, quibus quædam matrimonia ex iusta causa interdicant,ac dirimant,vt si ad pacem Reipublicæ videant expedire, ne infide- Nu. 44

les

les diuersæ sectæ matrimonio inter se copulentur, aut certam sollemnitatem adhiberi, quo matrimonia clandestina vitentur. Vnde *Sanch. disp. 3 loco supra citato num.* 5. ait si infideles hos, qui cum impedimento dirimenti iuxta eorum leges, matrimonium iniere, cum ad fidem redierint, iterum debere id matrimonium celebrare, si in eo persistere velint. Cum prius fuerit nullum *ita etiam D. Tho. apud Dianam par. 8. tract. 1. resol. 77. §. Negatiuam fine*, vbi deinde colligit, id quod de alijs infidelibus dictum est, extendi etiam debere ad Hebræos; cum enim isti veram Rempublicam liberam non habeant, sed aliorum principum gubernationi subijciantur, tenentur legibus irritantibus matrimonium, quas Principes infideles tulerunt, quorum dominium subduntur; leges enim eorum cæremoniales cessarunt, & statuta lege Mosaica *Leuitici* 18 exprirarūt Christi passione, & morte. Illud autem maxime aduertendum est quod subdit *Sotus apud Sanch lib. 7. de matr. disp. 3. nu. 6.* quod si Iudæi quando ante passionem Christi, rempublicam liberam habebāt, impedimentum dirimens statuissent, hodie durare. Quia illæ leges sæculares Reipublicæ non sunt abolitæ per Christum.

Nu. 45 Patet etiam secundo *iuxta Sanch sententiam lib. 7. de matr disp. 3. num. 7.* fideles subditos infidelibus Principibus, vtpote qui eorum oppida inhabitāt, astringi legibus eorum iustis irritantibus matrimonia, in omnibus ijs casibus, in quibus ad alias eorum leges tenētur. Quare si cum dirimenti impedimento contrahant, erit nullum matrimoniū Quia ratio sacramenti superaddita matrimonio fidelium, non impedit in Principibus potestatem impedimenta dirimentia statuendi, sed sola reseruatio Pontificis. Quæ ad Principes infideles extendi nequit *hac Sanch. quamquam Layman, Tānerus, Auersa, Pontius, & alij apud Dianam par. 8. tract. 1. resol. 77. §. Sed his* contrariam doceant sententiam, asserentes probabilius esse fideles subiectos Principibus Ethnicis, non astringi impedimentis matrimonij iuxta ritum, ac leges eorum ciuiles. Vnde Pontifex habet potestatem eximendi fideles ab impedimentis dirimentibus constitutis à Principibus Ethnicis, si eorum Prouincijs habitent. Cum non excedat potestatem indirectam Ecclesiæ, omnes vbique terrarum degentes Christianos eximere legibus ciuilibus Ecclesiasticis, quod attinet ad matrimonij validitatē, aut inualiditatem, quippe cum plurimum propter Sacramenti dignitatem interfit, in hac re vniformitatem inter omnes Christianos existere. Cui sententiæ libenter *Diana* adhæret, sicut, & Ego adhæreo quamquam *Sanch.* opinionē; probabilem etiam putem propter suas probabiles rationes.

Patet tertio si fidelis contrahat matrimonium apud infideles, apud quos domicilium habet, cum impedimento aliquo dirimenti ab Ecclesia inducto, matrimonium fore nullum. Quia leges Ecclesiasticæ, vbique terrarum fideles astringunt. At secus erit dicendum, si in fidelis contrahat extra patriam, in loco Principi Christiano subdito, aut alij Principi infideli, cum impedimento dirimēti statuto à suo solo Principe. Quia non astringitur legibus suæ patriæ extra illam *ita Sanch. loco supra citato num* 10. vbi adnotanter dixit (à suo solo Principe) quia si esset impedimentum dirimens, etiam tacitum à Principe loci, in quo contrahit, non valeret. Quia peregrini astringuntur legibus loci, in quo reperiuntur, *ita Sanch. loco supra citato* vbi etiam docet, quod si esset ab Ecclesia inductum illud impedimentum in loco fidelium, vbi infidelis contrahit, & in suo oppido à Principe infideli, valeret matrimonium: Quia lex illa Ecclesiastica non est generalis in illo oppido, sed solos fideles astringit. Nu. 46

Patet quarto desiderari iustam causā vt Pontifex rite, & recte valeat impedimenta matrimonij indicere. Quia Pontificis potestas non est ad dissipandum, sed ad rectā Ecclesiæ administrationē: quę causam iustā postulat, maxime ad interdicendum matrimonium iure naturali, & diuino cōcessum. Vnde maior exigitur causa ad dirimendum, quam ad simpliciter prohibendum matrimonium, & sæpe aderit iusta causa prohibendi, non tamen dirimendi. Quia dirimere grauius est, quam simpliciter prohi- Nu. 47

hibere ita Sanch. lib. 7. de matr. disp. 1. nu.
Nu. 48 4. et Diana par. 8. tract. 1. resol. 61. initio.
Et licet difficultas sit, an si Pontifex absque iusta causa decernat impedimẽtum aliquod, teneat factum: ita vt sit peccatum cum eo impedimento inire matrimonium, si solum impediens sit, & sit irritum, si impedimentum dirimens sit. Affirmant aliqui, quamuis admittant Pontificem tunc reum esse culpæ. Ducuntur, quia multa potest peccando efficere Pontifex, cum tamen factum teneat. Tamen ad hanc difficultatem optime respondet Sanch. loco supra citato nu. 6. licet ad valorem prohibitionis desideretur iusta causa, tamen ea non existente matrimonium contra eam initum, validum esse, & culpa vacare; Cuius rationem reddit, quia cum matrimonium sit vinculum iure naturali, & diuino inuentũ, ac omnibus concessum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter ascẽdẽtes, & descẽdẽtes, nõ potest Pontifex illud ad libitum interdicere, sed sicut dispensatio in ijs, quæ iure naturæ obligant, facta absque causa est irrita, ita censendum est de prohibitione matrimonij absque legitima causa ita etiam, & alij apud Dianam par. 8. tract. 1. resol. 61. initio.

Nu. 49 Nec obstant ait Sanch. argumenta opposita. Quia fateor Pontificem dispensãdo in ijs, quæ sunt de iure humano absq; causa peccare, at validam esse dispensationem. Secus autem est, dum interdicit matrimonium in gradibus iure naturæ concessis, non existente iusta causa. Et olim dum Ecclesia interdixit matrimonium vsque ad septimum consanguinitatis gradum, iustam interdicendi causam habuit, at post successu temporis experientia docuit, expedire gradus restringere, vt dicitur cap. non debet de consanguin. & affin. & ita ibi restricti sunt. Posset autem Pontifex etiam modo plures gradus prohibere, si indicaretur ad esse nouam causam plures interdicendi. Id autem non posse iuste, nec valide citra iustam causam affirmamus hæc Sanch. loco supra citato, quam sententiam sequutus est etiam Tannerus apud Dianam loco supra citato fine.

Nu. 50 Et si dubitabis, an sicut potest Pontifex legem generalem indicere, qua matrimonium ex causa iusta irritet inter certum genus personarum: ita possit aliquos priuatos, ita prohibere, ne matrimonium inter se ineant, vt matrimonium aduersus eam prohibitionem cõtractũ, sit prorsus nullum, quando iusta intercedit causa, vt magnæ disparitatis inter contrahentes, & timoris discordiarum grauium? Ad quam quidem dubitationem respondet Sanch. lib. 7. de matr. disp. 1. num. 7. affirmatiue, posse scilicet ex iusta causa aliquos priuatos reddere inhabiles, vt inter se matrimoniũ ineant. Cuius ratio est quia si potest ex iusta causa reddere matrimonium irritum inter omnes personas certi generis, vt inter omnes consanguineos vsq; ad quartum gradum: cur non poterit irritare inter duas priuatas personas, vbi tam vrgens fuerit causa, vt id postulat? ita etiam nouissime Diana par. 8. tract. 1. resol. 60. initio.

An autem Pontifex possit interdicere alicui, iusta existente causa, ne perpetuo contrahat matrimonium, qui iure naturali habilis erat. Ad hanc difficultatem respondet Sanch. lib. 7. de matr. disp. 2. num. 8. licet ius naturæ concedat cuilibet posse matrimonium inire: posse tamen Pontificem in grauissimi delicti pœnam, eo iure quemquam priuare, reddẽdum ipsum inhabilem, & confirmari potest, quia vt ait Calderinus apud Sanch. Vrbanum V. reddidisse inhabiles ad matrimonium ineundum Bernabonem vicecomitem, & dominum mediolanẽsem, ac liberos eius rebelles Ecclesiæ, & quamuis tunc agitata hinc inde quæstione de potestate hac Pontificia: tandẽ Calderinus sustinuit id integrum esse Pontifici, vt videre est apud Sanch. Nu. 51

Et tandem quamquam si solum ius diuinum, & naturale attendamus, sicuti integrum est Pontifici in vniuersa Ecclesia impedimenta matrimonium dirimentia statuere, ita & Episcopo in sua diæcesi. Quia quidquid potest Pontifex in vniuersa Ecclesia, potest Episcopus in sua diæcesi, nisi Pontifex sibi reseruet. At id hodie non potest, quoniam hoc sibi Pontifex reseruauit ita Sanch. loco supra citato num. 9. An valeat Episcopus, aut Parochus ad tempus impedire matrimonium nos infra. Cæterum vt de Nu. 52

Pon-

Pontificis potestate circa dispensandi modum in impedimentis agamus.

Nu. 53 Et ne in his rebus immoremur certissima sententia est in nullo impedimento iure diuino naturali matrimonium dirimente posse Pontificem dispensare: nec in casu aliquo speciali (excepto voto solemni religiosorū, de quo agit *Sāch. lib.8.disp.8.*) ita *Sanch lib.8.disp. 6. num. 10.* vbi *num.12.* iuxta suam, & veriorem sententiam tenet ex gradibus consanguinitatis solum primum in linea ascēdentium, nempe inter parentes, & filios, & solum primum in linea transuersa, vt inter fratres, & sorores dirimere iure naturæ matrimonium, quare in ijs duobus gradibus nequibit Pontifex dispensare, at in cęteris poterit, & similiter cū iuxta *Sanch.* sententiam in nullo affinitatis gradu, etiam lineæ rectæ irritetur iure naturæ matrimonium, poterit in omnibus Pontifex dispensare. Similiter cū error personæ dirimat iure naturæ, sicuti impedimentum impotentiæ in neutro impedimento poterit Pontifex dispensare, itaq; vt summatim dicam solū nequibit secundum *Sanch.* sententiam Pontifex dispensare in errore personæ, impotentia, consanguinitate, in primo gradu lineæ ascendentium, & transuersæ.

Nu. 54 Ex his collige primo Pontificem dispensare non posse vt inter Parentes, & filios, vel inter fratres, & sorores cōtrahatur matrimonium, cum huiusmodi impedimentum sit de iure naturæ. An vero ita malum sit, vt in nullo euentu citra specialem Dei dispensationem liceat. Quidam aiunt non licere in casu extremæ indigentiæ, vt si solus filius, & mater, aut pater, & filia in mundo super essent. At verius est tunc licere. Cuius ratio est quia malum ordinis inferioris, cohonestari potest propter superioris ordinis bonum: vt damnum vitæ propter bonum rationis. Cum ergo malum priuatum irreuerentiæ paternę consurgens ex tali matrimonio, sit inferioris ordinis respectu boni cōmunis, ad quod spectat conseruatio speciei, poterit cohonestari vt huic consulatur *ita Sanch lib. 7. de matr. disp. 51. num. 10. Basilius Pontius de matr. lib. 7. cap. 31. num 5. Henriqu. Baunius, Castensis, & alij apud Dianam par. 8. tract. 1. resol 71. § His tamen minime, & §. Et præter Doctores.*

Stando igitur in hac posteriori sentētia collige secundo, posse Pontificem in tali casu præcipere patri, & filiæ, vt matrimonium contrahant, & ipsi tenentur obedire; Cuius ratio est, quia aliquando pater potest præcipere filio, vt certū contrahat matrimonium, & filius tenetur obedire, & cōsentire. Quanto magis dicendum est in casu nostro, posse Pontificem præcipere patri, vt ducat in vxorem filiam suam propter euitandum dānum commune interitus vniuersi; cui cedere debet damnum priuatūm irreuerentiæ paternæ, ex tali matrimonio consurgens *ita nouissime Diana par. 8. tract. 1. resol 71. §. Stando igitur* vbi sine concludit, & in tali casu Pontifex non dispensaret, sed declararet ius naturale non obligare, & hæc de Pontificis potestate in ordine ad sacramentum matrimonij. Quæ nam sint iustę causæ dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus legite *Sanch. lib. 8 de matr. disp. 19.* verum vt matrimonij denunciationes explicemus. Nu. 55

QVAERES OCTAVO.

Quid dicendum circa matrimonij denunciationes.

CVm de aliquo matrimonio contrahendo in sua Parochia Parochus certior fiat, antequam ad primam denūciationem veniat, inter alia hæc, quæ sequuntur præstanda sibi esse meminerit, & primo an contrahendi habitent in eius Parochia, & cum nouerit per testes inscriptis ab ipso receptos, in eius Parochia sponsum, & sponsam habitare quærat ab ipsis, an veliut huiusmodi denunciationes fieri, deinde inuestiget, an doctrinam Christianam sciant, aut saltē Pater noster, Aue Maria, Credo, & Decalogum, quod si vterque ea nesceat, aut eorum alter, moneat illos, se non ante ad tertiam denunciationem venturū, quam illa ab ipsis recte memoria teneri, & intelligi perspexerit, absolute tamē & per longum tempus, aut vbi sponsi in starent, non licet matrimonium detinere donec dictam Christianam doctrinā Nu. 1

contrahentes didicerint, sed exprdit suauiter, & absque violentia ad breue tẽpus imprudere, vt sic doctrinæ adiscendæ curam habeant *ita Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. num. 2.*

Nu. 2 Quare *Sanch. de matr. lib. 3. disp. 15. n. 19.* habet nescio tamen, qua ratione possit, ob hanc ignorantiam arcere aliquos à matrimonio contrahendo, cum ipsius non sit impedimenta matrimonij statuere, nec hoc impedimentum ab Ecclesia statutum sit, posset tamen suauiter, & bono modo, quando contrahentes non instarent, breui tempore eos detinere, donec doctrinam adiscant, de peccatis autem capitalibus non est curandum, vt sciant, & potius rudibus valde nocet ea edoceri, putant enim quamcunque superbiam, gulam, & cætera esse peccata lethalia, & sæpe ex conscientia hac erronea mortaliter delinquunt.

Nu. 3 Vnde refert Barb. *loco supra citato nu. 3. §. Vnde Sacr. Cong. Cardin. negotijs Episc. & regularium præpositorum sub die 6. Martij* 1588. censuisse matrimonium prohiberi non posse, Christianam doctrinam non adiscentibus, sed contra eos admonitionibus comminatorijs esse procedẽdum *quamquam Bartolus à Ledesma, & Vega apud Barb. citati* putent absolute impediri posse ob dictam causam, ne matrimonium contrahatur, nisi contrahentes præsenio, aut ingenij tudis tardi tate prorsus incapaces sint.

Nu. 4 Item inquiret de eorum ætate, nam eos tantum, qui ætatem legitimam habent, denunciare debet Parochus, itaut sponsus annum decimum quartum, & femina annum duodecimum habeant, quia à canonibus ita definitur, & quia tunc præsumuntur habiles ad copulã, & ad consensum coniugalem *ita Sanch. lib. 7. de matr. disp. 104 num. 1. vbi nu. 2.* ait satis esse si vltima dies anni duodecimi in femina, & decimi quarti in viro sit incepta, item de patria inquiret, nam extraneos nequaquam denunciabit *ita Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. num. 6.*

Nu. 5 Quare iure optimo *Trid. sess. 24. de refor. cap. 1.* definit antequam matrimoniũ contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festiuis, in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncientur, inter quos matrimonium sit contrahendum *ita etiam ex Rit. Rom.* quæ quidem denunciationes fieri possunt etiam ab alio, de licentia Parochi *vti habet Sanch. lib. 3. de matr. disp. 6. num. 5. vbi num. 4.* habet has denunciationes faciendas esse in vtriusque contrahentis Parochia, quando diuersarum Parochiarum sunt *ita etiam ex Rit. Rom. & Barb. in Trid. sess. 24 de refor. cap. 1. num. 25. & 26. & de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 32 num. 11.*

At vero si contrahentes plura habuerint domicilia, seu Parochias, respondet *Sanch. lib. 3. de matr. disp. 6. num. 6.* has denunciationes fieri debere in vtriusque, vbi diutius versati sunt, & principalem habent larem, & verisimilius est fore vt sciantur impedimenta, & reddit rationem, quia, ideo fiunt denunciationes vt contrahentium impedimenta detegantur, sed qui in aliqua Parochia breui temporis spatio manserunt, ignoti sunt, & eorum impedimenta ignorantur; ergo *ita etiam Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 32. num. 11. & in Trid. sess. 24 de refor. cap. 1 num. 26. & de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. num. 19. fine.* Nu. 6

At vero *Basilius Pontius citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resol. 235.* cõtrariam tenet sententiam cuius rationem reddit, quia, cum concilium dicat denũciationes faciendas esse à proprio Parocho, declarant Cardinales, proprium Parochum esse in cuius Parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur, & in alia declaratione expresse dicitur, vt quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, qui à paruo tempore, in aliquo loco habitant, & non sunt de vagabundis, proprium Parochum esse, in cuius Parochia habitant tempore, quo contrahũt matrimonium *hac Pontius* quamquam *Diana* teneat sententiam *Sanch.* Nu. 7

His à Parocho diligenter animaduersis, ad denunciationes veniat, formam vero denunciationis, qua vti debet Parochus *vide apud Rit. Ro. & Barb. de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. num. 22* requiritur autem, vt hæ denunciationes fiant tribus diebus festiuis continuis, *vt ex Trid.* supra habetur, quomodo vero hoc intelligatur respõdet *Sanch. lib.* Nu. 8

3. de

3.*de matr.disp.6.num.*8. debere has denunciationes,fieri tribus festiuis continuis,vt expresse decreuit *Trid.sess.*24. *cap.*1.sed non debent immediate se sub sequi,quin aliquot dierum interuallũ intercedat,& reddit rationem quia,si sunt ita sibi immediatæ denunciationes, nõ suppeteret tempus ad excogitanda, & opponenda impedimenta, nec debent esse tam discontinuæ,vt Parochiani, vel illarum obliuiscantur,vel ob longum spatium desides reddantur ad impedimenta detegenda, & si vna tantum denunciatio facienda sit omissis duabus, non statim matrimonium celebrandũ est,sed aliquo temporis spatio expectandum est,aliàs videretur nullius momenti illa denunciatio: quare licet *Sanch.* proponens dubium, quantum tempus mediare debeat,inter vnam,& aliam denunciationem, respondeat, non posse certã regulã præscribi, sed prudentis arbitrio attenta notitia, quæ communiter habetur contrahentium,& impedimentorum periculo relinquendum est, tamen ipse ait communiter satis videri, si dies intercedant inter vnam,& alteram denunciationem.

Nu. 9 An vero in tribus diebus festiuis continuis,vt in Paschate,possint fieri dictæ denunciationes : negatiue respondet *Diana tract.*4.*de sacr.resol.*236 §. *Debent etiam*,& hanc sententiam tenent *Laymã Riccius, & Segura* ab ipso citati, & probãt *ex Sãch.n.*8.qui habet oportere,aliquod saltem duorum dierum interuallum,inter vnam,& alteram denunciationem intercedere, quamquam hic cõtrarium obseruetur , & huic opinioni videtur fauere *Basilius, Pontius, Hurtado citati apud Barb.in Trid.sess.*24. *de refor.cap.*1. *num.* 19. §. *Contra, & Basilius Pontius etiam citatus apud Barb.de off. & potest. Epis.par.*2.*alleg.*32.*num.*12. quãquam contrariam sententiam ipse teneat.

Nu. 10 Et licet *Henriq.citatus apud Dianam tract.*4.*de sacr.resol.*236.§. *Notandum est* asserat peccatum esse mortale, si Parochus efficiat dictas denunciationes, in tribus diebus festiuis,sed interpulate v. g.in die dominica facit vnam, in altera vero minime, & postea in alijs duabus dominicis facit alteras duas denunciationes, tamẽ *Villal.citatus apud Dianã, & ipse etiam Diana* contrarium putat.

Ex quo fit huiusmodi denunciationes diebus ferialibus;fieri non posse *cum Tridentinum* iubeat fieri diebus festiuis *ita Sanch.lib.*3.*de mat.disp.*6. *num.*9 *vbi fine*.reddit rationem quia, diebus festiuis inter missarum solemnia,ingens hominum copia solet confluere in Ecclesiam *vnde num.* 10.propter eamdem rationem infert,idem dicendum esse quãdo nõ esset dies festiua,at aliqua ex causa est magnus populi concursus ad Ecclesiam,vt quia est festus vocationis illius Ecclesiæ dies,vel quia insignis concionator habet concionem, quia satisfit cõcilij fini,& eadẽ prorsus militat ratio. Nu. 11

Vnde *Barb.de off.& potest.Episc.par.*2. *alleg.*32.*num.*14.habet huiusmodi denũciationes diebus ferialibus fieri non posse,etiam cum dispensatione Episcopi, cum supra hac concilij dispositione dispensandi potestatem non habeat, addit tamen eas fieri posse alio die, quã festo, modo quo asserit *Sanch.loco supra citato* ita etiam tenet *in Trid.sess.*24. *de refor. cap.*1.*num.*22.*&* 23.*Reg.lib.*31.*nu.*227. Nu. 12

Hinc etiam fit,propter eamdem superius allatam rationem, huiusmodi denunciationes fieri posse extra Ecclesiã, & missarum sollemnia,in locis competentibus,vt in prædicationibus, magni populi copia confluente, patet quia finis *Tridentini* dum petit in Ecclesia, & diebus festiuis inter Missarum sollemnia denunciationes fieri,est,vt ad multorum notitiam matrimonium perueniat,quo facilius impedimenta detegãtur:ergo cum sufficientissime huic fini satisfiat, quando in locis publicis, vbi maior est populi concursus,fierent,satis erit ita *Sanch.lib.*3 *de mat.disp.*6.*num.* 9. *Barb.de off.& potest. Episc.par.*2.*alleg.* 32. *num.*16.*& in Trid.sess.*24.*de refor.cap.* 1. *numer.*24.*& de potest.Parochi par.*2.*cap.* 21.*num.* 21. *quamquam Basilius Pontius citatus apud Dianam tract.*4 *de sacr.resol.* 236.§. *Notat etiam* putet non posse fieri extra Ecclesiã, etiam si locus sit aptus, vt ad multorum notitiam perueniãt hæ denunciationes. Nu. 13

Denunciationes huiusmodi fieri possunt,tẽporibus prohibitis, nuptias celebrare *ita Barb.de off. & potestate Parochi* Nu. 14

par.

p.v.1.cap.21.num.22. An dimittere vnã ex his denunciationibus sit mortale, negatiue respondet *Sanch.lib.3. de matrim. disp.5.num 7.* ita etiam *Barb.de off. & potest.Epis.par.2.alleg.32.numer.5. Diana tract.4.de sacr.resol.236.* quamquam *Pontius* citatus apud *Dianam* contrariam teneat sententiam asserens esse mortale peccatum, quia omissio vnius denunciationis, non est materia leuis, quare Parochus, qui id suo arbitrio faceret, grauiter puniendus erit ab Episcopo, sed Tu tene sententiã *Sanch.* qui credit non esse peccatũ mortale, quãdo certum esset, moraliter nullum subesse impedimentum, quia leuis est materia, & partialis præcepti.

Nu. 15 Quæ quidem denunciationes, licet non sint de essentia matrimonij, ac proinde, etiam illis iniuste omissis, initum matrimonium validum esse, vt probat *Sanch.tom.5.de matr.lib.3.disp.5.num.3. Barb.in Trid.sess.24.cap.1.num.28. & de off.& potest.Epis.par.2.alleg 32.numer.1.* tamen has absque debita dispensatione omittere, peccare mortaliter Parochum eas omittentem, quia violatur præceptum in re grauissima *ita Salzed.citatus apud Barb.de potest. Epis. loco citato nu. 2.*

Nu. 16 Vnde *Sanch.tom.5.de matr.lib.3.disp.5.num.6.* habet peccare mortaliter Parochum, omissis denunciationibus, matrimonium celebrantem sine facultate, nec non ipsos contrahentes *ita etiam Barb.in Trid sess.24.cap.1.num.29. & de potest.Epis.par.2.alleg.32.num.2. vbi nu.4.* habet hoc adeo verum esse, etiam si ipse Parochus moraliter sciat nullum subesse impedimentum, cum ex earum omissione, possent sequi multa mala, vt ait etiam *Sanch.* quamquam *Sotus* contrarium teneat.

Nu. 17 Quare quoties contrahentes, sunt ex diuersis diœcesibus, & ordinarius vnius contrahentis, dispensat in denunciationibus cum suo subdito, vt absque denũciationibus ineat matrimonium, ait *Sanch.tom.5.de matr.lib.3.disp.7.num.7.* censeri consequenter dispensasse cum alio, & reddit rationem quia, in hac re coniuges censentur quasi vna persona quamquam *Basilius Pontius citatus apud Dianam tract.4.de sacr.resolut.239.* valde dubitet de hac sententia, quia sæpe potest cõtingere, vt impedimentum, quod in vna diœcesi notum non est, sit notum in alia, & ita per dispensationem factam in vna diœcesi, non sequitur per connexionem dispensatio in alia.

His tamen non obstantibus sententiã *Sanch.tenent Reg.tom 2.lib.35.num.232. §.Secunda propositio Guttierrez Commb. citati apud Dianam loco proximo citato §. His tamen.* Nu. 18

Ex quibus collige has denunciationes *attento decreto Trid.sess.24. de matr. cap.1.* faciendas esse in vtriusque cõtrahentis Parochia, quãdo diuersarum sũt Parochiarum, patet quia *Trid.* dicit faciendas esse à proprio Parocho contrahentium, ergo vterque Parochus, quando sunt diuersæ Parochiæ, facere debet, *ita etiam ex Rit.Rom.Sanch lib.3.disp.6. num.4.Barb.in Trid.sess.24.cap.1.nu 26.* Nu. 19

Si vero intra duos menses, post factas denunciationes, matrimonium non cõtrahatur, denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur *ita ex Rit.Rõ.* imo referunt decisum *Rebell.Bonac.citati apud Barb.loco supra citato num.25.* illũ scilicet, qui intra quattuor menses, post peractas denunciationes, non contraxit matrimonium, non posse illud inire, nisi nouas denunciationes præmittat. Nu. 20

Denunciationũ vi, qui nouit aliquod impedimentum, inter volentes contrahere, etiam si occultum sit, & illud probare non possit, teneri denunciare docent *Sanch.tom.1.de matr.lib.3.disp.13. num.2.* & hoc sub peccato mortali *ita etiam Reg.lib.31.num.228. Barb. in Trid. sess.24.cap.1 num.34. & de off. & potest. Epis.par.2,alleg.32.num 25.* qui inter alios citat *Bonacinam* asserẽtem cum alijs procedere, quando agitur de damno alterius vitando, & quamuis impedimentum, acceptum sit sub secreto, vel auditum ab alijs, dummodo sine personæ fide dignæ, secus vero si audierit à persona nihil certum sciente, vel si non meminerit a qua persona audiuit. Nu. 21

Tamen *Basilius Pontius citatus apud Dianam tract.4.de sacr.resol.231.§. Sed his* contrariam tenet sententiam, asserẽs mihi placere sententia, quæ negat, obligationem esse detegendi impedimentũ matrimonij, si illud est omnino occultũ, & ipse solus nouit, itaut probari nullo Nu. 22

modo

modo possi-,& hanc sequutus est *Diana loco citato vbi § Nota etiam* habet de lato ad ordinarium impedimento, si vnus tantum testis sit, absque alijs adminiculis, non posse interdici matrimonium, nec deberi, vnus enim testis, etiam in causa matrimoniali, non probat, etiam quoad effectum impediendi matrimonium, quidquid dicant alij graues auctores *ita Pontius*.

QVAERES NONO.

An Ordinarius possit dispensare, vt omittantur denunciationes, & quid intelligendum sit nomine Ordinarij, in Trid. sess. 24. cap. 1.

Nu. 1 ET primo vt certa ab incertis seiungamus, non posse Parochum ait *Diana tract. 4. de sacr. resol.* 137. omittere anctoritate propria denunciationes, vnde *Barb. de off. & potest. Parochi part. 2. cap. 21. nu. 24.* ait nullo modo Parochũ, etiam quoties timetur, malitiose matrimonium impediendum, posse huiusmodi denunciationes omittere: sed spectare ad ordinarium, & ad Episcopum, qui licet iure antiquo, non poterat dispensare, ne denunciationes præmitterentur matrimonio, quia erant præceptæ in concilio generali Lateranensi, in cuius lege nequit Episcopus dispensare, vti asserit *Sanch. de matr. lib. 3. disp. 7. numer. 1. Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 32. num. 27.* qui limitant in casu vrgentis necessitatis, vel ex consuetudine scita, & tolerata à Pontifice, vti asserit *Sanch. num. 2. & Barb. loco citato.*

Nu. 2 Tamen hodie, si ipse expedire iudicauerit (non enim loquimur quando esset periculum in mora, vt in articulo mortis, de hoc enim infra) potest Ordinarius dispensare, vt omittantur três denũciationes, vel aliqua illarũ, ante, & post matrimonij consumationem, vt expresse deffinitur *in Trid. sess. 24. de matr. cap. 1. vnde Sanch. loco supra citato num.* 5. habet hos, qui possunt in denunciationibus dispensare, posse similiter ex iusta causa breuiare, vel prolungare denunciationum tempus *Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 32. num. 27. & in Trid. sess. 24. de matr. cap. 1. num.* 24.

Sed quis nomine Ordinij intelligatur, vt possit dispensare, magna est quæstio nam *Sanch. tom. 1. de matr. lib 3. disp. 7. num. 4.* putat sub nomine Ordinarij intelligi eos, qui quasi Episcopalem iurisdictionem habere dicuntur, & nulli diæcesano subditi sunt, quia concilium, hoc committit Ordinario, hi autem Ordinarij sunt *ita etiam Barb. in Trid. loco supra citato nu. 52. & de off. & potest. Episc. par. 2 alleg. 32. num. 30.* quamquam contrarium doceat *Basilius Pontius citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resol. 237 § Sed cõtrariam*, qui docet hanc potestatem dispensandi, in denũciationibus solis Episcopis iure Tridentino concessam, & nõ his, qui iurisdictionem quasi episcopalẽ habent, vt Abbatibus, aut Vicarijs Sancti Ioannis, vel similibus, & ait ita determinasse sacram Cardinalium Congregationem his verbis Non permittitur hæc facultas Commendatario, licet eius iura Episcopalia habeat, cuius Abbas appellatione venit, *iuxta Glossam in cap fin. de off. ordinario in* 6. dixit enim Sanctissimus dominus noster, quod Ordinarius hic non intelligitur, nisi Episcopus, attamen Cardinali Farnesio Farcensis monasterij commendatario fuit permissum, non autem eius Vicario hæc ille. Nu. 3

Tamen *ex Sanch sent. supra allata* sequitur Abbates, qui Ordinarij sunt, & habent iurisdictionem quasi Episcopalem, posse omnia regulariter, quæ Episcopi, in sua diœcesi circa ea, quæ sunt iurisdictionis *ita etiam Barb. in Trid. sess 24 de matr. cap. 1. num. 53 & de off. & potest. Episc par. 2. alleg. 32. num. 31.* Nu. 4

Facultatem dispensandi, in denunciationibus poterit Episcopus alteri delegare, ita resoluunt quamplures doctores citati *apud Barb. in Trid sess. 24. de matrim cap. 1. num 49. & de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 32. num. 36.* Nu. 5

Verum, cum Ordinarij appellatione veniat, etiam Episcopi Vicarius, quæritur an is in vim dicti verbi poterit denunciationes remittere, si sibi videbitur expedire; affirmatiue respondet *Sanch. tom. 1. de matr. lib. 3. disp. 7. num. 10.* & reddit rationem quia *Trid. sess. 24. de matr. cap. 1.* hanc dispensandi potestatem concedit Ordinario, sed Vicarius Generalis Nu. 6

Epi

Episcopi est Ordinarius; ergo potest in denunciationibus dispensare, limitat tamen hanc sententiam *Sanch. numer.* 13. nisi Episcopus facultatem dispensandi in denunciationibus, sibi reseruaret *ita etiam Barb de of. & potest. Epis. par. 2. alleg. 32. num. 18 & in Trid. sess. 24. cap. 1. num.* 50. tamen contrarium docent non solum *Henriq. Molina, & alij citati apud Barb. locis citatis sed etiam Basilius Pontius citatus apud Dianam tract. 4. de sacr. resol. 238. §. Sed aduersus*, & ita declarasse sacram Cardinalium congreg. testatur *Henriq. lib. 11. cap. 5. numer.* 5. igitur secundum horum sententiam, sub nomine Ordinarij in hoc casu, non intelligitur Vicarius Generalis Episcopi, & ita illum non posse has denunciationes remittere, nisi specialiter committatur.

Nu. 7 Tamen opinionem *Sanch.* tenent nouissime *Riccius Coninch. Villa. citati apud Dianam loco supra citato* quare iuxta hãc *Sanch.* sententiam potest Vicarius facultatem dispensandi in denunciationibus delegare, non tamen generaliter, nam quamuis non possit constituere alium Vicarium generalem, nihilhominus potest vnam, vel alteram causam delegare *ita Sanch. nu. 2. Barb. de of. & potest. Epis. par. 2 alleg. 32. num. 37. & in Trident. sess. 24 cap. 1 num.* 51.

Nu. 8 Aduerte tamen, hanc sententiam nõ procedere in Vicarijs foraneis, qui non possunt absque speciali commissione in his denunciationibus dispensare, quia sunt delegati ad speciales causas *ita Sanch. loco supra citato num.* 12.

Nu. 9 Verum *cum* Trid. *sess. 24. de matr. cap.* 1. non liberæ voluntati, sed iudicio, & prudentiæ Episcopi huiusmodi facultatem dispensandi in denunciationibus remittat, ad dispensandum in illis iusta requiritur causa vti asserit *Sanch. tom. 1. de matr. lib. 3. disp. 8. nu.* 1. vnde *num.* 2. infert delinquere lethaliter Episcopũ, absque legitima causa dispensantem, quia materia est grauis.

Nu. 10 Et licet difficultas non modica versetur, an exigatur iudicialis causæ huius cognitio; tamẽ probabilius credit *Sãch. loco proximo citato num.* 4. non requiri cognitionem causę iudicialem, sed satis esse, si extra iudicialiter Ordinarius informetur, & certior fiat de causa, vt licite dispenset in denũciationibus *ita etiã Barb. de of. & potest. Epis. par. 2. alleg. 32. num. 39. & in Trid. sess. 24. de matr. cap. 1. num. 47 fine*

Nu. 11 Id tamen aduertendum est, quod habet *Sanch. lib. 3. de matr. disp. 8. numer.* 5. §. *Secundo infertur* hanc scilicet dispensationem denunciationum, posse fieri extra diœcesim, cum sit actus iurisdictionis voluntariæ, & cum non requiratur cognitio causæ iudicialis, hoc igitur adnotato.

Nu. 12 Et licet iustæ dispensationum causæ multæ assignentur, tamen inter iustas causas connumerari possunt sequentes, vti frequentiores quarum.

Nu. 13 Primã igitur causam assignat *Sanch. lib. 3. de matr. disp. 9. num.* 3. & est contrahentium pudor, quãdo scilicet nimio pudore suffunderentur, denunciationibus factis, ob nimiam disparitatem, vt si valde senes ducat iuuenculam, vel valde nobilis ignobilem, vel valde diues pauperem, & è contra *unde Sanch. num.* 4. infert idem dicendum esse, quãdo vtrique contrahentes sunt senes, & pudet eos publicare matrimonium, quia eadem militat ratio, & quia fit quædam irreuerentia sacramento, dum senes contrahentes irridentur *ita etiam Barb. de of. & potest. Epis par. 2. alleg. 32. num. 46. & in Trid sess. 24 cap. 1. num.* 63.

Nu. 14 Secunda causa est, dum aliqui concubinarij, æxistimati sunt diu coniugati, quia si sola verecundia sufficit, à fortiori sufficiet hæc causa, vbi, & verecundia, & infamia concurrunt *ita Sanch. numer.* 5. *Barb. in Trid. loco citato num.* 49.

Nu. 15 Tertia, quando magnates volunt cõtrahere matrimonium, cum eorũ matrimonia sint valde nota, quare si aliquod impedimentum inter eos esset, statim sciretur *ita Sanch. num. 6. Barb. de potest. Episc. par. 2. alleg. 32 num. 45. & in Trid. sess. 24. cap. 1. num. 70. unde Sanch. num.* 7. infert idem dicendum esse, quando nullius impedimenti timor subest; causa enim detegendi impedimenta, denunciationes fiunt.

Nu. 16 Quarta est, quãdo denunciationibus præmissis, non possent benedici nuptiæ, ob temporis, in quo eas benedici prohibitum est viciniatem, expedit enim, vt consumationi matrimonij præmittantur

tur

tur benedictiones, expectare autem vt contrahatur, vel consumetur matrimonium, transacto eo tempore, esset periculosum dissolutionis, vel fornicationis, si non dum contractum est, vel si contractum est vt ante benedictiones consumetur *ita Sanch.lib.3.de matr.disp.9.nu.8.Barb.in Trid.sess.24.cap.1.numer.66.& de potest.Episc.loco citato num.48.*

Nu. 17 Quinta, quando prius contractum est matrimonium publice, & reperitur nullum ob impedimentum occultum *ita Sanch.num.9.*

Nu. 18 Sexta, quando timetur fore vt, consanguinei matrimonium impediant iniuste *ita Sanch.num.10.§. Cæterum Barbos.de potest.Episc.par.2.alleg.32.num.41. & in Trid.sess.24.cap.1.numer.67.* vel sit per maleficia, aut parentum, seu aliorū fraudes.

Nu. 19 Septima, quando parentes, vel tutor volunt vt virgo indigno nubat *ita Sanchez num.13.Barb.de potest.Episc.par.2.alleg.32.num.42.& in Trid.sess.24.cap.1 num:68.*

Nu. 20 Octaua, quando valde aliquibus expediret coniugium, & timent mutationem voluntatis, vt si virginis deflorator damnum resarcire velit, eam ducens, & periculum sit, fore, vt, animum mutet: iustam esse causam ait *Sanch.lib.3.disp.9. num.15.*

Nu. 21 Nona causa est, si repentinus casus offerret rationem contrahendi matrimonium, vt si aliqui tanquam concubinarij comprehensi à iudice, essent plectendi, vt possent dicere se esse coniugatos, esset iusta dispensandi in denūciationibus causa *ita Sanch.num.16.*

Nu. 22 Decima est, ob periculum animæ, vt si duo sint concubinarij, & velint matrimonium inire, vt in bono statu constituantur, & periculum sit, fore vt dum denunciationes præmittuntur, committerentur *ita Sanch. num. 17.* & idem dicendum est de meretrice in Lupanari existente, si velit cum aliquo inire matrimonium, iusta dispensandi causa esset.

Nu. 23 Vndecima, ad vitanda scandala, ob aliquam factionem, quæ vitari possunt statim inito matrimonio *ita Sanch.num. 18.*

Nu. 24 Duodecima est, dum in mortis articulo constitutus, vult concubinam ou cerè, quo prolem susceptam legitimet, & idem eredit *Sanch num.19* nulla existente sobole, si concubinam ducere velit, erga quam valde est affectus, vt in bono statu decedat, & securior sit transitus *ita etiam Barb.in Trid sess.24 de matrim.cap.1.num 64: & de off. & potest: Episc:par.2.alleg:32:num.47:*

Aduerte tamen, in omnibus casibus, in quibus dispensatur, ne denunciationes præmittantur matrimonio, debere Ordinarium informari an aliqua impedimenta subsint inter contrahentes, ne periculo exponatur impeditos coniungendi *ita Sanch.num:20.* Nu. 25

Præter has matrimoniales denunciationes, quas inter missarum solemnia, ex altari denunciate debet Parochus modo supradicto: Nu. 26

Item tenetur Parochus denunciare populo vigilias, in quibus ea hebdomada ex præcepto Ecclesiæ, vel ex loci cōsuetudine, seu ex Ordinarij lege est ieiunandum *ita Barb.de off.& potest.Parochi par.1.cap.16.num.2.* Nu. 27

Secundo tenetur Parochus denunciare populo festos dies, in quibus operibus seruilibus est vacandum *ita Barbos. num.4.* Nu. 28

Item interdum, contingit Episcopos mandare Parochis, vt inter missarum sollemnia Ordinandos ad maiores ordines denuncient; in hoc enim casu Parochi obseruare debent, quæ habentur *in Trid.sess.23.de refor.cap.5.* vbi habetur. *Hi vero, qui ad singulos maiores ordines erunt assumendi per mensem ante ordinationem, Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoueri, publice in Ecclesia propositis de ipsorum ordinādorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis diligenter inquirat; & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum trāsmittat hac Trid.* quare Parochus inter missarū sollemnia, eo tempore, quo frequentior populus adterit Ordinandos denunciet ad altare: formam vero denunciationis, qua vti debet Parochus legite *apud Barb.de off & potest. Parochi cap. 16. nu. 21.* vbi etiam vides impedimenta, propter Nu. 29

ter

ter, quæ prohibetur aliquis à sacris canonibus, & concilijs, ne ad ordines admitti possit: vbi etiam vides testimoniales litteras, quibus vti debet Parochus post denunciationem factam.

QVAERES DECIMO.

An benedicendæ sint nuptiæ.

Nu. 1 DEnunciationibus factis, & nullum legitimum oppositum impedimentum, & in facie Ecclesiæ matrimonium iam contractum modo supradicto, restat his expletis, si benedicendæ sint nuptiæ modo infra explicando, vt Parochus Missam pro sponso, & sponsa, vt in missali Romano celebret, seruatis omnibus, quæ ibi præscribuntur.

Nu. 2. Inter omnia aduerte, quod habet *Trid. sess. 24. de refor. cap. 1. benedictiones has à proprio contrahentium Parocho impendendas esse, & à nullo alio, nisi de licentia Ordinarij, vel Parochi, non obstante quacũque consuetudine etiam immemorabili, vel priuilegio. Quod si quis alienus Parochus, vel alius sacerdos, siue regularis, siue secularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licẽtia benedicere ausus fuerit, ipso iure, tandiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario eius Parochi, à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur ita Trid.*

Nu. 3 Et licet *in Trid.* dicatur à proprio Parocho huiusmodi benedictiones impendendas esse, tamen sufficere vtriusque contrahentis Parochum æxistimat *Sanchez lib. 7. de matr. disp. 82. num. 4.* & patet quia eodem tenore, & in eadem clausula petitur *in Trid. sess. 24. de matr. cap. 1.* vt proprius Parochus intersit matrimonio, & vt benedictiones conferat, sed ad illud sufficit Parochus vtriusque cõtrahentis: ergo, & ad hoc *ita etiam Barb. de off. & potest. Epis. num. 185. & in Trid. sess. 24. cap. 1. num. 154.*

Nu. 4 Esse autem præceptum, recipiendi benedictiones has nuptiales probat *Sanchez lib. 7. de matr. disp. 82. numer. 6.* quæ fieri non possunt nisi inter missarum solemnia vt asserit *Barb. de off. & potestat. Epis. par. 2. alleg. 32. num. 185. S. Benedictiones, & in Trid. sess. 24. cap. 1. num. 151.* in quibus locis habet sic decisum fuisse *à sacra Congreg. Concilij in Pisauren. 13. Iulij 1630.*

An huiusmodi benedictiones omnino omittere, sit peccatum mortale, respondet *Sanch. loco supra citato numer. 6.* probabilius esse solam venialem culpã, in hac omissione inueniri, cui⁹ ratio est quia cum non sint sacramentum, sed sacramentale quoddam, nec tanti momenti, quanti sacramentalia, quæ Baptismo præmittuntur; non video ait *Sanch.* cur earum omissio deficiente contentu censenda sit mortalis *ita etiam Barb. in Trid. sess. 24. cap. 1. num. 150.* contra aliquos æxistimantes esse mortale, quare peccatum mortale non est consumare matrimonium ante Ecclesiæ benedictionem *vt ait Sanch. lib. 3. disp. 12. num. 7. Barb. de off. & potest. Epis. par. 2. alleg. 32. num. 181. imo ait Sanch.* aliquando esse sanum consilium, vt quando hæ ex aliqua iusta causa differuntur, & est periculum incontinentiæ. An vero sit saltem veniale, respondet *Sãch. probabilius num. 7.* non esse veniale, quia solum est consilium non consumare ante benedictiones, vti ex aliquibus probat *Sanch. num. 6. & patet ex Trid. sess. 24. cap. 1. his verbis. Præterea eadem S. Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent,* quod cum non præcipiat, sed hortetur liberã volũtatẽ excitat, & nõ obligat, quia cõsilij natura est, vt quãuis excitet ad deliberãdum, nõ tamẽ obligat ad sequendũ, *ita etiam Barb. de off. & potest. Epis. par. 2. alleg. 32. num. 179. & 180.* Nu. 5

Quibus vero temporibus interdicantur, & an liceat eas suscipere; tempore interdicti, iam supra diximus, quid vero dicẽdum de secundis nuptijs *vt ex Rit. Rom.* habetur non debere Parochum, quando coniuges in primis nuptijs benedictionem acceperint, eos in secundis benedicere, siue mulier, siue etiam vir ad secundas nuptias transeat *ita etiã Sanch. lib. 7. disp. 82. num. 15. Barb. de off. & potest. Episc. par. 2. alleg. 32. numer. 183. & de off. & potest. Parochi par. 2. cap. 21. num. 102. & in Trid. sess. 24 cap. 1. n. 152.* etiam si forte primum matrimonium fuerit inualidum *ita Sanch. numer. 26. &* Nu. 6

ratio est quia benedictio non proprie respicit nuptias, sed personas, nec semel recepta amittitur, ita etiam quomplures Doctores citati *apud Barb. locis supra citatis*.

Nu. 7 Sed vbi ea viget consuetudo, vt si mulier nemini vnquam nupserit, etiam si vir aliam vxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea seruanda est *ita ex Rit. Rom. vnde Poss. de off curati cap.* 10. *num.* 48. habet circa huiusmodi benedictiones impertiendas, semper legitimam diœcesis consuetudinem seruādam esse, quare *Sanch. lib 7. de matr. disp.* 82. *nu.* 21. licet afferat varias doctorum opiniones circa huiusmodi consuetudinem seruādam, qua in re, quidam dicunt consuetudine quasi vbique seruari, vt secundis nuptijs, quæ tales sunt ex parte vtriusq; coniugis, aut solius mulieris benedictio minime conferatur, secus si solum sint secundæ ex parte viri: alij vero dicunt praxi receptum esse, ne secundis nuptijs benedictio impertiatur, si vterque coniux, aut femina sola, benedictionem in priori coniugio recepisset, secus si femina sola minime suscepisset; alij tertio dicunt consuetudine seruari, vt semper conferatur benedictio secundis nuptijs, qualitercunque sint secundæ, vbi alteruter coniux benedictionem minime suscepit, siue sit vir, siue femina *tamen Barb. de off. & potest Parochi par.* 2. *cap.* 21. *num.* 103. *& de potest Episc. par.* 2 *alleg.* 32. *num.* 184. habet quod consuetudo generaliter recepta obtinuit, quod si femina solum non dum fuisset benedicta, posset tunc benedictio solemniter fieri *ita Barb.* qui pro se citat quomplures Doctores.

Nu. 8 Id tamen aduerte, viduæ nuptias nō esse benedicendas, etiam si eius vir nūquam vxorem duxerit *ita Rit. Rom.*

Nu. 9 Quam pęnam incurrat Sacerdos benedictionem secundis nuptijs impertiens, in casu non permisso, respondet *Sāchez de matr. lib.* 7. *disp.* 82. *numer.* 27. ab officio, & beneficio suspensum, ad Apostolicam Sedem mittendum esse, cum litteris Episcopi, prout disponitur *in c. de secundis nuptijs* vbi habetur Cappellanum, quem benedictionem cum secūda constiterit celebrasse, ab officio, beneficioque suspensum, cum litterarum testimonio, ad sedem Apostolicam nullatenus destinare posponas, quæ suspensio non est lata, sed à Iudice ferenda, nā ibi habetur, & præcipitur Episcopo, vt ipsum suspensum remittat, absoluendum ad Pontificem, quasi dicat ipsum suspende, & vbi suspenderis, à solo Pontifice potest absolui *ita Sāch. loco supra citato, et Barbos. de of. & potest. Episc. par.* 2. *alleg* 32. *num.* 186. vbi habet missionem ad Romanam Curiam sublatam fuisse, ita etiam *Sanch. loco supra citato nu* 28. & licet aliqui teneant prædictam suspēsionis pœnam locum habere tantum, vbi constante priori matrimonio, Præsbiter secundas nuptias benedicit *tamen Barb. nu.* 187. verius putat sacerdotem huiusmodi suspensionem incurrere, si benedicat secundum matrimonium, etiam dissoluto primo.

Aduerte nonnullos citatos *apud Barbos. num.* 188. *fine* asserere arbitraria tantum pœna esse puniendum clericum, in casibus sibi non permissis nuptiales benedictiones impertientem, id quod confirmat etiam *de of. & potest. Parochi par.* 2. *cap.* 21. *num.* 106 §. *Contra* vt autē de debito coniugali agamus. Nu. 10

QVAERES VNDECIMO.

Quid de debito coniugali sit dicendum.

Hactenus de matrimonio, & de secundis nuptijs, ac earum benedictionibus, nunc de effectu, ac obligatione consurgente ex matrimonio inter ipsos coniuges, nempe mutuæ debiti coniugalis redditionis, ac cohabitationis tractabimus. In hoc igitur, vndecimo Quæsito disserendum est, quo ad fieri potest breuiter. An actus coniugalis ex se sit licitus, & obligatorius. Deinde de obligatione ad cohabitandum. Postmodum, quia actus quicunque bonus, potest ex circumstantijs vitiari de illis esset disputandum, ex quibus redditur actus coniugalis vitiosus, nec tenetur coniux exactus ad debiti redditionem. Tandem de tactibus, cæterisque libidinosis delectationibus inter coniuges, sponsosque de futuro, & huius occasione etiam inter solutos, esset aliquid dicendum. Nu. 1

Nn Ve-

Nu. 2 Verum quia de circumstãtijs, quibus potest reddi actus coniugalis vitiosus docte, & diffusissime egit *Sanch. tom. 3 de matr. lib. 9 à disp. 8. vsque ad 44. & incipiendo à disp.* 8 agit de circumstantia finis, actus coniugalis, qui multiplex esse potest, nempe proles, reddere debitum, significatio vnionis Christi cum Ecclesia, aut cum carne, sanitas corporis, vitatio fornicationis, voluptas, aut alius finis extraneus, de quibus melius, & commode apud ipsum, sicuti deinde *disp.* 44. tractat de morosis cogitationibus, in actu coniugali cogitato, de tactibus item, aspectibus, confabulationibus turpibus inter coniugatos secluso pollutionis periculo, & cum pollutionis periculo agit *disp.* 45. Insuper *disp.* 46. discurrit an inter sponsos de futuro licita sint tactus, aspectus, & verba turpia, & generaliter quando hæc inter omnino solutos sint peccata mortalia: Et tandem *disput.* 47. inuestigat an sponsis de futuro, liceat delectatio captata ex futuræ copulæ cõiugalis cogitatione. Et coniugibus viduis effectis liceat, captata ex copulæ tempore matrimonij habitæ cognitione, quas quidem disputationes operæpretium duxi melius esse legere, & perlegere apud ipsum, quam aliquid circa eas annotare, quare.

Nu. 3 Vt ad rem nostram deueniamus, & à primo exordium incipiamus, præter nõnullos hæreticos, qui nuptias illicitas esse testati sunt, non desunt ex Doctoribus catholicis, qui doceant actum coniugalem non posse absque culpa saltem veniali exerceri, vt videre est *apud Sanchez tom. 3 de matr. lib 9. disp. 1. num.* 1. nihilominus veritas catholica est, actũ coniugalem esse ex se licitum, posseque absque culpa exerceri, cuius ratio est, quia actus coniugalis reddendi debitũ, est actus virtutis iustitiæ, cum reddatur coniugi debitum, ex pacto matrimoniali contractum *ita inter alios Sanch. num.* 2. vide *nu.* 3. infert actum coniugalem in gratia exercitum, & debitis circumstantijs vestitum, esse meritorium, prout in cæteris bonis actibus iusti contingit, quare licet in ipso actu coniugali, nõ conferatur gratia sacramentalis ex opere operato cum non sit sacramentum, nec pars eius necessaria, & gratia sacramentalis conferatur ex opere operato, dum sacramentum ipsum matrimonij, per verba de præsenti celebratur: tamẽ confertur ex opere operantis, vt in alijs actibus bonis *ita Sanch.*

Nu. 4 Quare ex natura ipsa matrimonij, seu vinculi coniugalis sequuntur tanquam passiones, ius ad petendum, & obligatio ad reddendum, cuius ratio est, quia vinculum coniugale suapte natura eo tendit, vt proles generetur, & species conseruetur, quod obtineri nequit absque iure petendi, & obligatione reddendi *ita Sanch. tom. 3. de matr lib. 6. disp. 2. nu.* 8. *vbi numm.* 9. ait coniuges teneri sub culpa lethali sibi mutuo reddere debitum, siue alteruter expresse, siue tacite, & interpretatiue petat, modo tamen petat tãquam debitum ex iustitia: & sicut in alijs præceptis, etiam iustitiæ datur paruitas materiæ, quæ à culpa lethali excusat. ita etiam, & in hoc. Vnde si cõiux exigenti neget tam debitum, absque periculo incontinentiæ exigentis, v. g. solet vir petere quater in mense, & petat iterum, non erit mortale vxorem ea quinta vice negare, sine periculo tamẽ incontinentiæ. Insuper quando coniux nimius esset in petendo, & rationis limites excederet, non semper tenetur alter reddere, sed moderate *ita Sanch. nu.* 12.

Nu. 5 Vnde lethaliter peccaret coniux, scienter reddens se impotentem medijs illicitis, ad debitum coniugale persoluendum ita *Sanch. tom. 3 de mat. lib. 9. disp. 3. num. 2. vbi num.* 3. ait virum crebro se polluentem, aut ad alias feminas accedentem, si aduertat se inde, reddi notabiliter impotentem ad satisfaciendum moderate vxori, vltra crimen pollutionis, aut adulterij, peccare aduersus legẽ iustitiæ, qua tenetur aptum se debito cõiugali reddendo præseruare; nam medio illicito se impotentem reddit. Quare circumstantia hæc detegenda est in confessione, verum nos de his circumstantijs alibi: Item & si huiusmodi media, quibus coniux efficitur notabiliter impotens sint aliàs licita, vt immoderata ieiunia, aut vigiliæ indiscretæ, si id aduertat, peccat *ita Sanch. num* 4.

Nu. 6 Oritur autem ex obligatione reddendi debitũ, cohabitandi obligatio, quare

tenea-

teneantur coniuges iure naturali, ac diui no simul habitare Hæc auté obligatio, non tantum est in eadem domo habitādi,sed etiam ad eamdem mensam accu bendi,in eodemque thoro iacendi *ita Sanch.lib.9.de matr.disp.4.num.2.vbi nu. 6.*habet posse iudicem Ecclesiasticum censuris,& inuocato secularis auxilio, coniuges ad cohabitandum compellere,& vt adducere coniugem,qui separatus est. Quamquam possint coniuges mu tuo consensu separari,quo ad thorum, si adsit legitima causa,& non odio,aut indignatione ducti,cōiuges communi cōsensu separentur: Item ne patiatur vterque,aut alteruter incontinentiæ periculum *ita Sanch.loco supra citato num.5.* vbi ait nullo modo iudicem Ecclesiasticum permittere debere, coniuges iuuenes separatos esse,ob incontinentiæ periculum.

Nu. 7 Quare tenetur vxor ad comitandum virum alio mutantem domicilium *ita Sanch.num.11.*& an valeat contraria cōsuetudo,vel pactum in ipso matrimonij contractu initum,& an aliquando vir teneatur comitari vxorem *vide Sanch. de matr.lib.1.disp.40.& sequēti.* Et licet vir possit modico tempore, non tamen potest diutius abesse, *vti ait Sanch. tom. 3. de matr.lib.9.disp.4.num.12.* quia lex diuina obligat ad cohabitandum. Quæ quidem diuturna mora arbitrio prudē tis,consideratis absentiæ causis,& incō tinentiæ periculo,definienda est vti docet *Sanch* qui habet nec valere statutū, aut consuetudinem, vt viri diutius sine vxore sint,quia iuri diuino cohabitatio nem præcipienti aduersatur: Potest tamen vir diu abesse iusta interueniente causa, vt si Princeps ad bellum conuocet,vel ad familiam gubernandam, vel rem familiarem tuendam, necessarium sit *ita optime Sanch.loco supra citato num. 13.*

Tenetur item vir vxorem alere, quia ideo dotem vxoris recipit,vt matrimonij onera substineat,ipsi,& familiæ alimenta præstans *ita Sanch.tom 3. de mat. lib.9.disp 4.num. 19.* modo tamen vxor viro cohabitet,si enim absque viri culpa,propria temeritate ab eius consortio recedat,alenda minime est à viro. Quia vxor debet esse in viri obsequio *ita Sanchez num.20. vbi nu. 21.* habet hæc adeò vera esse,vt quando sua culpa vxor recedit vir,quamuis dotem habeat,minime obligetur ad ipsam alendam. Quia vxor tenetur dotem traddere viro, & in ipsius obsequio esse, quare si in alterutro deficiat,cessat ipsam alendi obligatio. Nu. 8

Insuper licet vir minime possit, debitum coniugale negare vxori,ob dotem non solutam, cum obligatio reddendi debitum,non ex dotis tradditione, sed ex ipso matrimonij contractu consurgat vt asserit *Sanch.tom. 3 de matr.lib. 9. disp. 5.num. 1.* tamen dote promissa, non soluta, minime tenetur maritus vxori alimenta præstare, modo soluens sit in mora,patet quia dos, quasi in pretium datur,vt ex eius fructibus maritus onera matrimonij substineat, vxoremque alat,quamquam vir minime vxorem expelli possit ob dotem non solutam *ita Sanch.num 17.* Nu. 9

Cæterum An cum coniuges ad debiti exactionem impediti sunt, vt ratione voti,aut affinitatis,vel cognationis contractæ liceat viro vxorem à cura sua, e domo expellere respondet *Sanch.tom.3. de matr.lib.9 disp.5.num.19.* non licere, quia Christus *Matth. 5.* sola fornicationis causa vxorem dimitti permisit, sed de his *apud Sanch.* ex quo hæc supradicta fideliter deducta sunt,& hæc satis quo ad matrimonij effectum, & ad quinque Sacramenta ad Parochum pertinentia; verum quid dicendum de eiusdem Parochi residentia sit. Nu. 10

DISPVTATIO OCTAVA

DE PAROCHI RESIDENTIA.

IN *hac disputatione de Parochorum residētia mihi visū est tractare vtpote necessaria ad Parochi conscientiam,qui in eodem loco beneficij esse debet,*

nam, vt optime aſſerit Sancius in ſelectis diſp.47.num.2. *cum Parochus per ſemetipſum eius gregi ſacramenta miniſtrare teneatur, ſi non reſidet, hoc præſtare nequibit, & patet ex verbis* Concilij Trid.ſeſſ.7.cap.3. *vbi habet inferiora beneficia Eccleſiaſtica præſertim curam animarum habentia perſonis dignis, & habilibus, & quæ in loco reſidere, ac per ſe ipſos curam ipſam exercere valeant: verum vt melius explicetur obligatio reſidendi Parochorum ſit.*

VNICA DIFFICVLTAS
QVID SIT RESIDENTIA.

D*E reſidentia Prælatorum in ſuis Eccleſijs facienda agit* Trid. ſeſſ. 6. de refor.cap.1.& ſeſſ.23.etiam de refor.cap.1. *& late tractarūt multi, ac varij Doctores, & præcipue citati* apud Barb. de off. & poteſtate Epiſ.par.3.alleg.53.num.1.& in Trid.ſeſſ.23.cap.1.num.1. & de off. & poteſt.Parochi par.1.cap.8.num.1. *item ſuper reſidentia Prælatorum, & aliorum curam animarum habentium, & reſidere debentium, emanarunt multæ Pontificum conſtitutiones, & præcipue nouiſſime circa reſidentiā in Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſijs faciendam, etiam per S. R. E. Cardinales, & de pęnis contra eos non reſidentes, & à ſuis diæceſibus quocunque prætextu abſentes emanauit conſtitutio* S.D.N. Vrbano VIII. quæ incipit Sancta Synodus ſub die 12.Decembris 1634.quam inuenies apud Barb.tom.3.de off. & poteſt.Epiſ.in formulario Epiſcopali fol.117 formula 64. ſuper reſidētia Epiſcoporum. *Verum vt intelligamus, quæ in hac difficultate tractāda ſint, operæ pretium duxi adnotare primo, reſidentiam nihil aliud eſſe, quā in eodem loco beneficij eſſe, vt patet ex verbis* Tridentini ſupra citatis *hoc annotato.*

QVAERES PRIMO.

An, & quo iure teneantur Parochi *ad Reſidentiam.*

Num. 1 CVm præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere *vt ait Trid ſeſſ.23 de refor.cap.1.initio,* ideo iure optimo Parochos de iure diuino in ſuis Eccleſijs reſidere teneri probāt ex hoc *Sancius in ſelectis diſp.47.numer.2.* §. *Iterum, lege Barb.de of & poteſt.Epiſ par.3 alleg.53.num 2.in Trid ſeſſ.23.cap.1.n.3* & quamplures Doctores apud ipſum citatos *itē de off.& poteſt. Parochi par.1. cap.8.num.1.* vbi demonſtrat, licet *Trid. initio* loquatur de Epiſcopis, tamē, quia in fine habet omnia, quæ dixit ſuperius de Epiſcopis, intelligenda etiam eſſe de Parochis *vbi nu 2.* egregie probat; quod licet inferri videatur, Papam in reſidentia diſpenſare non poſſe, vtpote quia diſpenſare non poteſt in ijs, quæ ſunt de iure diuino, tamen hanc illationem ait, non eſſe indiſtincte veram, quia in hoc caſu non diſpenſat proprie tollendo vinculum, quo Parochus aſtrictus eſt ad reſidentiam, ſed iuſta, & legitima exiſtente cauſa declarat vinculum illud, ceſſare ob rationabilem cauſam, quæ ſuperuenit, & Parochum non teneri in aliquibus

bus

bus caſibus reſidere,& Dei voluntatem
Nu. 2 eſſe,vt nunc non cogatur ad reſidentiã.
Verum aduerte,quod habet *Corduba citatus a Vaſqu. in opuſ. tract. de beneficijs cap.4.§.2.dub.1.num.133.* ſcilicet reſidẽtiam non tãtum poſtulare corporalem præſentiam,ſed etiam fideliter ſuum exequi munus,nec in recreationibus,& alijs profanis occupationibus tempus conſumare,aliàs quid prodeſſet ouibus paſtoris præſentia ſi illarum nullam haberet curam,certe iſte,tamquam non reſidens iudicandus eſt, qui corpore præſens,animo tamen longe abeſt ab ouium cura *ita etiam Sanctius in ſelectis di ſput.47.num.3.* vbi habet nec reſidere dicitur vere Parochus,& cõcilij mẽti ſatisfacere ob ſolã habitationẽ in loco beneficij *& nu.4.§.Sed quanam ratione*, ait quis nam magis abſens, quam qui miniſterio alicui exercendo,velut abſens ſe habet. Parum Hercle Parochianis,imo nihil prodeſt Parochi præſentia miniſterio deſtituta,cum potius offendat, vt recte notauit *Sotus lib.10. de iuſt. quæſt. 3. ar.1.ante arg.ſolutionem,& alij*,& idem fit,inutiliter adeſſe,quod abeſſe.

Quare bene *Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 34.dub.26.num.136.* infert quod,qui beneficium parochiale accipit,animo non
Nu. 3 reſidendi,peccare quidem, non tamen eſſe ipſo facto priuatum, nec teneri ad fructuum perceptorum reſtitutionem modo infra,quod peccet,patet, quia decipit Eccleſiam,quæ in talibus requirit animum ſeruiendi,quod quidem peccatum non eſt mortiferum, vti aſſerit *Nau.lib.3.conſil.24.*

Nec ſufficit vt per alios faciant,quod præſtandum eſt per Parochos(niſi cau-
Nu. 4 ſa maioris momenti cogat Parochos ad tempus abeſſe)patet,quia contra rectã rationem eſt,vt tu officium cum emolumentis habeas,& alius præſtet onus, niſi maior aliqua ratio cogat te abeſſe, & patet ſecũdo,quia qui accipit aliquod officium, obligat ſuam propriam perſonam ad proprias illius officij fũctiones, taciteque promittit ſe illas obiturum, quantum res refert, & niſi putaretur id facturus,non ei daretur *ita Leſſius loco ſupra citato dub.29.num.154.* quare Parochus nec officio ſuo ſatisfacit, quo ad Deum,ſi reſidet quidem, ſed totam curam relinquit Cappellano, quem habet in coadiutorem,ad maiorem quietem, licet illi omnia ardua relinquat, veluti ire de nocte,audire multas cõfeſſiones, & ſimilia,dummodo tamen non vtatur eo vt homine,qui portet pondus diei,& æſtus,ſed vt ſocius laboris *ita Barboſ. de off. & poteſt. Parochi par.1.cap.8.num.41. Poſſ.de off.curati cap.1.num.10.* vbi addit ſe non excuſare ſaltem a graui veniali Parochum,ſi dum nominatim vocetur, & expectatur,nolit ire.

Vt autem Parochus vere reſidere di- Nu. 5
catur,tria requiruntur. Primum vt in propria Eccleſia. Secundum vt perſonaliter.Tertium vt continuo,circa quæ aduerte,& primo.

Circa primum Parochus reſidere debet,in domo ipſius Parochialis, ſi vero Nu. 6
illa non habet domum,tunc in alia domo,quæ ſit intra limites Parochiæ, aut ſaltem ita vicina Parochiali Eccleſiæ, vt inde commode poſſit per ſe ipſum ei inſeruire,habitare tenetur *ita Barb.de off.& poteſt.Parochi par.1.cap.8.num 34. vbi num.35.* ait ſi ibi non habet domum propriam,aliquam conducere debere *ita etiam de off & poteſt. Epiſ.par.3 alleg. 53.num.71.& in Trid.ſeſſ.23.cap.1.num, 45.*

Circa ſecundum de perſonali reſidẽ- Nu. 7
tia,illud eſt ſciendum Parochum teneri reſidere perſonaliter,& non alio modo ſatisfacere muneri ſuo, etiam ſi populo per alium æque bene,& forte melius ſeruiatur quia *Trid.ſeſſ.23.de refor.capit 1.* requirit induſtriam perſonæ, quæ per alium non poteſt ſuppleri *ita Barboſ. de of.& poteſt.Parochi par.1.cap.8.num. 40. & in Trid ſeſſ.23.cap.1.numer.47.Poſſ. de of.curati cap.1.num 8 vbi num 11.* habet Parochum reſidentem quidem,ſed non exercentem officium ſuum, minime ſatisfacere præcepto reſidentiæ,nec in foro exteriori,nec interiori,cum vtrobiq; punibilis ſit,ac proinde peccat mortaliter,vel venialiter pro qualitate culpæ.

Circa tertium, vt ſcilicet continua Nu. 8
ſit reſidentia,eſt obſeruandum Parochũ debere talem ſui copiam facere,vt indigentes non careant neceſſaria ope, ſed non arctatur, vt debeat manere quaſi in compedibus,niſi habeat infirmos graues,quia tunc non debet vagari, etiam per

per Parochiã, sed propria in domo manere; potest enim fieri, vt requiratur ab infirmis, & non repertus, illi moriantur sine sacramentis *ita Barb. de off. & pot. Parochi par. 1 cap. 8. num. 42. & 43. & in Trid. sess. 23. cap. 1. num. 49.*

Nu. 9 Quare si Parochus rationabiliter iudicauerit, puta quia nullus infirmatur, potest abesse per aliquas horas, & si nullum substituat, quia consuetudo optima legum interpres, ita declarat, etiã apud timoratos: abesse vero tota die, quando nullus infirmatur, raro in anno, nec laudo, nec vitupero; abesse autẽ per duos, aut tres dies nullo infirmante, & nulla alia causa iustificante, habet valde de rationabili esse mortale, propter multa, quæ possunt eo tempore euenire, maxime in oppidis, vbi non est alius sacerdos à curato; in Ciuitatibus vero, vel in oppidis vbi sunt alij sacerdotes, erit maius, minusue peccatum ratione periculi, & damni probabiliter euenturi, cui tamen facilius, quam in villis potest obiari *ita Poss. de off. curati cap. 1. num. 4. Barb. de off. & potest. Parochi par. 1. cap. 8 num. 44. & in Trid. sess. 23. cap. 1. num. 49. vbi nu. 50.* habet posse Episcopum prohibere Parochis, sub pœna pecuniaria, quæ tamẽ dimidiam non excedat, ne vltra biduũ à sua Ecclesia absint, non tamen id prohibere poterit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, decisum referũt aliqui apud ipsum citati.

Nu. 10 Quæ omnia, de residendi obligatione dicta, non ita amare accipienda sunt, vt debeat Curatus manere quasi in compedibus, vnde non desinit residere, qui per breue tempus, vel abfuit, vel personaliter non deseruiuit, vt ex multis doctoribus probat *Barb. de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 53. num. 92.* vnde absens à Parochia per breue tempus, animo reuertendi, illam non amittit *vti Barb. probat ex cap. is qui de sepul. in 6.*

Nu. 11 Hoc autem breue tempus, de quo agimus ad octo tantum dies extẽdit *Poss. de off. curati cap. 1. num. 19.* At vero *Reg. tom. 1. lib. 1. nu. 51.* habet posse Parochũ inconsulto Episcopo, curam suam pastoralẽ, delegare ad breue tempus; tẽpus autem breue ait esse, si non accedat ad spacium trium hebdomadarum. Tertio tandem *Sanch. tom. 1. de matr. lib. 3. disp. 31. num. 11. §. Hoc autem* absolute ait hoc breue tempus, debere esse per spatium triũ hebdomadarum, id quod probat *ex cap. si quis in clero 7. quæst. 1. & ex Trid. sess. 23. cap. 1. vers. eadem omnino* vbi decernit Parochus non posse abesse, nisi per duos, aut tres menses, & id ex licentia Episcopi, & relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbando, vbi vides Parochum non posse, inconsulto Episcopo per lõgum tempus, vt per spatium duorum mensium assignare Vicarium; maneat igitur per breue tempus, & per spatium trium hebdomadarium posse.

Vnde ex his dictis, sequitur Parochos sine legitima causa, & licentia in scriptis habita, non residentes modo explicato, mortifere peccare, & fructus beneficij pro rata temporis, quo abest, suos non facere modo infra *ita Barb. de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 53. num. 95.* etiam ante sententiam, vt probat *Vgol. apud ipsum citatus* an huiusmodi pœnas euadendas requiritur legitima causa, ac proinde. Nu. 11

QVAERES SECVNDO.

An aliqua esse possit causa, ob quam excusetur Parochus à residentia.

RESpondeo primo ex quattuor causis, in scripto ab Episcopo approbandis, posse Parochos pro tempore necessitatis abesse, vt colligitur *ex Tridẽt. sess. 23. de refor. cap. 1.* quarum. Nu. 1

Prima est Christiana charitas, vt cũ quis abest ad adiuuandam aliquam priuatam Ecclesiam, ad adirimendas lites, controuersias, odia, dummodo ex tali absentia in propria Ecclesia non sequatur notabile damnum, quia esset contra ordinem charitatis *ita Barb. de off. & potest. Parochi par. 1. cap. 8. nu. 36. §. Prima.* Nu. 2

Secunda est vrgens necessitas, ad hãc aliqui doctores reducunt, cum quis ad tempus abest ob morbum curandum, bellum, hostium incursus, pestem, seuitiem, aeris intemperiem, vel ob inimicitias, odium, aut offensionẽ Principis, vel populi declinandam, denique ob vitæ, vel salutis aut libertatis periculum, ad tempus deuitandum, dummodo tamen Nu. 3

meo non immineat detrimentum ouiū in spiritualibus, nam si illud immineret ex nulla causa, posset abesse, quia bonus pastor animam suam debet ponere pro ouibus suis *ita Barb. loco supra citato nu.* 47.

Nu. 4 Tertia est debita obedientia, quæ superioribus debetur, Papæ scilicet Episcopo, vt esset cum quis abesset, vt pareret Papæ, vel eius ligato, seu Episcopo obsequium, & officium iustum, & debitum imperanti, quale esset ad visitandā prouinciam, vel diœcesim, seu ad pacem componendam *ita Barb num.* 48.

Nu. 5 Quarta est euidens Ecclesiæ, vel Reipub. vtilitas, ad quam *Azor. citatus apud Barb. num.* 49. reducit cum quis abest pro lite Ecclesiæ, vel pro obtinenda à superiore reformatione, pro varijs emergentibus.

Nu. 6 Extra prædictas causas concedit *Tridētinnm dicto cap.* 1. §. *Eadem omnino* Parochis vt singulis annis abesse possint per duos menses, & si vltra duos menses absque legitima causa per Episcopū cognita, & approbata abiint, & discedēdi licentiam in scriptis non obtineant, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus pro tempore absentiæ amittunt *ita Lessius de iust. lib. 2. cap.* 34. *dub.* 29. *num.* 159. *Barb. in Trid sess.* 23 *cap.* 1. *num.* 22.

Nu. 7 Vbi valde notandum est, quod habet *Nau. cap.* 25. *num.* 121. *Emanuel Sa in aphor. verb. residentia num.* 7. *Bonac. Azor. & quomplures alij Doctores citati apud Barb. in Trid sess.* 23. *cap.* 1. *num* 67. §. *contra* æxistimantes posse Parochum sine licentia Episcopi ex iusta causa abesse ad duos menses continue, vel diuisim, si tamē sine causa iusta absint peccabūt mortifere contra præceptum naturale, & diuinum de residendo, ita quo ad hāc vltimam partem *Lessius lib. 2. de iust. cap.* 34. *dub.* 29. *num.* 159. §. *Vbi notandum fine.*

Nu. 8 *Et Nau.* opinionem etiam confirmat *Sanctius in selectis disp.* 47. *num.* 5. dicens per duos menses continuos, siue discretos posse licite Parochos muneris ministrandi sacramenti muneri incumbere; dum tamen vice curatum idoneum, qui id agere possit designēt, quamquam in loco beneficij maneat, causa tamen ad esse debebit, vt à ministerio cessēt, vt à labore scilicet vacēt, animū recreēt, & amicos visitēt, commodius vires nouas resumāt ad deinceps laborandum, nec ad vacandum à ministerio per illos duos menses licentia ab Episcopo desideratur *hac Sancius* quamquam *Lessius loco supra citato* §. *Nec obstat* putet mentem concilij esse, vt non absint primo bimestri absq; facultate Episcopi ita etiā, & alij citati apud *Barb. in Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *num.* 67. quia concilium ait. Quādocunque eos abesse contingerit, debere causam esse prius cognitam, & approbatam per Episcopum.

Tenetur semper Parochus, iusta de causa abesse volens, siue cum licentia, siue absque ea, relinquere Vicariū idoneum ab ipso Ordinario approbandū, cum debita mercedis assignatione, vt habetur ex ipsomet concilij decreto nisi Vicarius gratis voluerit seruire *ita etiā Barb. de off. & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 8. *num.* 51. *&* 52. *& in Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *n.* 63. *&* 64. Nu. 9

Vnde nullo modo potest Parochus Vicarium, seu substitutum, etiam idoneum, & admissum in illo Episcopatu pro administratione sacramentorum relinquere in consulto Episcopo, quia expresse habetur *in Tridentino sess.* 23. *cap.* 1. Vicarium idoneum relinquat, ab Ordinario approbandum, si tamen abiit per sex, vel octo dies, poterit relinquere substitutum sine Episcopi approbatione, ita declarante consuetudine vniuersali, nisi Episcopus per cōstitutiones suas inhibeat *ita Poss. de off cu rati cap.* 1. *num.* 19. vbi etiā habet, quod semper substituat admissum pro administratione omnium sacramentorum in toto Episcopatu, quia nihil ageret si substituerit admissum ad quędam sacramēta, vel ad certum genus personarum. Nu. 10

Aduerte, quod si datus sit coadiutor ratione infirmitatis non ob id proprius Parochus excusaturā residentia *ita inter alios Barb de off & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 8. *num.* 20. *& in Trid. sess.* 23. *cap.* 1. *num.* 59. *vnde num* 23 *de off & potest. Parochi* asserit hodie esse adeo præcisam residentiam in Parochis, vt illi ab ea excusari non valeant, etiam ex illis causis, ob quas Canonici residere non coguntur, Nu. 11

&

& ideo eos minime posse in seruitio Episcopi permanere, aut Ecclesiarum cathedralium, nẽpe vt sint Vicarij, Secretarij, Fiscales: *ita etiam Emanuel Sà verb. residentia num.* 1. si autem Ecclesiæ Cathedralis Parochus sit, poterit Vicariatus officio fungi, vt bene habet *Barb. loco supra citato nu.* 24. an vero Episcopus possit facere Parochum visitatorem suum, non omnes cõcedunt *nam Barb. loco citato num.* 23. habet *Sacram congr. concil. sub die* 8. *Ianuarij* 1628. *censuisse vltra duos menses, Episcopum non posse vti opera* Parochi, *id quod etiam refert de off. & potest. Episc par.* 3. *alleg.* 53. *num.* 86. *quam quam* Hier. *a Venero de exam. Episcoporũ lib.* 4. *cap.* 47. *num.* 16. habeat posse eum à residentia excusare per quatrimestre, posito idoneo Vicario, quia visitatio est magnæ vtilitatis:

Nu. 12 Et licet olim potuerit Parochus, studiorum causa abesse per septennium, ex consensu, & licentia Episcopi, hodie non permittitur, quia, hæc facultas derogata videtur *per Trid sess.* 23 *cap.* 1. dũ habet vt habentes curam animarum non possint abesse, nisi causa prius per Episcopum cognita. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedẽdam vltra bimestre tempus, nisi ex graui causa non obtineant: at declaratum est per sacram congregationem studiũ non esse grauem causam, vt obtinentes beneficia curata possint habesse, cum illa obtineantur per cõcursum, & approbationem, vnde supponitur illos, quibus huiusmodi beneficia curata conferuntur studuisse, & esse idoneos.

Nu. 13 Audire Theologiam, vel ius canonicum secundum aliquos, vt videre est *Lessium de iust. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 29. *nu.* 163. excusat a residentia ad quinque annos, id quod dicendum est secundũ hos de docente theologiam, aut ius canonicum, & in his duobus casibus non requiritur licentia Episcopi, nam Pontifex dat facultatem *in cap. Super specula de magistris*, & hoc caput doctores extẽdunt ad ius canonicum; ad litteras autẽ humaniores, & philosophiam, requiritur licentia Episcopi, nisi vbi contraria consuetudo viget.

Nu. 14 An non residentes, amittant fructus, & quommodo, respondet *Lessius de iust. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 29. *num.* 159. Parochos in casu, quo residere tenentur, non resideant sine dicta approbatione; fructus pro rata temporis absentiæ non facere suos, sed teneri in conscientia, eos, vel fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci erogare, vti habet, *Barb. de of. & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 8. *num.* 68. *& de off. & potest. Episc. par.* 3 *alleg.* 53. *num.* 101. vbi tenet fructus ammitti dumtaxat, pro rata illius temporis, quo quis abest sine licẽtia, nec posse Parochos non residentes, componi per bullam Cruciatæ, quare *Barb. de off. & potest. Parochi loco citato n.* 69. resoluit teneri Parochos ad hanc restitutionem, ante vllam iudicis sententiam.

Nu. 15 Episcopus autem, semper debet applicare huiusmodi fructus non residentium, de quibus supra, fabricæ Ecclesiæ Parrochialis etiam si non indigeat, nec pauperes intra limites reperiantur, quia potest huiusmodi Parochialis Ecclesia in dies indigere, saltem quo ad ornamẽta *ita Barb. de off. & potest. Episc. par.* 3. *alleg.* 53. *num.* 103.

Nu. 16 Vlterius Parochus, alijs iuris remedijs, etiam vsque ad priuationem, ad residentiam compelli potest, vt expresse statuit *Trid sess.* 23. *cap.* 1. *ita etiam Barb. de of. & potest. Parochi par.* 1. *cap.* 8. *num.* 72. *vsque ad* 76. *& de of. & potest. Episc. par.* 3 *allegatione* 53. *num.* 105. & hæc de Parochorum residentia, vt autem eorũ functiones explicemus sit.

DISPVTATIO NONA

DE FVNCTIONIBVS PAROCHIALIBVS.

NE in rebus facilioribus immoremur, & certum sit Parochum, qui rector Parochialis dicitur in actu animarum, vices Episcopi gerere, vti

vti asserit Aloysius Ricc. apud Barb. de off. & potest. Parochi par. 1. c. 9. num. 1. *ideo suas quoque habet peculiares functiones, ad ipsum spectantes, quare circa hanc disputationem sit.*

DISPVTATIO NONA

DE FVNCTIONIBVS AD PAROCHVM Spectantibus.

SVpponendum est functiones parochiales, esse illas, quæ à proprio Parocho fiunt, & ita ab ipso, vt à nemine Cappellano, aut Sacrista, vel Rectore simplicis beneficij fieri nequeant ita Aloysius Ricc. in praxi apud Bar. de off. & potest. Parochi parte prima cap. 12. num. 1. *vt autem has in particulari explicemus, & breuiter ad earum cognitionem deueniamus.*

QVÆRES PRIMO.

Quænam sint functiones ad Parochum pertinentes.

Nu. 1 DE his autem functionibus, multi multa dicunt, nos autem breuitati studentes, primam dicimus esse fontis baptismalis benedictionem, quæ ad solum proprium Parochum spectat *ita Quaranta, & alij apud Barb. de of. & potest. Parochi par. 1. cap. 12. num. 2.*

Nu. 2 Sanctissimi Sacramẽti delationes, & celebrationes missarum feriæ quintæ in cœna Domini, & Sabbati sancti, inter functiones Parochiales connumerãtur, & propterea tale munus non spectat ad Cappellanos, siue sacristas Ecclesiarũ, sed ad proprium Parochum, seu Rectorem animarum curam habentem, in Ecclesia institutum *ita declarauit sacra rituum Congregatio sub die* 18. *Maij* 1602 *vti refert Quaranta, & Aloysius Ricc. apud* Barb *loco supra citato num.* 3.

Nu. 3 Candelarum benedictio in die Purificationis Beatæ Virginis, & earum dispensatio, inter Parochiales functiones connumeratur, ac proinde ad proprios Parochos spectat *ita etiam censuit Sacra Congreg. Rit. vti refert Riccius apud Barb. num* 4.

Nu. 4 Caueant autem Parochi huiusmodi candelas ad ædes secularium transmittere, sed iuxta laudabilem, & obseruatã ab Ecclesia vniuersali consuetudinem, in Ecclesia populus eas recipere teneatur *vt censuit sacra Congr. negotijs Episcoporum, & regularium vti refert Barbos. de of. & potest. Parochi par. 1. cap 12. num. 5.* vbi etiam habet in Ecclesijs Cathedralibus candela benedicta debet Episcopo ministrari, à prima dignitate, *vt declarauit Sacra rituum Congr. in vna Brixien.* 28. *Maij* 1616. & candelam ab Episcopo accipere debet, ante omnes, etiam ante Vicarium, ille, qui candelam Episcopo ministrauit *ex eadem Sacra Cong. in vna Lucerina* 14. *Iunij* 1608. verum de his, & alijs ad candelarum, cenerum, palmarum, distributionem, spectantibus *apud Barb.*

Illud autem animaduertendum est, quod Parochi huiusmodi candelas ad ædes secularium transmittere non audeant modo supradicto, quamquam apud nos contrarium obseruetur, id quod mihi multum displicet, cum parum vt iudico confert ad deuotionem, & passim casaccipiunt potius, vt eas vẽdant, quã propter deuotionem, sed quidquid sit de hoc. Nu. 5

Cinerum benedictio, quæ solet fieri primo die quatragesimæ, connumeratur etiam inter functiones parochiales, & ideo à Parocho est facienda, sicuti & palmarum benedictio, quæ fieri solet in die dominico palmarum *ita Barb. loco supra citato num.* 8. & 9. *vbi num.* 10. ait celebrantes, qui distribuunt candelas, cineres, & palmas, quod detecto capite Nu. 6

distribuant *vt censuit Sacra Rit. Cong. sub die 18. Iulij 1633. & nouissime eadem Sacra Rituum congregatio de omnibus supradictis functionibus Parochialibus agens in dicta Alatrina 5. Maij 1633.* censuit benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, & similium in eorum *Ecclesijs* parochialibus, peragi debere.

Nu. 7 Aspersiones domorum, *in die Sabbati sancti*, post factam fontis benedictionem, cum inter functiones Parochiales connumerentur, ad solos Parochos spectant, quo ad alios Ecclesię Clericos, de licentia Parochis vnde *Sacra Congr. Concilij sub die 23. Nouembris 1619.* censuit regulares, non posse in sabbato sancto benedicere domos, cum nō possint hoc munus extra conuentum suum exercere *ita Barb. loco supra citato num. 14.* quāquam non sit prohibitum regularibus in eorum Ecclesijs, mulieres post partū ad Purificationem admittere.

Nu. 8 Illud etiam maxime aduertendum est, quod habet *Barb. de canonicis dignitatibus cap. 32. num 8* scilicet aspersoriū semper cum aqua benedicta, Episcopo accedenti ad Ecclesiam, deberi ministrari à prima dignitate, vel digniori canonico *vti censuit Sacra Congr. in Salamatina 16. Iulij 1605. & in Sarzanen. 12. Maij 1612.* Accedenti vero ad Ecclesiam collegiatam porrigendum esse à prima Dignitate, vel primo Canonico Cathedralis, quatenus ibi adsit, *vt in Camarinen. 15. Martij 1618. in respons. ad 2. dub.*

Nu. 9 A quo nam ministrandum sit Aspersorium, in alijs Ecclesijs, *censuit sacra rituum Congreg. in vna Bononiensi sub die 14 Februarij 1632.* Aspersorium Ordinario loci, ad aliquam Ecclesiam, suæ diœcesis, seu iurisdictionis quacunque de causa ingredienti, non ab Archidiacono, seu alijs de Capitulo, cuiuscunque Ecclesię porrigi debere, sed a digniori illius Ecclesiæ, ad quam Ordinarius accedit, & ita in posterum vbique seruari mandauit.

Nu. 10 Tandem Processiones facere per Parochiam, ad Curatos spectat, & sine eorum consensu illas dirigere, nullus etiā regularis valet *ita refert Barb. de off. & potest. Parochi par. 1. cap. 12. num. 13. fuisse decisum à Sacra Rituum Congreg. in vna hispalien. sub die 26. Februarij 1628. & nouissime eadem Sacra Congreg. Rituum in Liman. 15 Decemb. 1632.* censuit non licere regularibus, & cōfraternitatibus laicorum, habentibus claustra, processiones facere extra claustra Monasterij, carentibus vero claustra, non nisi intra ambitū, hoc est prope muros Ecclesiarum, siue exeundo à ianua Ecclesiæ, & intrando per aliam, siue per eamdem, & semper prope muros Ecclesiæ, extra vero ambitum Ecclesiarum, non nisi de licentia consensu, aut cum cruce Parochiali *ita refert Barb.* qui etiam refert fuisse decisum, non posse regulares portare pluuiale, aut stolam per Parochiam extra Ecclesiam, aut claustrum.

Excipit autem *Barb. num. 14.* fratres Dominicanos, qui possunt processionē Nu. 11
facere sanctissimi Sacramenti, dominica infra octauam festiuitatis sanctissimi Corporis Christi, per eandem viam, per quam processionaliter, prima vice incesserunt, quando dictam processionē facere inceperunt, quare nō possunt mutare, aut variare vias, & loca semel ab eis electa, nec possunt Parochū impedire, ne in dominica infra octauam Corporis Christi suam solitam processionem faciat *ita Barb. num. 14. fine, & 15.*

Spectat autem ad Parochum declarare, per quam viam sit exportandus de Nu. 12
functus, & omnia necessaria, vsque ad ianuam Ecclesiæ regularium, vbi sepeliēdus est *ita Barb. in Trid. sess. 25. de refor. cap. 13. num. 24. vbi num 23.* asserit resolutum esse per sacram Cong. funere ducere, & prosequi, teneri Parochum vsque ad Ecclesiam regularium, si in ea defunctus sepeliri debeat; quare Parochus secularis sicut defert stolam in propria parochia, & in parochia fratrum, dum defuncti corpus in eorum Ecclesia sepelitur, ita Parochus regularis, in eodem casu, & eodem tempore poterit stolam deferre, non solum in propria parochia, sed in parochia defuncti *ita Barb. loco supra citato numer. 25. & 26.* at vero corpus sepulturæ traditum, non potest sine Episcopi licentia, ad alium locum transportari *ita Iulius Lauorius elucubrationes varia de prisco, & recenti funerandi more tit. 15. cap. 11. num. 17.* nisi in casibus ab ipso relatis *cap. 7. num. 29.* scilicet

cet fluminis incursu, ruinæ metu, vel si quis peregre obierit, sed de his apud ipsum.

Nu. 13 Et licet quoties Capitulum interuenerit funeri, non videatur licere Parocho defuncti deferre crucem, minus vero stolam, quia luminare maius offuscat minus, & minor iudex, seu sacerdos non exercet officium, & iurisdictionem, præsente maiori, nisi maior assentiat, & quod capitulum inuitatum ad funus, ipsum solum, & non aliæ parochia defert crucem, nec videtur deferre stolam cum cadauer, non sepelitur in Parochiali, sed in ipsa Cathedrali, quia præsente maiore Iudice, minor deponit insignia, & non vtitur in aliena iurisdictione vti dubitando asserit *Iulius Lauorius loco supra citato cap.* 11. *num.* 67. 68. *&* 69. tamen *num.* 83. respondet capitulum vti Capitulum, non habere iurisdictionem, nec maioritatem in Parochiali Ecclesia, sed solum in Cathedrali, *& num.* 84. docet stolam concedi in signum Parochialis dignitatis, & etiam in aliena iurisdictione, licere vti insignibus deno tantibus dignitatem, vti asserit *Hostiensis* apud ipsum, qui affert exemplum de anulis, quare concludit *Iulius Lauorius* deferre crucem, & stolam videri maioris dignitatis, & reuerentiæ Capituli, ne videatur Parochus incedere, vti simplex Clericus, & priuata persona, vnde Parochus solet deferre stolam, etiam præsente Episcopo, quando visitat Parochias, & capellas, gestant etiam Parochi in processionib⁹ generalibus Romæ interueniēte Pōtifice, Episcopi itē mitras, prout, & Pœnitentiarij, & alij Prælati inferiores, etiam præsente Episcopo, hactenus de functionibus parochialibus, vt autem aliquid de Parochorum præcidentia dicamus.

QVAERES SECVNDO.

Quid dicendum de Parochorum præcidentia.

ET licet de Parochorum præcidentia multi multa dixerint, tamen inter alios *vide Barb. de off. & pot. Parochi par.* 1. *cap* 6. *vbi licet num.* 1. asserat Parochum in actu animarum gererere vicem Episcopi *& num.* 2. videri canonico esse præferendum *tamen num.* 3. concludit hæc vera esse, vbi Parochus est in propria Ecclesia, in qua tantam habere potestatem quantam Episcopus in sua diœcesi putauit *Abbas apud Barb. & ideo num.* 5. secundum aliquorum opinionē, habet in propria Ecclesia omnes quantumuis indignitate constitutos, præcedere debere, & tādem infert Curatum, seu Rectorem Ecclesiæ Parochialis, tāquam caput Ecclesiæ thurificādum esse, ante Dominum loci *ita Sacr. Congr. Rit. in Turritana 7. Augusti* 1610. licet idem Curatus in sua Ecclesia sedere debeat in scamno, non autem in sede *eadē Sac. Cong. Rit. in Turritana* 14. *Februarij* 1632. declarauit. Nu. 1

At vero extra propriam Ecclesiam, & in processionibus, vbi Canonici Cathedralium Ecclesiarum capitulariter incedunt, contrarium asserit *Barb. loco supra citato num.* 6. *vbi num.* 7. refert ita fuisse resolutum scilicet vt locus dignior in funeralibus, semper relinquatur capitulo, & clero Ecclesiæ Cathedralis, Parochum vero defuncti, vel Parochum Ecclesiæ ad quam corpus defuncti defertur digniorem locum obtinere debere, & præcedere quoscunque alios præsbiteros *hæc Barbosa*, & hæc de Præcidentia quare sit. Nu. 2

DISPVTATIO DECIMA

DE PRAEDICATIONE VERBI DEI.

INter multiplices Parochorum sollicitudines curas, illam in primis suscipere debent, quæ maxime ad animarum salutem necessaria est; qualis est verbi Dei prædicatio, ac proinde sit.

VNICA DIFFICVLTAS

DE PRAEDICATIONE VERBI DEI, Parochis iniuncta.

Haec difficultas duo continebit Quæsita, quorum primum est, quam obligationem habeant Parochi, circa prædicationem verbi Dei, secundum an vnquam excusentur, & ideo.

QVAERES PRIMO.

An Parochi teneantur, ad verbi Dei prædicationem.

Nu. 1 MAxime aduertendum est, id quod colligitur *ex varijs Trid locis, & primo sess. 5. de refor. cap. 2. item sess. 23. de refor. cap. 1. & sess. 24. de refor. cap. 7.* in quibus animaduertens sacrosancta Tridentina Synodus, quam necessaria sit, ad animarum salutem prædicatio verbi Dei, Parochis mandauit, vt in Ecclesijs suis dominicis, & festis diebus, & tẽporibus ieiunorum quatragesimæ, & aduentus *Domini*, si non quotidie, saltem tribus in hebdomada diebus, prædicationes faciant, in quibus plebes sibi cõmissas, pro sua, & earum capacitate docere debent, quæ scire omnibus necessaria sunt ad salutem, in specie vero, inter missarum celebrationem, frequenter maxime diebus festiuis, exponere ea, quæ in Missa leguntur *ita Barb. de of. & potest. Parochi par. 1. cap. 14 num. 1. & in Trid. sess. 24. de refor. cap. 7. num. 1.*

Nu. 2 Et licet munus prædicandi sit, quasi proprium munus *Parochorum*, itaut nec ab Episcopis in hoc impediri possint, vti declarauit *Sacra Congr. eiusdem Concilij sess. 5. de refor. cap. 2. his verbis Si Curatores animarum, per se velint munus prædicationis obire, non debent impediri, nihilhominus possunt per alios, officio suo satisfacere, vt colligitur ex eodem* Trid *sess. 24. de refor. cap. 4. ita etiam Barb. loco supra citato num 5. & 6.*

Nu. 3 Quare licet cum Episcopus prædicat, silere debent alij concionatores, & illis possit inhibere, vt eo tempore à prædicatione se abstineant *vti habet* Barb. *in Trid. sess. 5. cap. 2. numer. 3. & de off. & potest. Parochi par. 1. cap. 14. num. 3.* tamen Parochi per se ipsos inter missarum sollemnia sermonem habere possunt, etiã quando *Episcopus* ipse prædicat *ita Barbos. num. 3. & in* Trid. *sess. 5. cap. 2. nu. 16.* Aduertas tamen, Parochos per se ipsos concionantes, non posse prætextu cuiuscunque paupertatis, prætendere sibi pręstare, eleemosynã solitam dari prędicatoribus, alias ab vniuersitate electis *ita Bar. de off. & potest.* P*arochi par. 1. cap. 14. num. 7. & in* Trid. *sess. 5. cap. 2. n. 15.* vbi habet ita fuisse decisum.

Nu. 4 Parochum officio suo non satisfacere, quo ad Deum prædicationes totius anni, alijs committentem, nisi ex consuetudine immemorabili excusaretur *refert Barb de off & potest.* P*arochi par. 1. cap. 14. num. 9. ita etiam Poss. de off. Curati cap. 3 num. 2.* vbi putat opinionem *Tol. lib. 5. cap 5. num. 11.* de prædicatione per alium, saluari posse nam expresse habet *Tol. loco citato* teneri Parochum populo prædicare, & docere populum doctrinã Christianam, & credenda necessaria, & peccata communia, & generales virtutes, quamuis non sit necessarium prædicare per se, si alium constituat, qui prædicet, nam licet hoc (Prædicare) scilicet per alium) non videatur conformare verbis concilij, tamen concordat menti eius, quæ est populum instructurum iri, his igitur dictis, vt melius hæc res intelligatur.

QVAERES SECVNDO.

An Parrochus vnquam excusetur à prædicatione, & an fideles obligentur ad audiendam concionem in die festo, quando in publico Ecclesiæ conuentus fit.

Quod

Nu. 1 QVod vero attinet ad primam huius Quæsiti partẽ,licet aliqui recentiores non excusent Parochũ a peccato,dum legitimo impedimento non detinetur.Cuius rationem reddũt,quia Parochi non solum iure diuino tenẽtur concionari,sed etiam iure humano, nã *Trid.sess.24.de refor.cap.4.* determinat tẽpus,quo Parochi teneantur per se, vel saltem per alios concionari, si legitime impediti fuerint:quare concludunt, si igitur nullo rationabili impedimento laborent,non videntur oneri suo satisfacere,si per se ipsos non concionentur.

Nu. 2 Alij vero,Parochos excusant, & suã probant sententiam *ex verbis Trid.sess.24 de refor. cap. 4.* ex quibus habetur *In alijs autem Ecclesijs,scilicet prædicationis munus exerceatur per Parochos,siue ijs impeditis per alios*,& ratio esse potest,quia populus nullum patitur detrimentum, & ipsius necessitati sufficienter occurritur,alio concionem habente.

Nu. 3 Alij vero,pro certo tenent Parochũ impeditum , & per se concionari non volentem,si per alios concionetur, licet satisfaciat obligationi iuris diuini, non autem satisfacere iuris humani,Concilij videlicet Tridentini.

Nu. 4 His tamen non obstantibus,breuiter Respondeo dicendum Parochos legitime impeditos,si per alios concionentur satisfacere non solum obligationi iuris diuini,nam qui per alium facit, per se ipsum facere videtur,& censetur, tũ quia populus nullum patitur detrimentum , & vt sic vtilius à Parochis geratur Populi negotium , cum sint legitimi impediti per alios concionentur,& in Ciuitate sint ab Episcopo non solum Prædicatores instituti,sed etiam,& regulares de Episcopi licentia prædicent;verum etiam satisfacere obligationi iuris humani,quia cum per alios concionentur populus nullum salutis patitur detrimentum,& hęc videtur mẽs Concilij. Vnde *Aegidius Trullench in decalogo tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub 4. num. 15. apud Dianam par. 6. tract. 7. resol. 13. §. Sed si hæc* optime habet in casu nostro Parochum , qui nunquam,aut raro concionem habet ad populum,eo quod in eius Parochia non desint concionatores , satisfacere non solum obligationi iuris diuini,sed etiam iuris humani,quia populus tunc nullum patitur detrimentum , & hanc sententiã sequutus est etiam *Diana* , quam antehos docuit *Poss. de off. Curati cap. 3. nu. 3.*

Nu. 5 Quin imo tenet *Poss:* excusari etiam Parochum legitime impeditum , & si nõ habeat quommodo per alium possit prædicare,quia vel redditus non sufficiunt,vel deest persona idonea; cuius ratio est quia impossibilium nulla est obligatio .

Nu. 6 Ex superius dictis bene infert *Poss. loco supra citato num 3. fine* in oppido vero, vbi silente Curato,omnes silent,sine dubio Curatum,nec per se, nec per alium prædicantem peccare mortaliter , quia deficit in re graui cedenti in graue populi incommodum . Præterea incurrit pœnas à Concilio taxatas *sess.5 cap.2 de refor.* quæ sunt censuræ,& aliæ Episcopo pœnæ arbitrariæ, vt videre est *Trid.* in quo habetur *Itaque vbi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint,per censuras Ecclesiasticas, seu aliàs ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur , ita vt etiam si ei expedire visum fuerit ex beneficiorum fructibus alteri,qui id præstet , honesta aliqua merces persoluatur donec principalis ipse resipiscens,officium suum impleat.*

Nu. 7 An vero in supradicto casu teneãtur sub præcepto peccati mortalis Curati omnibus diebus Dominicis, & festis cõcionari,negatiue respondendum puto *vt patet ex doctrina Suarij tom 1. de relig. lib.2.cap.16.num.6.* vbi habet Pastores Ecclesiæ non teneri prouidere,vt omnibus diebus Dominicis, & festis fiat concio in Ecclesia ergo Curati non tenẽtur sub præcepto peccati mortalis omnibus diebus Dominicis,& festis concionari, alioquin tenerentur prouidere, vt omnibus diebus Dominicis,& festis fieret concio in Ecclesia .

Nu. 8 Neque *ex Concilio sess.5.cap. 2. & sess. 24.cap.4 de refor.* vbi præcipit Episcopis, & inferioribus Pastoribus,seu Parochis, vt saltem in omnibus Dominicis diebus,& solemnioribus festis populis suis per se,vel per alios prædicent verbum Dei,inferas,Curatos teneri verbum Dei prædicare omnibus Dominicis diebus, & solemnioribus festis : nõ inquam hoc inferas , quia licet Pastores Ecclesiæ ex offi-

officio teneantur, ad prędicandum verbum Dei, & docendum, ac instruendũ, & excitandum populum, hanc obligationem ibi concilium proponit, & cum de se non habeat tempus definitum ex diuino iure, neque ex antiquis canonibus, vt frequentius executioni mandetur, determinat, vt saltem diebus Dominicis, & solemnioribus festis hoc faciāt. Non tamen videtur, tam rigorose, ac præcise id precipere, vt peccare grauiter censeantur, si interdum, vel sæpius illud omittant, quia non vtitur Concilium verbis tantam obligationem indicantibus, sed mandat, vt id faciant, illis diebus, & alijs per Quadragesimam, & Aduentum, *si ita oportere duxerint* vt ibi additur, *& alias quotiescunque id opportune fieri posse iudicauerint* Debent ergo Pastores hoc officium nõ negligere, & curare, vt diebus illis, quantum commode fieri possit verbum Dei populo prædicetur, pro singulis tamen Dominicis, & festis non est rigorosum præceptum, vt etiam consuetudo interpretatur.

Nu. 9 Patet igitur ex dictis Parochos Panormitanos excusari à peccato, qui nũquā, aut raro concionem habent ad populũ, & satisfacere non solum obligationi iuris diuini, sed etiam iuris humani. Cuius ratio est primo quia Parochi Panormitani censentur semper esse legitime impediti ad huiusmodi prædicationis munus exercendum, vt patet *ex Bulla Clementis VIII. super Refor. Parochiarum huius Vrb. disp.* 1. *diff. vnica quær.* 7. *à nobis supra explicata*, ex qua manifeste patet Parochos Panormitanos semper esse prontos, diligentes, & faciles ad admini strandа populis sacramenta: *item ex verbis eiusdem bullæ num.* 14. habetur Magistrum Cappellanum, Rectores ad infirmos vocatos statim, vt opportune eisdē infirmis succurratur, accedere debere, & si quis negligens reperiatur, medietatem fructuum illius diei in foro conscientiæ amittere, vltra pœnas ab Ordinario infligendas; quare ex hoc capite censentur semper esse legitime impediti, alioquin non possent esse pronti, diligentes, & faciles ad administranda populis sacramenra, neque ad infirmos, vocati, possent statim ad eos accedere, maneat igitur dicendum Parochos Panormitanos, qui nunquam, aut raro concionem habent ad populum, excusari à peccato, & satisfacere non solum obligationi iuris diuini, sed etiam iuris humani.

Et confirmari potest ex superius dictis, quia populus Panormitanus nullum patitur salutis detrimentum, cum in Ciuitate hac diebus Dominicis, & festiuis etiam per annum ab Archiepiscopo instituti sint prædicatores, & regulares de Archiepiscopi licentia prædicent. Nu. 10

Tandem Illustrissimus Senatus Panormitanus anno 1600. *vt patet ex bulla Clementis VIII. loco supra citato* connētione facta inter Parochos taxatam in bulla eleemosynam quolibet anno tribuit Parochis, vt eam soluant Prædicatoribus in parochialibus Ecclesijs huius Vrbis verbum Dei annunciantibus, in Dominicis Aduētus, & Quadragesimalibus diebus. Cum supponatur ab Illustrissimo Senatu, Parochos esse legitime impeditos, & sēper deberi inueniri prōtos diligentes, & faciles ad administrāda populis sacramenta; quare satis erit si per alios id prædicationis munus exerceatur, & ipsi Parochi, quibus incumbit onus, prædicare faciant in eorum Ecclesijs in supradictis diebus, à Prædicatoribus ab ipsis electis iuxta bullam supra citatam, & facultatem, quam habent ad expensas tamen Illustrissimi Senatus modo supradicto, cum videantur se conformare *Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 4. vbi habetur in alijs vero Ecclesijs scilicet prędicationis munus exerceatur per Parochos, siue ijs impeditis per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eos præstare, vel tenentur, vel solent deputandos. Nu. 11

Quod vero attinet ad secundam Quæsiti partem, breuiter. Respondeo dicendum fideles non obligari ad audiendam concionem in die festo, cuius ratio est, quia nullum est præceptum, quod obliget in rigore, ac per se ad audiendam cōcionem in die festo, ita communiter omnes, & præcipue *Suar. tom.* 1. *de relig. lib.* 2 *cap.* 16. *num.* 6. Nu. 12

DIS.

DISPVTATIO VNDECIMA
DE DOCTRINA CHRISTIANA.

De doctrina Christiana, hic sermo erit, cum ad officium Parochi pertineat Parochianos suos in ea erudire, vt infra dicemus, ac proinde cum necessario sit docenda, sit igitur.

VNICA DIFFICVLTAS
QVID NOMINE DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

Nomine autem Doctrinæ Christianæ, intelliguntur rudimenta fidei, quæ secundum Sotum apud Poss. de off. Curati cap. 5. num. 1. Barb. de off. & potest. Episc. par. 3. alleg. 76. num. 39. *sunt Simbolum Apostolorum, Decem præcepta, Oratio Dominica, hec enim sunt necesse scire, reliqua, quæ circumferuntur in libellis doctrinæ christianæ, sunt ad bene esse, præter superius dicta, requirit etiam* Trid sess. 24. de refor. cap. 4. *vt doceatur obedientia erga Deum, & parentes, ad quod tenentur sub mortali vt docet* Barb. *verum vt melius hæc res elucescat.*

QVAERES PRIMO.

An Parochi teneantur Doctrinam Christianam docere.

Nu. 1 De doctrina Christiana loquēs *Trident sess. 24. de refor. cap.* 4. habet dominicis saltem, & alijs festiuis diebus rudimenta, & obedientiam erga Deū, & parentes, bonosque mores docere teneatur, quæ doctrina Christiana licet necessario sit docenda, & communiter in Dominicis à prandio, tamen an Parochus teneatur ad hoc *ex Trid.* non specificatur, quare deficienti, qui eam doceat, videtur Parochus teneri, cum ipsius sit instruere ignorantes, & praxis vniuersalis, ita interpetratur, si tamen aliter prouisum fuerit, in loco vbi Parochus degit, poterit obseruare institutum, & consuetudinem. Est autem docenda doctrina Christiana in loco solito, qui locus aptus, est Ecclesia, quę quidem fidei rudimentorum eruditio, licet non præscribatur tempus durationis à concilio, tamen communiter durat per horam plus minusue.

Quare non desunt, qui asserant mortaliter peccare Parochos, qui nimium negligētes fuerint in huiusmodi doctrina Christiana edocenda *ita Barb. de off. & potest. Parochi par. 1. cap. 15. numer. 2. Emanuel Sà verb Parochus num.* 5. qui habet negligentia magna Parochi, in docendo ad salutem necessaria, nempe simbolum, decalogū, & Pater noster, mortalis est, vbi passim magnus est abus⁹ eorum, qui contenti docuisse simbolum latine, non explicant populo rudi misteria fidei præsertim Trinitatis, & Incarnationis, tanto opere ad salutem necessaria, tandem concludit væ Parochis, væ Episcopis, væ Prælatis. Nu. 2

Imo *Aloysius Riccius apud Barb. in Trident. sess. 24. cap. 4. num.* 24. ait fuisse suspensum ab officio suæ curæ quendam Parochum per sex menses, eo quod rudimenta fidei suos parochianos non docebat. Nu. 3

Ac proinde poterit Episcopus constito sibi de Parochi negligentia, vel insufficientia in docendo pueros doctrinā Nu. 4

chri-

christianam, ex fructibus ipsius Ecclesiæ, assignare partem congruam fructuũ alteri, qui hoc mynisterium loco ipsius adimpleat, non tamen potest comminare pœnam peccati mortalis, Parochis doctrinam Christianam nõ docentibus, sed illos per viam præcepti pœnalis debet obstringere ex ta *Barb. num* 3. non despiciat tamen Parochus ministeriũ hoc, quasi vile, etiam si sit nobilissimus, & vir doctissimus, vt asserit *Poss. de off. curati ca.* 4. *nu.* 14. § *Non despiciat* vnde Parochus *iuxta Barbosæ consilium loco supra citato num.* 7. sępe admonere debet parentes, propinquos, tutores, & alios, quorum curæ sunt pueri commendati, vt eos mittãt ad parochias omnibus diebus festis, vel saltem dominicis, ad doctrinam christianam addiscendam, & vt facilius ad id peragendum parentes, & alij superius enumerati, inclinentur post esplicatam huius rei necessitatem, & vtilitatem; Parochus indulgentias, quas Pius V, & Paulus V. illis, qui huic pietatis operi cooperabuntur concesserunt, publicabit. Pius enim V. concessit quatraginta dies, de iniunctis eis pœnitentijs, omnibus illis, qui tam alios docuerint, quam qui ab alijs in articulis fidei, & præceptis Ecclesiæ huiusmodi instructi fuerint, vt videre est tenorem bullæ *apud Barb. de off. & potest. Parochi par.* 1. *cap* 15. *num.* 8.

Nu. 5 Paulus vero V. concessit plenariam indulgentiam, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui pro ministris operarijs, & confratribus, Archiconfraternitatem sub doctrinæ christianæ nomine institutam, ingredientur, die primo illorum ingressus, seu eo die dictæ Archiconfraternitatis adscripti fuerint, nec nõ eisdem sic descriptis, qui vere pœnitentes, & cõfessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramẽtum, in festo, quod ab ipsa Archiconfraternitate, & alijs confraternitatibus aggregatis, seu aggregãdis, pro earum pręcipuo, & principali respectiue eligetur, sumpserint, etiam plenariam, quique vero pœnitens, & confessi dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contricto, nomen Iesu saltem corde, in mortis articulo inuocauerint, similiter plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & indulgentiam dicta aûctoritate earundem tenore præsentium concedimus. Itẽ, & multas alias indulgentias concessit confratribus dictæ Archiconfraternitatis, vt videre est in dicto diplomate *dato Tusculi sub anulo piscatoris die* 6. *Octobris* 1607.

In quo quidem diplomate habetur: Nu. 6
Nec non omnibus, & singulis præceptoribus, qui diebus festiuis, suos discipulos ad doctrinam Christianã duxerint, eosque illam docuerint septem annos, quique diebus feriatis, in proprijs scholis eamdẽ doctrinam explicauerint cẽtum dies. Omnibus autem, & singulis patribus, & matribus familias, qui in suis domibus liberis, famulis, & familiaribus vtriusque sexus doctrinam Christianã explanauerint qualibet vice id fecerint centum dies. Omnibus item, & singulis Christi fidelibus, qui per mediam horã doctrinam, aut docendi, aut discendi gratia studuerint centum dies. Multæ aliæ indulgentiæ concessæ confratribus dictæ confraternitatis doctrinæ Christianæ apparent in dicta bulla *apud Barb. loco supra citato num* 9.

Hic autem diuino adiutus auxilio huius operis finem sum consequutus quare satis dicta sufficiant, quæ ad officium, & potestatẽ Parochi hic breuiter a nobis adnotata sunt, cum fusissime apud alios multa adnotata inuenies, sit igitur Laus Deo Patri, eiusque Filio Spiritui Sancto, ac Intemeratæ Virgini Monti ferrati, in cuius ædibus edita hæc sunt, & finem imposuimus anno ab orbe redẽpto 1647. 15. Ind. die vltimo Ianuarij. Nu. 7

FINIS

Primi Tractatus.